Ex Libris Antony Martini

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS

DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM LIBRI OCTO,

QUOS

IN UNIVERSITATE VIENNENSI AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

NICOLAUS MUSZKA E S. J.

SS. Theol. Doctor, ejusdemque Professor Publicus, & in Sacra Facultate Cæsareo-Regius Examinator Juratus.

TOMULUS HIC PRIMUS CONTINET

L. I. De Sacramentis in Genere.
L. II. De Baptismo.
L. III. De Confirmatione.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæs. Reg. Aulæ Bibliopolæ, & Universitatis Typographi, 1754.

CELSISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO

JOSEPHO
TRAUTHSON,

COMITI

IN FALCKENSTEIN,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHI-EPISCOPO

VIENNENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, & Cathedralis Exemptæ Passaviensis Canonico Capitulari, Abbati in Sexard, Præposito in Ardagger, Sac. Cæs. Regiæque Majestatis

ACTUALI CONSILIARIO
INTIMO,
STUDIORUM UNIVERSITATIS VIENNENSIS

PROTECTORI
GENERALI.

PRÆSUL
CELSISSIME!

Ultra, quam ſperare auderem, faves Præsul Celsissime! cum Theologiæ Partem, quam anno hoc lucubrandam ſuſcepi, Tibi inſcribi pateris. Ego vero, cum iſtud quam maxime vellem, etiam debebam multis nominibus: eo cumprimis, ut

vel partem exſolverem officii, quo Tibi una mecum obſtrictam ſe agnoſcit Theologia. Gaudet nempe illa, Te ſummo in Celeberrima hac Univerſitate Studiorum Præſide ac Protectore, majorem in dies cultum ſe accipere; ſpes ultro quin etiam ſuas exporrigit, ac incrementa, quæ nunc læta intuetur, maximis ſubinde acceſſionibus cumulanda jam præcipit.

Et quæ niſi ſumma expectet ſub patrocinio ejus, in quo uno ea & plurimorum & maximorum Antiſtitum colligi videt ornamenta, ut de iis quidem ex æquo cenſere non poſſit, niſi ſumma dicat omnia. Ut ſileam enim avitum Generis Tui ſplendorem, & dignitatis, qua emines, faſtigium: quantam facerent paginam! ſi pro merito commemoranda forent vel illa decora, quæ Tibi peculiaria fecit ſingularis Tua Sapientia, incenſum Religionis tutandæ ac proferendæ ſtudium, rara & exquiſita

eru-

eruditio, animus merendi de omnibus, visque illa ac poteſtas Tibi ingenita quævis ardua & maxima tam conſilio, quam prompta non minus ac felici opera expediendi.

Hæc certe illa ſunt, quæ in Te non modo ſuſpiciunt ac demirantur univerſi, verum & AUGUSTA ipſa ſuo comprobat ſuffragio. Inde ſolemne illi, Te potiſſimum in partem grandium illarum curarum vocare, quibus, ad omnium admirationem, immortalemque ſui memoriam, Religionem & Bonas Artes complectitur; quin tum de his bene agi exiſtimat, cum quid Te arbitro pro iis agitur. Summa profecto laudum: probari tantæ PRINCIPI! de qua dixiſſe ſufficiat: cum pluribus Regnis & Provinciis imperat, digna eſt Orbi imperare! Atque hic ſiſto; quando nullum eſt majus aut ſincerius encomii genus, quam probari Te AUGUSTÆ, tantæ PRINCIPI.

Nec

Nec jam reliquum habeo aliud, quam ut, quod cœpi, obſervantiæ & grati animi abſolvam officium. Inſcriptas igitur Nomini Tuo lucubrationes meas Tibi denique, mecum una, conſecro PRÆSUL CELSISSIME! quodque mihi votum unum eſt: ſin minus illas (neque enim dignæ ſunt tanto Nomine) meum ſaltem in Rem Literariam conatum boni conſule, & benevolentia ac gratia Tua dignare. Ita me ampliſſimum operæ tuliſſe pretium arbitrabor

CELSITUDINIS TUÆ

Clientum Infimus

NICOLAUS MUSZKA
E SOCIETATE JESU.

PRÆFATIO.

SAcramenta, ſuo ab Authore, & vi prorſus Divina, ſunt argumentum in Theologia dignitate præcipuum; ut etiam eſſent late diffuſum, ac omnino amplum, numeroſæ, eæque variæ in Re Sacramentaria ſectariorum fecere aberrationes. Ut enim non memorentur Aſcodrytæ, ſeu Aſcodrupetæ, qui teſte Theodoreto L. I. Hær. n. 13. Sacramenta rejiciebant omnia; ætas certe nulla fuit, qua non de accidendo ſaltem numero, aut etiam, ſi licuiſſet, depravanda eorum natura plurimi agerent, Diviniſſima Myſteria non ab inſtitutione Chriſti, ſed ex pravo ſuo dumtaxat ſenſu æſtimantes.

Ipſo ſtatim ſeculo I. impetitam novimus Euchariſtiam, quibusdam in ea Chriſti corpus adeſſe negantibus, ut ſcribit S. Ignatius M. in ſua ad Smyrnenſes Epiſtola. Seculo deinde altero, præter Montani-

ſtas Baptiſmi formam corrumpentes, Tatiani cum Severianis vinum ab Euchariſtiæ materia excludebant, Matrimonio inſuper e numero Sacramentorum eraſo; in quo poſtremo ſectatores nacti ſunt Adamitas veteres. Seculo III. Novatiani ſuos de Pœnitentia errores ſparſerunt; Agrippiani vero, ſeu Rebaptizantes, cum Catharis, Cathariſtis, & Macariis nova de Baptiſmo procudere dogmata: circa idem Sacramentum, hoc eodem Seculo, turpiſſime omnium aberrantibus Manichæis proprie dictis, ut qui teſte Auguſt. L. de Hær. n. 46. vim omnem Baptiſmo abrogabant. De reliquis Seculis vix attinet dicere, quando nemini ignotum eſſe poteſt, illa, quo magis a primævæ Eccleſiæ recedebant temporibus, eo plura Hæreſum protuliſſe monſtra. Nota ſunt Aërianorum, Donatiſtarum, Albanenſium, Petrobuſianorum, Waldenſium, Albigenſium, Flagellantium, Wicleffitarum, Huſſitarum, & ſexcentorum aliorum infauſta nomina, qui, præter errores alios, in Sacramenta, velut agmine facto, ad Seculum usque XIV. depugnarunt. Seculum deinde XVI. jure dixeris in Lutheranis & Calvinianis priorum Hæreſum compendium: qui ipſi in ſectas licet ſubinde diviſi varias, id commune tamen ſibi voluerunt negotium, ut et numerum Sacramentorum diminuerent, & vim eorum ac efficaciam, quam a Chriſto acceperunt, penitus eliderent; nihil ut nunc dicam de plurimis aliis, quos in Sacramentorum Doctrinam invexerunt, erroribus. Jam

Jam vero, cum Theologus de Sacramentis acturus, necesse habeat, non tantum sanctissima Orthodoxæ Religionis dogmata exponere; sed & tot ac tam varios sectariorum convellere errores, facile apud semet ipsum statuet, quam patentem, & late exporrectam ingrediatur viam. Amplitudo interim ejus terrori esse non debet. Eadem sat jam expedita jure dici potest, ut quæ tot Clarissimorum Theologorum trita & expolita est vestigiis; qui omnes eruditis suis de Re Sacramentaria Commentariis, velut indice digito, qua sit procedendum, designant. Id quod nos uti grati meminimus; ita Virorum clarissimorum ductum in his de Sacramentorum Doctrina Dissertationibus, qua pro viribus licuerit, lento saltem & suspenso passu sequi adnitemur; sic tamen, ut ad sacras Literas, ad Patrum sensa, Conciliorum Decreta, Canonicas Constitutiones, Historiam item Ecclesiasticam, ac vetera Græcorum Euchologia, Latinorumque Ritualia, velut præcipuos in præsenti argumento fontes, identidem recurrere constitutum habeamus.

In hæc intentis primæ curæ erunt: Ecclesiæ Catholicæ de Sacramentis dogma affirmare; tum sectariorum errores refellere; demum & ea sparsim ac compendio explanare, quæ ad Historiam sacram, Ecclesiæ disciplinam, & Morum Doctrinam in præsenti pertinent. Suus vero ut ne desit rei tractandæ ordo, Dissertationes omnes Libris octo complectemur. Liber

I. aget de iis, quæ Sacramentorum generatimnotitiam ſpectant. II. erit de Baptiſmo. III. de Confirmatione. IV. de Euchariſtia. V. de Pœnitentia. VI. de Extrema Unctione. VII. de Ordine. VIII. de Matrimonio. Series hæc vel ideo congrua eſſe videtur, quod hoc ipſo ordine a Sacramentis vitam ſpiritualem univerſum Eccleſiæ corpus accipiat, & conſervetur. Ut enim poſt Decretum Eugenii IV. exponit Catechiſmus Rom. P. 2. n. 18. per Baptiſmum Chriſto renaſcimur; per Confirmationem gratia, quæ vita eſt animæ, in nobis augetur; in Euchariſtia, tanquam pane fortium, robur ſpiritus habemus; Pœnitentia ſanitatem animæ per peccatum amiſſam reſtituit; Extrema Unctio ægritudinis ejusdem, ſeu peccati tollit reliquias: per Ordinem habetur legitima poteſtas Eccleſiæ Membra gubernandi ac conſervandi; Matrimonio demum continuata fidelium debetur acceſſio.

Quoniam autem Sacramentorum univerſim notitia his fere abſolvitur: quæ ſit nempe Sacramenti natura? an & quo Authore exiſtat? quæ cujusque efficacia & effectus? quis ejus Miniſter? cui miniſtrari poſſit? ac tandem, quo ritu & cæremoniis ſit miniſtrandum? de his ipſis, & quidem hoc eodem ordine diſſeremus; ſingu'is Libris exemplo Cl. Tournelii præmiſſuri Concilii Tridentini Canones; quibus nos non inutiliter adjiciemus & aliarum Synodorum œcumenicarum Conſtitutiones, ac etiam propoſitiones a Pontificibus damnatas, quæ ad propoſitum noſtrum facient; in quæ deinde nos, tanquam regulam, ſemper intentos eſſe oportebit.

LIBER

LIBER I.
DE
Sacramentis in Genere.

Librum hunc Dissertationes sex definient. Earum I. erit de Sacramentorum Natura. II. de eorum Institutione & Existentia. III. de Virtute & effectibus. IV. de Ministro. V. de subjecto, seu suscipiente Sacramenta. VI. demum de ritu & cæremoniis eorundem. His omnibus quædam, quæ Ecclesiæ de Sacramentis in genere doctrinam clare exponunt, præmittenda sunt ex Concilio Tridentino & aliis œcumenicis Synodis; tum & propositiones damnatæ hujus argumenti.

CANONES CONCILII TRIDENTINI
ex sess. VII. Decreto de Sacramentis.

I. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a IESU Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum; anathema sit.

II. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi; anathema sit.

III. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto

per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci; licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint ; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe ; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint, acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus ; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant; ſed aliquando & aliquibus ; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere ; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt ; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem ; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia ; anathema ſit. XII.

XII. Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiae Catholicae ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſvetos, aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorum mutari poſſe; anathema ſit.

DECRETA
ALIORUM CONCILIORUM.

EX *Concil. Florentino.* Novae legis ſeptem ſunt Sacramenta, quae multum differunt a Sacramentis antiquae legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; haec vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. *In Decreto Eugenii IV. ad Armenos.*

Ex eodem Concil. Florentino. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. *In Decreto eodem Eugenii.*

Ex eodem Flor. Inter Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & ordo, quae characterem --- imprimunt; unde in eadem perſona non reiterantur. *cit. Decr.*

Ex Concil. Conſtantienſi, quod definivit Sacramenti valori non obeſſe improbitatem Miniſtri, ſeſſ. 45. *damnando hunc Wicleffi Articulum n.* 4. ſi Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in

pec-

peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat. *Ad calcem ejusdem Concilii legitur Conſtitutio, qua Martinus V. ſuſpectos de fide inter alia interrogari jubet:* num credant, quod malus Sacerdos cum debita materia & forma & cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia -- vere conficiat Sacramenta?

Ex Concilio Nicæno I. hoc ad Sacramenti valorem non requirit fidem in Miniſtro; hinc Novatianorum Baptiſmum approbans, de iis ad Eccleſiam redeuntibus ſic ſtatuit Can. 8. Si quis voluerit venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis, placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & ſic manent in Clero.

PROPOSITIONES DAMNATÆ
AB INNOCENTIO XI.

I. NOn eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut Epiſcopalis.

XXIX. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

DIS-

DISSERTATIO I.
DE
NATURA SACRAMENTORUM.

§. I.
Quid sit Sacramentum?

SAcramentum Latinis idem est, quod Græcis μυςήριον; in proprio inde sensu accepta vox hæc, rem latentem & arcanam significat. A Sacris interim & profanis Scriptoribus ad alia etiam designanda usurpatur; hic, prout nempe ad præsentem materiam attinet, sumimus eam pro signo Sanctitatis practico, seu tali, quod aliquam causet Sanctitatem. Id genus signa, seu Sacramenta, non tantum in nova lege dari, sed & in veteri fuisse, communior Authorum est sententia; licet hodie hoc nomine fere sola novæ legis Sacramenta veniant, de quibus & nos ex proposito differemus; de illis incidenter tantum, & quasi ex occasione, pauca dicturi. Interim, quia commune quidpiam habent utraque, ante omnia Sacramenti generatim accepti statuenda est definitio: tum discrimen, quod inter illa intercedit, exponendum.

DEFINITIO SACRAMENTI.

Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex DEI institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.

DEfinitio hæc excerpta est ex Conc. Trid. sess. 13. c. 5. & habetur in Catechismo ejusdem concilii p. 2. n. 10. estque quoad rem eadem cum aliis, quas Theologi adferunt. Convenire illam omnibus, ac etiam solis Sacramentis, patebit ex dicendis. Nunc terminorum expositione opus est.

Dicitur 1*mo. res sensibus subjecta*: quodvis enim Sacramentum in re aliqua, seu signo sensibili consistit; quo videlicet homines, ut notat Doctor Angelicus, sensibilibus assveti, dona Sacramentorum Spiritualia & intelligibilia per res sensibiles cognoscerent. Inde & Chrysost. Hom. 60. ad Pop. Antioch. *si enim*, inquit, *incorporeus esses*, *nuda & incorporea tibi dedisset & ipsa dona; sed quoniam anima corpori inserta est*, *sub sensibilibus intelligibilia tibi præbet.*

Dicitur 2*do. quæ ex DEI institutione*: nam cum DEUS omnis justitiæ Auctor principalis sit, solus is utique instituere potest Sacramenta, quæ sint instar instrumenti sanctitatem operantis. Institutio autem hæc consistit in eo, quod DEUS determinet signum aliquod sensibile cum promissione sanctitatis, eamque simul tali signo adnectat.

Dicitur 3*tio. justitiæ significandæ & efficiendæ vim habet*: id namque Sacramentis peculiare est, ut non modo significent, sed etiam & quidem ex se, seu opere operato, causent sanctitatem aliquam; eam nempe, quæ propria est statui Ecclesiæ, cujus sunt Sacramenta; hinc etiam passim a Theologis signa sanctitatis practica vocantur, ac per hoc, velut differentiam, a reliquis sacris ritibus ac cæremoniis discernuntur.

Discrimen inter veteris & novæ legis Sacramenta.

2 DEfinitio relata utriusque legis Sacramenta complectitur. Commune igitur utriusque id est, quod sint signa sensibilia ex institutione DEI aliquam sanctitatem significantia, & efficientia. Discrimen interim non unum est inter illa. Etenim 1*mo*. quamvis utraque originem suam institutioni Divinæ debeant, Sacramentis novæ legis id præterea peculiare est, quod Authorem habeant DEUM hominem, seu Christum, ut definitum est in Concil. Trident. sess. 7. de Sacram. in gen.

Cant.

Can. I. Alterum difcrimen petitur a Sanctitate: ut enim utraque fignificent Sanctitatem perfectam, feu gratiam habitualem, quæ & Sanctitas interior dicitur; fola tamen novæ legis Sacramenta eam conferunt, ut declarat Concil. Florent. in Decreto Eugenii IV. ubi, poftquam dixit antiquæ legis Sacramenta multum a noftris differre, addit: *illa enim non caufabant gratiam, fed eam folum per paffionem Chrifti dandam effe figurabant; hæc vero noftra & gratiam continent, & eam digne fufcipientibus conferunt.* Juftitia itaque & Sanctitas illa, quam vetera Sacramenta caufabant, exterior erat dumtaxat & legalis; imperfecta proinde, ac fere confiftens in aliqua ad populum DEI aggregatione, in expiatione ab immunditiis legalibus, &c. Indicat iftud Apoftolus ad Hebr. 9. v. 13. cum ait, per fanguinem hircorum & cinerem vitulæ afperfum inquinatos fanctificari ad emundationem carnis. Inde, fi peculiarem Sacramenti novæ legis definitionem cupias, ea his fere verbis abfolvi poteft: *eft fignum fenfibile a Chrifto inftitutum ad fignificandam, fimul & conferendam gratiam fanctificantem.*

3 Ut Objecta, quæ contra definitionem Sacramenti fiunt, refolvi poffint, hæc notanda erunt. I. Per rem fenfibilem, quam ad Sacramentum requirimus, non intelligitur tantum externa aliqua & fenfibilis fubftantia, ut eft v. g. aqua in Baptifmo: verum etiam fenfibilis actio Miniftri, aut recipientis Sacramentum; qualis eft v.g. in Pœnitentiæ Sacramento Confeffio ex parte pœnitentis. Similiter neceffe non eft, omnem rem, quæ Sacramentum conftituit, effe per fe ipfam immediate fenfibilem, modo ea conjuncta fit cum aliquo, quo reddatur fenfu perceptibilis, uti in Sacramento Pœnitentiæ contritio redditur per Confeffionem.

II. Etfi Sacramentum fit res fenfibus fubjecta, illud tamen fufcipiens certus effe nequit de gratia; effectus enim hic pendet cum a valore Sacramenti, tum a carentia obicis; ho-

rum autem neutrum nobis poteſt certo innoteſcere ſine peculiari Divina revelatione.

III. Ex eo, quod Apoſtolus vetera Sacramenta dicat figuram & umbram noſtrorum, non recte infertur, ea non fuiſſe vera Sacramenta, ſed inanem tantum umbram ac figuram; ut enim ex ipſo Apoſtolo ad Gal. 4. & ad Hebr. 10. eruitur, verbis illis id tantum innuere voluit, quod vetera Sacramenta cum noſtris collata, ſint multo inferiora, minusque perfecta. Idem certe Apoſtolus loco cit. ait legem habuiſſe umbram futurorum bonorum ſeu legis noſtræ; quis tamen dicat legem veterem nihil præter umbram habuiſſe? Sicut igitur lex fuit umbra & figura legis noſtræ, ſimulque lex vera: ſic & vetera Sacramenta fuerunt noſtrorum figura & umbra; ſic tamen, ut etiam vera eſſent Sacramenta.

IV. Univerſim ea, quæ ſeu in veteri, ſeu in nova lege occurrunt ſigna rei ſacræ mere ſpeculativa, veris Sacramentis accenſeri nequeunt. Ita tranſitus maris rubri Sacramentum non fuit: quamvis enim ſignificaverit Sanctitatem per Baptiſmum conferendam, nullam tamen, ne quidem legalem juſtitiam operabatur. Idem dicendum de ſerpente æneo, manna, & ſimilibus. Sic & in nova lege rationem Sacramenti non habent certi ſacri ritus, quos Sacramentalia dicimns, ut eſt ſignum Crucis, aquæ luſtralis conſecratio &c. neque enim hæc habent vim ullam ex ſe, ſeu ex opere operato ſanctificandi. Exemplum ſit in aqua luſtrali, cui tribuitur vis delendi peccata venialia; at hic effectus non utique ab ipſa præciſe aſperſione aquæ, ſed ab orationibus Eccleſiæ, vel a pietate ritu hoc ſacro utentis, ac proinde ab opere operantis eſt repetendus. Plura de his, uti & de Sacrificio, lotione pedum, Martyrio & ſimilibus dicendi opportunior erit infra locus Diſſert. II. & III. ubi de Sacramentorum exiſtentia & efficacia ex propoſito agetur.

§. II.

§. II.

Hæreticorum de Sacramenti definitione Sententiæ refelluntur.

TOti in eo erant primum Novatorum quidam, ut vel *Sacramenti* nomen eliminarent, ſuffecto in ejus locum *ſigni*, vel *Symboli* vocabulo. Ita, præter Melancht. & Ulricum Zvinglium, Lutherus L. de capt. Babyl. & de abrog. Miſſa. Pro ratione id dabant, quod Sacramenti nomen in primigenio ſcripturæ textu Hebraico vel Græco non legatur. At iſtud nihil evincit: etſi enim Sacramenti nomen, utpote latinum, in dicto textu non reperiatur, reperitur tamen in Græco vox μυςήριον, quæ apud Latinos Sacramenti vocabulo exprimitur. Sed nec diuturna hæc fuit Novatoribus cum Catholicis controverſia; admiſerunt ſubinde Sacramenti nomen, jamque totum eorum in definiendo illo nobiſcum eſt diſſidium. Patebit iſtud ex mox referendis Definitionibus, quas deinde refellemus.

Definitio Sacramenti apud Hæreticos.

I. SOciniani docent Sacramentum non aliud eſſe, quam externam quandam teſſeram Chriſtianæ Religionis; hinc illud Socinus Diſp. de Bapt. definit, *eſſe nudum & ſimplex ſignum, quo Chriſtianus a Judæo vel Gentili diſtinguitur.* A Socinianis non multum diſcrepant Anabaptiſtæ, cum dicunt: *Sacramenta eſſe allegorias, ſeu ſigna quædam vitæ ſpiritualis, morum atque bonorum operum, quibus ſcilicet ſignis admonemur bonis operibus nos exercere.*

II. Zvingliani naturam Sacramenti repetunt a fide, quam Sacramenta recipientes DEO vovent. Sacramentum itaque illis *nihil aliud eſt, quam oppignoratio, qua ſe homines obligant Chriſto, ejuſque militiæ dant nomen.* Ita Zvingl. ut L. de ver. & fal.

& fal. Rel. C. de Sacram. falso ſupponens, jam ante uſum Sacramentorum nos eſſe juſtos; ad quem errorem tuendum hanc Definitionem ſtatuit.

III. Lutheranis Duce Luthero L. de Capt. Babyl. C. ult. *Sacramentum eſt promiſſio gratiæ ſigno externo expreſſa*; quam ipſam definitionem paulo aliis verbis legere eſt in Confeſſ. Aug. C. 13. In hoc nempe Lutherus in natura Sacramenti explicanda a Zvinglio differt, quod hic eam conſtituerit in fide, quam homines DEO pollicentur; ille vero in fide, qua ſe DEUS hominibus veluti obligat, promittendo iis gratiam.

IV. Calvinus ex Zvinglii & Lutheri Definitione unam facit, ſimulque hominum erga DEUM, & DEI erga homines fidem in Sacramento conjungens, illud L. 4. Inſtit. C. 14. definit, *eſſe externum Symbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones Conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem; & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram Deo, & Angelis, quam apud homines teſtamur.*

5 Et hæ quidem poſtremæ, Lutheri videlicet & Calvini definitiones, ſi nuda earum verba attendantur, non videntur eſſe alienæ ab ea, quam §. priore ſtatuimus; præſertim cum & Catholicis certum ſit, Sacramenta eſſe ſigna, ſeu ſigilla, quibus Divinæ promiſſiones in nobis veluti obſignantur ac confirmantur: eademque vim habere ad fidem in animis noſtris excitandam, ut notatur in Catech. Concil. Trid. P. 2. N. 13. Verum, quam alieno hæc a nobis ſenſu Novatores dicant, abunde fit clarum ex recepta apud eos de Sacramentis doctrina, quæ Orthodoxæ fidei dogmatis prorſus opponitur. Ut enim vel pauca attingam: in eorum ſententia Sacramenta reſpectu Electorum dumtaxat ſunt ſigilla gratiæ; hæc vero eſt mera externa peccati non imputatio; Sacramentis denique (quod huc præcipue facit) vis alia non ineſt, quam præciſe movendi, & excitandi nos ad fidem: ut adeo per illos Sacramenta ſint ſigna mere ſpe-

ſpeculati[illegible], quæ nullam ex ſe ipſis operentur gratiam. Audiatur de hoc poſtremo Lutherus L. de Capt. Babyl. C. de Bapt. *Baptiſmus*, inquit ille, *neminem juſtificat, nec ulli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur Baptiſmus: hæc enim juſtificat.* Audiatur & Calvinus L. 4. Inſt. C. 14. ubi ait, fixum manere *non alias eſſe Sacramentorum, quam verbi DEI partes; quæ ſunt offerre nobis ac proponere Chriſtum, & in eo cœleſtis gratiæ theſauros.* Hæc autem & Sociniani cum Anabaptiſtis & Zvinglianis docent.

Relatæ Definitiones refelluntur in Communi.

COmmunis ac præcipuus Novatorum in definienda Sacramenti natura, ut jam notavi, error eſt, quod illi vim omnem Sanctitatis, ſeu gratiæ cauſativam ademptam velint; hæc igitur, quo Hæreticorum definitiones in communi refellantur, Sacramentis aſſerenda eſt. Id vero facile conficitur. 6

I. Ex Sacris litteris, quæ pluribus locis meminerunt efficaciæ Sacramentis propriæ. Ita de Baptiſmo Apoſtolus ad Epheſ. 5. v. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. 3. v. 5. *ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Quæ his locis Baptiſmo eadem vis alibi Sacramentis aliis attribuitur, ac notanter Confirmationi Act. 8. v. 17. Euchariſtiæ Joan 6. v. 55. Pœnitentiæ Joan. 20. v. 23. Extremæ Unctioni Jac. 5. v. 15. Ordini 1. Timoth. 4. v. 14. Pro Matrimonio idem deducitur ex C. 5. ad Epheſ. v. 32. ubi vocatur *Sacramentum magnum*, ejuſdem proinde ac reliquæ virtutis. 7

II. Evincitur idem ex Doctrina primævæ Eccleſiæ, quam prodiderunt PP. & Scriptores Eccleſiaſtici. Multos eorum hic producere non vacat; ſint pro omnibus Tertullianus & Gregor.

de

Nyssen. Tertullianus certe Seculi III. Scriptor. L. de Bapt. C. 4. de hoc Sacramento differens, *supervenit*, inquit, *statim Spiritus de Cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso : & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Et S. Gregor. Nyssen. qui Seculo IV. floruit, Oratione in Baptismum Christi hæc habet : *Baptismus peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Quid in rem nostram clarius ?

8 III. His accedat Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali quoad efficaciam Sacramentorum consensio. Et Occidentalis quidem sensum suum satis superque prodidit, cum in Concil. Trid. sess. 7. Can. 5. anathemati eos subjecit, qui dicunt, Sacramenta novæ legis propter solam fidem nutriendam instituta fuisse ; eos item Can. 6. qui dicunt ea non continere gratiam, aut gratiam ipsam non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ &c. Idem semper & Orientalem sensisse Ecclesiam præter Irenæi. Basilii, Chysostomi & aliorum Græcorum Patrum scripta vel illud declarat ; quod Lutherani & Calviniani sub ipsum defectionis suæ tempus ad Orientales non provocaverint. Quid quod, cum subinde Lutherani Anno 1573. ab instituta nempe sua secta sexagesimo, Augustanam Confessionem Jeremiæ Constantinopolitano Patriarchæ submisissent, is, habito cum suis Concilio, illam rejecerit, ac pluribus argumentis confutans, nominatim Resp. I. ostenderit, Sacramentis virtutem internam inesse ad conferendam Sanctitatem, uti istud refertur in defens. Perp. Fidei Tom. 5. L. I. Eandem porro & nunc Doctrinam Orientales profiteri, tres Synodi Seculo priore apud eos celebratæ declarant: Constantinopolitana videlicet Anni 1638. jassis in Moldavia habita altera 1642. ac tandem Jerosolymitana sub finem Seculi prioris Præside Patriarcha Dositheo. In his cum Antiquis Patribus est definitum : Sacramenta *non esse nuda divinarum promissionum signa-*

gna — esse Divinæ Omnipotentiæ instrumenta, quæ sub forma visibili producant DEI gratiam, eamque digne accedentibus conferant. Habentur hæc fuse in cit. Defens. Fid.

Eædem definitiones refelluntur in particulari.

I. Contra Socinianos & Anabaptistas id pugnat: quod in eorum Definitione nulla Sacramenti differentia adferatur; ut adeo illa multis aliis eodem, aut etiam potiori jure conveniat. Sic enim Sacri ritus, dierum solennium & abstinentiæ observatio, professio item externa fidei, mors pro Christo obita & similia, sunt signa vitæ spiritualis, quibus Christiani a Judæis vel Gentilibus discernimur, quin tamen hæc Sacramentis accenseri possint. Præterea, si per Anabaptistas Sacramenta non aliud sunt, quam signa de bonis operibus nos admonentia, nihil vetabit in numerum Sacramentorum referre Decalogum, Consilia Evangelica, & universim verbum DEI, quibus omnibus vitæ spiritualis & Christianæ monita continentur. 9

II. Zvinglii definitio evertitur ex iis Scripturæ locis, in quibus Sacramenta asseruntur esse actiones Christi, ut cum ad Ephes. 5. v. 25. Christus dicitur *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; & Joan. 1. v. 33. *baptizans in Spiritu Sancto*; atqui istud sustineri nequit, si Sacramenta, quod Zvingliani volunt, sint oppignoratio tantum, qua se homines Christo obligant: tum enim dicenda erunt actiones potius hominis, quam Christi. Adde: errorem esse manifestum Zvinglii isthic supponentis, ante usum Sacramentorum nos esse justos; cum tamen ab Apostolo per Baptismum Ecclesia dicatur Sancta & munda, *sed sanctificata*, inquit ille, *mundata lavacro aquæ in verbo vitæ.* ad Ephes 5. v. 26. 10

III. Lutheri definitio, præterquam quod non exponat virtutem activam Sacramenti, in quo ejus natura cumprimis sita est; in eo etiam deficit, quod omnibus Sacramentis non con- 11

veniat, si Lutheri doctrina de gratia attendatur. Docet nempe is gratiam non esse aliud, quam remissionem peccati, eamque pure externam, seu non imputationem peccati; quo sensu accepta gratia non est utique proprius effectus omnium Sacramentorum, ac nominatim Eucharistiæ, ut quæ instituta non est ad remissionem peccati, sed ad gratiæ præexistentis augmentum; inde jam ante usum Eucharistiæ emundandus est a delictis animus monente Paulo 1. Cor. 11. 28. *probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Idem est de Sacramento Confirmationis, Ordinis & Matrimonii.

12 IV. Contra Calvinum est, quod is per benevolentiæ divinæ promissionem, quam Sacramento conscientiis nostris obsignari dicit, prædestinationis jam ab æterno factæ promissionem intelligat, ut habet in Antid. Conc. Trident. ad sess. 6. C. 5. ut adeo in sensu Calvini, Sacramentum non aliud sit, quam signum promissionem confirmans factæ prædestinationis. Quot vero hinc absurda! certe sequitur 1mo. solis prædestinatis Sacramenta vere conferri; in non prædestinatis enim prædestinationis promissio obsignari nequit. 2do. Baptismum prorsus nulli esse necessarium, nec utilem ad salutem; nam non prædestinatus eam utique non consequetur, etsi baptizatus fuerit; prædestinatus autem etiam sine Baptismo salvabitur, contra quam Christus Joannis 3. v. 5. edixerit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.*

§. III.

Quibus, tanquam materia & forma, perficiatur Sacramentum?

CUm quæritur: quibus tanquam materia & forma perficiatur Sacramentum? non eo ipso instituitur quæstio de ipsis Sacramenti intrinsecis & essentialibus constitutivis, quæ duo omni-

mnino diversa sunt; cum non omne id, quod rem aliquam perficit, eandem simul constituat, ut obvia docent exempla. Sed neque hoc alterum fori est Theologici; unius enim Metaphysicæ est expendere ea, quæ rerum Naturas intrinsece & essentialiter constituunt. Nihil itaque nobis istud in præsenti dabit negotii; satis habebimus ex sensu PP. ac Conciliorum statuere: quæ illa sint, quibus tanquam materia & forma perficiantur Sacramenta, eaque tam veteris quam novæ legis? Erunt de hoc Assertiones duæ; at his præmittenda sunt quædam.

13 I. Primus, quod sciam, Guillielmus Altissiodorensis, qui sub initium Seculi XIII. floruit, in Theologiam invexit vocabula materiæ & formæ, quibus nunc recepto in scholis more compellamus partes eas, quibus Sacramenta perficiuntur. Has ante illum Ecclesiæ PP. ac Scriptores dicebant *signa sacra*, *symbola mystica*, subinde etiam *verba* & *elementa*; ac si quando voce *materia* vel *forma* uterentur, ea non intelligebant partem, quæ Sacramentum perficiat; sed vel totum Sacramentum, vel ritum, cerimoniam, aut regulam in Sacramentis observandam; uti istud notatur nominatim in Scriptis Tertulliani, Augustini, & Damasceni. Guillielmus igitur, quo Sacramentorum naturam distinctius explicaret, Philosophorum more eam per materiam & formam exposuit in summa sua Theologica, quam Anno 1215. vulgavit; quem etiam subinde magna consensione in hoc secuti sunt posteriores PP. Concilia, præsertim Florentinum ac Tridentinum, omnesque Theologi.

14 II. Ratio, Sacramentorum naturam per materiam & formam exponendi, petitur ab analogia, quæ est inter totum physicum, & Sacramentum tanquam totum morale, cujus videlicet partes sola morali unione conjunguntur. Ut enim in toto physico materia ex se est quid indifferens ad certam naturam componendam; neque ad hanc determinatur, nisi per aliam partem, quæ forma dicitur; ita in Sacramento reperiuntur res sensibiles, ex se ad rationem Sacramenti indifferentes: quæ

tamen ipsæ, accedente verbo, evadunt Sacramenta juxta illud Augustini, de Baptismo, *detrahe verbum*, inquit ille, Tract. 80. in Joan. N. 3. *quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Non incongrue itaque in Sacramentis res sensibilis dicitur materia, verba autem forma; quæ tamen vocabula isthic ad rigorem philosophicum exigenda non sunt; quin in sensu potius metaphorico & improprio accipienda vel ideo, quod Sacramentum a Theologis spectetur non ut copomsitum quoddam physicum, sed morale dumtaxat. Inde & Concil. Florent. in decreto Eugenii Sacramenta dicit perfici *rebus tanquam materia*, & verbis *tanquam forma*; & Concil. Trident. sess. 14. Cap. 3. actus pœnitentis *quasi materiam* Sacramenti pœnitentiæ appellat.

15 III. Rei sensibilis, quæ Sacramenti materiam agit, nomine non substantiam tantum, sed actionem etiam sensibilem venire, jam supra monui. De verbis, quæ Sacramenti formam dicimus, non conveniunt Theologi. Quidam volunt illa esse proprie talia, voces nempe ore prolatas; et hi ipsius etiam Sacramenti Matrimonii formam constituunt in verbis formalibus; iis videlicet, quibus ex ritu Ecclesiæ Parochus vel ejus Vicarius sponsos conjungit. Alii, iique plurimi censent, non verba dumtaxat proprie talia isthic intelligi, verum id etiam omne, quod verborum vicem explet; ut sunt: nutus, & similia signa, quibus animi sensa exprimimus, quæque idcirco Augustinus L. 2. de Doctr. Christ. C. 3. vocat *verba visibilia*, Scholastici autem *verba æquivalenter talia & virtualia.* Hæc ipsa tamen volunt esse ejusmodi, quæ ex institutione Divina rem sensibilem ex se indifferentem determinent ad rationem Sacramenti; uti istud docent fieri in Matrimonio, cujus forma per illos est consensus contrahentium, etiam nutu tantum, aut alio quovis signo externo ab illis manifestatus. De hac controversia differendi opportunior erit locus, cum L. 8. de Sacramenti Matrimonii forma agetur, quam hic, quantum ad præsens quæ-

quæsitum attinet, definire necesse non est. Universim itaque nunc de rebus ac verbis, qualiacunque demum illa sint, quærimus: num iis, tanquam materia & forma, perficiantur omnia Sacramenta? pro quo sit

ASSERTIO I.

Sacramenta veteris legis perficiebantur rebus tanquam materia; non item verbis tanquam forma. 16

PRobatur 1ma pars. Sacramentum in genere est res sensibus subjecta; ergo quodvis, etiam in veteri lege, constabat re aliqua externa & sensibili, quæ erat instar materiæ. Patet idem ex ritu externo, qui mandato DEI observandus erat in ministrandis veteribus Sacramentis; uti istud videre est pluribus locis in Scriptura, ubi describitur Circumcisio, Agnus Paschalis, & reliqua veteris legis Sacramenta.

Probatur ejusdem Assertionis pars altera. Nec PP. nec Concilia, nec Sacræ ipsæ Literæ meminerunt verborum, quæ formæ instar requisita fuissent ad perficienda vetera Sacramenta; certe Gen. 17. describitur ritus Circumcisionis, Exodi 12. ejusdem Agni Paschalis, Levit. 8. Sacerdotum ac Pontificum consecratio, quin tamen his aut aliis ulla præscribatur verborum solemnitas, ergo &c.

ASSERTIO II.

Ad quodvis novæ legis Sacramentum perficiendum requiruntur res tanquam materia, & verba tanquam forma. 17

PRobatur ex Concilio Florent. quod in Decreto Eugenii IV. ad Armenos, de Sacramentis novæ legis §. 5to. agens, ita habet: *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit*

cit Ecclesia ; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. In eodem præterea Decreto Eugenius singulis Sacramentis suam in certis rebus & verbis assignat materiam & formam, quamvis omnino ibidem in materia definienda variet ; cum videlicet quibusdam proximam , aliis tantum remotam assignet. Ita in Baptismo ait aquam esse materiam , quam remotam dumtaxat esse suo loco ostendemus; in Pœnitentia contra, pro materia statuit actus Pœnitentis, quos proximam hujus Sacramenti materiam esse Theologi docent.

Confirmatur Assertio ex sacris Literis , quæ in quatuor Sacramentis res & verba distincte exponunt: in Baptismo quidem ablutionem aquæ & verba baptizantis Matth. 28. v. 19. in Confirmatione impositionem manus & orationem. Act. 18. v. 15. in Eucharistia panem cum vino & verba consecrantis Matth. 26. v. 26. in Extrema Unctione unctionem & orationem Jacob. 5. v. 14. Reliquorum Sacramentorum res & verba licet sacer textus aperte non exprimat, jure tamen ad illa ex prioribus arguitur ; præsertim cum istud ex ipsa Scriptura non incongrue deduci possit , uti istud facturi sumus , cum de singulis speciatim sacramentis differendum fuerit.

Respondetur ad Objectiones.

18 OBjicitur contra Assert. I. Sacramenta novæ legis constant non rebus tantum , sed & verbis ; ergo etiam vetera constabant : cum & hæc veram Sacramenti rationem habuerint.

Resp. C. a. N. c. diversitatis autem hujus ratio est una DEI voluntas : cui libuit Sacramenta nostra verbis perfici , non item illa. Alioquin ad naturam Sacramenti generatim sumpti non requiruntur verba ; cur enim sine illis ex institutione Divina res sensibilis habere nequeat vim significandi & efficiendi aliquam Sanctitatem? Sed & congruum erat Sacramenta novæ & veteris legis non una ratione institui ; nam (ut notat Doctor Angelicus

Qu.

Qu. 60. Art. 6. ad 3.) ſtatus veteris legis erat imperfectior ſtatu noſtro, in quo videlicet fides in Chriſtum jam explicita eſt, quæ tum obſcura dumtaxat fuit; ergo congruum erat illius ſtatus Sacramenta non habere tam expreſſam Chriſti & ejus gratiæ ſignificationem, ut habent noſtra; ac proinde neceſſe non fuit in illis adhiberi verba, quorum præcipuus eſt uſus ad res diſtinctius & clarius ſignificandas. At

19 Inſtari poteſt: DEUS voluit etiam veteris legis Sacramenta verbis perfici, ergo. prob. Ant. Levit. 4. præſcribuntur verba pro Sacrificio peragendo, v. enim 26. additur: *rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Item in Zelotypiæ Cerimonia adhiberi debebant certa verba, ut habetur Num. 5. v. 19.

Reſp. [illegible] a. [illegible] Ad prob. dico 1*mo*. negari a quibusdam vetus illud Sacrificium fuiſſe verum Sacramentum. Dico 2*do*. etſi tale fuerit, Oratio tamen illa Sacerdotis, licet a DEO præſcripta, non habebat vim formæ, per quam videlicet Sacrificium in ratione Sacramenti perficeretur. Conjicitur id ex eo, quod ad Sacrificium pro peccato Sacerdotis peragendum non fuerit præſcripta ulla oratio, ut videre eſt cit. Cap. in Levit. Uſus igitur Orationis in priore illo Sacrificio erat, ad peccati dumtaxat remiſſionem facilius obtinendam. Quod de Zelotypia additum eſt, perinde non urget: nam, ut communis eſt Theologorum opinio, cerimonia illa non erat Sacramentum; neque enim inſtituta fuit ad Sanctitatem aliquam ſignificandam & cauſandam, ſed ad inveſtigandum tantum & puniendum adulterii crimen.

20 Objicitur I. contra Aſſertion. 2*dam*. In quibusdam novæ legis Sacramentis verba non tantum formam, ſed & materiam agunt: nonnunquam penitus deſunt: ex adverſo alias ſola illa totum Sacramentum conficiunt; ergo non recte dicuntur omnia perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Prob. A. ſic enim 1*mo*. Sacramenti Pœnitentiæ materia eſt

Con-

Confessio, quæ fit verbis, ut habetur in Decreto Eugenii ad Armenos §. *quartum Sacramentum*. *2do*. Sacramentum Matrimonii vel solis verbis perficitur, cum nempe contractus fit per verba; vel perficitur solis rebus, si videlicet contractus idem per solos nutus, aut signa externa similia peragatur, ergo.

Resp. N. a. in sensu objectionis. Ad prob. 1. partem dico: non solam Confessionem esse Sacramenti Pœnitentiæ materiam, sed & alias res a verbis omnino diversas, ut sunt dolor & satisfactio, quod ipsum Eugen. cit. loco diserte habet. Præterea, cum in Concilio Florentino res dicuntur esse Sacramentorum materia, id eo sensu accipiendum est: quod in omnibus Sacramentis ex parte materiæ sit res aliqua, seu deinde hæc præterea cum verbis conjuncta sit, seu ab illis penitus secreta.

Ad *2dam*. prob. partem Resp. falsum esse, quod illic asseritur; semper enim Sacramentum Matrimonii perficitur re aliqua, nempe consensu contrahentium, tanquam materia; & verbis tanquam forma, quæ sint nempe vel proprie talia: aut his saltem æquivaleant, ut sunt signa, quibus verborum loco contrahentes consensum exprimunt. Videndum hic, quod supra notavi N. 15.

21 Objicitur II. Res & verba ex se sunt indifferentia, neque nisi per institutionem Divinam ad rationem Sacramenti determinantur; ergo in Sacramentis non res tantum, sed & ipsa verba agunt materiam, ac sola institutio Divina formæ munus obit.

Resp. C. a. D. c. si Sacramentum sumatur pro toto morali, prout hoc complectitur tam res & verba, quam institutionem Divinam C. c. si, supposita institutione, sumatur tantum pro ipsis rebus & verbis N. c. Dici etiam potest: res per verba proxime determinari ad rationem Sacramenti; per ipsam autem Institutionem remote dumtaxat.

In-

Instabis I. Si verba formæ instar proxime determinarent 22 res, tanquam materiam, ad rationem Sacramenti, res & verba in Sacramentis conjungi necesse foret, uti contingit in materia & forma aliorum compositorum; atqui id non fit semper e. g. in Sacramento Pœnitentiæ, quod validum est, etsi absolutionis Sacramentalis verba a peracta Confessione, quæ Sacramenti hujus materia est, serius pronuncientur, ergo. Adde: verba in quibusdam Sacramentis sunt eorum causa efficiens; sic enim Concil. Florent. in cit. sæpius Decr. formam Sacramenti Eucharistiæ ait esse verba Sacerdotis, quibus hoc conficitur Sacramentum; Item ibid. causam efficientem Matrimonii regulariter esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum; at causa alicujus rei efficiens nequit esse ejusdem forma; ergo saltem omnia Sacramenta non perficiuntur verbis tanquam forma.

Resp. D. maj. res & verba in Sacramentis conjungi necesse foret conjunctione, seu unione morali C. maj. unione reali & physica; ita ut verba rebus semper re ipsa coexistant. N. maj. D. etiam min. id non fit hoc altero modo C. min. primo modo N. min. & conf. Ratio hæc dicendi: nam Sacramentum est compositum dumtaxat morale, in quo partes, quibus illud perficitur, satis est copulari moraliter; id quod tum habetur, cum verba præsentia ex intentione proferentis referuntur ad res jam præteritas, uti in Sacramento Pœnitentiæ nonnunquam contingit.

Ad id, quod additum est: C. maj. D. min. nequit esse ejusdem forma proprie talis T. min. nam & istud Philosophi controvertunt. nequit esse forma improprie talis, qualis est in Sacramentis, ut jam supra monui N. min. &c. Res & verba testimonio Concilii Florentini sunt tantum *tanquam materia & forma*, ac proin in sensu improprio, idque ob rationem jam alias relatam; non debent proinde cum physica vera materia & forma in omnibus comparari. Verum

23 Instabis II. Quamvis Concil. Trident. Sess. 14. de Sacr. Pœnit. Cap. 3. actus pœnitentis nominet *quasi materiam* hujus Sacramenti, ii tamen sunt vera ejusdem Sacramenti materia, uti cit. locum Catech. Rom. authoritate Pii V. editus exponit his verbis: *neque vero hi actus quasi materia a Sacra Synodo appellantur, quod veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & Chrysma in Confirmatione;* ergo etiam universim res & verba sunt vera & in sensu proprio Sacramentorum materia & forma, licet in Conc. Florent. dicantur tantum *tanquam materia* & *tanquam forma:* quodque hinc consequitur, frustra in responsione adsertur, verba Sacramenti non esse ejusdem formam veram & proprie talem.

Resp. D. a. ii tamen sunt vera Sacramenti materia, hoc sensu, quod sint materia ejusmodi, qualis per Concil. Flor. requiritur ad perficiendum Sacramentum, velut totum aliquod morale C. a. sunt vera hoc sensu, quod sint perinde materia, ac in composito physico materia esse debet N. a. &c. Sane, etsi cit. Catechismus Rom. supponat aquam in Baptismo, & chrysma in Confirmatione esse veram materiam, hæc tamen ipsa juxta Concil. Florent. sunt tantum *tanquam materia*; ergo etiam actus Pœnitentis, licet in Catech. Romano dicantur habere rationem veræ materiæ, non aliter tamen sunt vera materia, quam in sensu paulo ante exposito, ac proinde minus proprie: si videlicet cum vera compositi physici materia comparentur.

§. IV.

An verba, quibus tanquam forma perficitur Sacramentum, sint concionalia, an consecratoria?

Controversia hæc nobis est cum Lutheranis & Calvinianis, qui, quod sola fide, contra quam nos, hominem justificari doceant, Sacramentisque proinde vim justitiæ efficiendæ omnem

omnem abrogent, verba Sacramentorum diverso a nobis sensu usurpare necesse habent. Quo de hoc Ecclesiæ Doctrina planior fiat, dicendum prius; quid isthic nomine verborum Concionalium & Consecratoriorum veniat? quæ item ad perficiendum Sacramentum Novatores requirant? Itaque

24 I. Verba *Concionalia* sunt illa, quæ in Sacramenti administratione alta ac intelligibili proferuntur voce. Eadem, quatenus in audientibus fidem excitant, & de mysterio eos docent, dicuntur *verba instructionis* & *Doctrinæ*; *promissoria* vero seu *verba promissionis*, si iis Divinæ promissiones contineantur & exponantur. Verba *Consecratoria* (prout hic sumi debent) sunt ea, quibus res, ex se profana, ad usum sacrum traducitur ita, ut naturam Sacramenti induat, vim deinceps habitura operandi gratiam.

25 II. De verbis nunc expositis germanam Novatorum Doctrinam proferre, haud pronum est; tum quod non satis se explicent, tum quod varient. Ut certa secernamus ab incertis: tam Lutherani quam Calviniani ad perficiendum Sacramentum requirunt verba Concionalia, eaque instructionis simul & promissionis; seu deinde ea sint illa, quæ Sacramenti ministrationi præmittunt pro erudiendis de Mysterio præsentibus; seu ea, quæ nos formam Sacramentorum dicimus, ut in Eucharistia *hoc est Corpus &c.* Et de Calvinianis quidem istud extra dubium est; nam Calvinus L. 4. Instit. C. 14. §. 4. diserte docet, verbum Sacramenti esse istud, *quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit* &c. & infra: *ergo, cum de verbo Sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, quæ clara voce a Ministro prædicata plebem eo manuducat, quo signum tendit, ac nos dirigit.* Eandem & Lutheranorum esse doctrinam, patet tum ex L. Melanchtonis de Locis C. de Baptismo: tum ex praxi & Confessione eorum; inde verba Sacramentalia, quo ab adstantibus intelligi queant, lingua vernacula enunciant. Illud tamen

hic de utrisque addendum: quamvis verba hæc Concionalia requirant ad perficiendum Sacramentum, ut plurimum tamen negant ea essentiam illius constituere, ut habet Danæus ad C. 19. Libri I. Bellarmini de Sacramentis, Controv 3. ubi ait, explicationem promissionis DEI esse tantum ad verum Sacramenti usum necessariam.

Verbi Consecratorii vox magis ambigua est apud Novatores. Ut enim Calvinus L. 4. Inst. C. 4. n. 16. dicat, Sacramentum esse *consecratum verbo Domini Symbolum*; ac passim Calviniani asserant, verba Sacramentorum esse consecratoria; id tamen eo tantum sensu intelligunt, quod in Sacramentis res sensibilis ab usu profano per verba traducatur ad sacrum; non item, quod eandem reddat in sensu Catholico Sacramentalem, seu gratiæ Sacramentalis operativam. Fatentur istud ultro Calviniani, ac notanter Turretinus Genevensis Academiæ Theologus, qui de Sacram. Quæst. 6. n. 2. ita se & suos explicat: *admittimus verbum Sacramentale institutionis prædicatum esse etiam consecratorium respectu signorum, quatenus per illud ab usu profano transferuntur ad sacrum.* Idem infra N. 3. *hinc patet*, inquit, *status quæstionis: non, an detur verbum Sacramentale consecratorium, quod non negamus; sed an ita sit consecratorium, ut sit etiam operativum, quod negamus.* De Lutheranis idem esto judicium: licet enim eorum aliqui verba institutionis cum intentione consecrandi proferant; alii tamen, teste Bellarm. L. 1. de Sacram. C. 19. ea mere historice recitant; quidam etiam penitus omittunt.

Neque omnino sensu alio a Novatoribus verba consecratoria sumi possunt, cum per illos Sacramenta sint nuda signa, quæ per se ac immediate gratiam non conferunt; verum, exhibendo tantum promissiones Christi, excitant promissionum fidem, quæ deinde sola justificat. Inde universim ab illis verba in Sacramentis non alio proferuntur fine, atque ut per ea Sacramentum recipiens de Mysterio erudiatur, & ad fidem pro-

mif-

missionum, quæ Sacramento velut obsignantur, excitetur. Ex quo clara est consecutio, Lutheranorum & Calvinianorum doctrinam esse: verba Sacramentorum esse mere concionalia, & non consecratoria. Oppositum habet Ecclesiæ Catholicæ dogma, quod jam explanandum est.

ASSERTIO I.

Ad perficiendum Sacramentum non requiruntur verba Concionalia.

UT Assertio firmetur, satis fuerit ostendere, sine verbis Concionalibus valere Baptismum; ab hoc enim legitima consecutio est ad reliqua Sacramenta. Quin, cum nobis sermo sit cum Novatoribus, necesse non est de reliquis Sacramentis singillatim loqui, ut quæ, si Eucharistiam demas, fere rejiciunt. De Baptismo autem probatio ita instituitur: ad valide perficiendum eum requiri verba concionalia neque ex Scriptura & Patribus, neque traditione & usu Ecclesiæ, nec denique ratione ulla ostendi potest, ergo. Antecedens propositio tres habet partes; singulæ speciatim declarandæ sunt. 26

I. Non ex Scriptura & Patribus; id clarum fiet ex iis, quæ ad Objecta dicturi sumus.

II. Non traditione & usu Ecclesiæ: nam pædobaptismus etiam in primæva Ecclesia semper pro rato est habitus, quin unquam ejus occasione adhiberetur Concio, cujus certe apud nullum Scriptorem vel vestigium reperias. Ipsi imo Novatores, licet probe norint in Ecclesia Catholica parvulos, privata tantum verborum forma, ac proinde sine verbis concionalibus baptizari, eorum tamen Baptismum valere censent; neque enim rebaptizant Apostatas, qui apud nos in infantia baptizati, ad eos deficiunt. Fatetur certe istud Calvinus L. 4. Inst. C. 15. ubi etiam §. 19. contendit se in infantia apud Catholicos valide baptizatum fuisse, quamvis in Baptismo illo

adhibita non fuerit concio, qua proponerentur & explicarentur promissiones divinæ.

His grave accedit momentum & inde, quod Concil. Constantinopolit. I. A. 381. habitum, quod erat Generale II. agnoverit validum esse Baptismum Arianorum, Macedonianorum &c. eo quod præscriptam a Christo Baptismi formam observarent; unde etiam Can. 7. definivit, eos ad Ecclesiam redeuntes rebaptizari non debere. Idem de Marcionatorum Baptismo hypothetice sensit S. August. L. 3. contra Donatist C. 15. si inquit, *Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum; quamvis ejus fides sub eisdem verbis -- non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* Ex his ita arguo: quamvis verba *in nomine Patris, & Filii &c.* pravo sensu acceperint & exposuerint Hæretici, si tamen ea integre pronunciarunt, validus erat Baptismus; ergo aut non requiritur concio: aut admittendum, verbis etiam hæretico sensu acceptis, & perverse expositis ac prædicatis perfici Sacramentum, quod dici vel Novatorum aures non sustinent.

III. Denique ostendi nequit ratione. Quo enim titulo necessaria sit ad Baptismum concio? Non 1*mo.* titulo Sacramenti: cum Baptismus sine concione valeat tam Ecclesiæ, quam ipsorum Novatorum sententia, ut paulo ante dictum. Non 2*do.* titulo Ministri: nam a se ipso docetur nemo; munus præterea Ministri, per ipsos Sectarios, non est doceri, sed docere. Non 3*tio.* titulo eorum, qui Baptismo præsentes adsunt: hic enim sæpe nemine omnino præsente conferendus est, ac confertur; quis autem eum valere negaverit? Non demum ipsius baptizandi causa: qui si parvulus sit, verba concionatoria non percipit, atque ita illis nequit erudiri, & ad promissionum fidem erigi. At

Dices forte cum Luthero, Baptismi tempore usum rationis a DEO concedi parvulis; verum hæc supra leges naturæ per-

perceptio nullo Sacrarum Literarum testimonio firmari potest. Quin vagitibus suis, lachrymis, aliisque Baptismi tempore indiciis parvuli satis commonstrant, nihil se omnino eorum cognoscere, quae in ipsis salutare lavacrum operatur. Apposite in hanc rem August. de Peccatorum meritis L. 1. C. 36. *illas*, inquit, *consideremus tenebras, mentis rationalis, in quibus & DEUM prorsus ignorant, cujus Sacramentis, etiam cum baptizantur, obsistunt.*

Nec Calvini responsum sustineri potest, qui L. 4. Inst. C. 16. ait; parvulis, cum baptizantur non prodesse quidem Baptismum, cum ejus significationem non percipiant; eundem tamen subinde profuturum. Etenim, si concio perficit Sacramentum, percipienda ab infantibus illa est, cum baptizantur: sicut hoc ipso tempore corpus eorum aqua tingi debet. Plures præterea infantes ante usum rationis moriuntur, quibus tamen salutarem fuisse Baptismum Calviniani fatentur.

ASSERTIO II.

Ad perficiendum Sacramentum necesse est verba esse consecratoria.

Prob. 1mo Assertio. Ad perficiendum Sacramentum requiruntur verba; at hæc, ut jam ostensum est, non sunt concionalia, ergo consecratoria. 27

Prob. 2do ex Scriptura & PP. & quidem de Baptismo tantum, a quo rursum ad alia Sacramenta arguendum erit: cum Christus Matth. ult. Apostolos misit ad evangelizandum & Baptismum gentibus ministrandum, non dixit, docete nomen Patris & Filii &c. sed *docete – baptizantes in nomine Patris* &c. quod idem est, ac baptizate invocantes nomen Patris & Filii &c. jam vero hæc invocatio est ipsa consecratio, per quam videlicet aqua acquirit vim mundandi & sanctificandi animam; ergo verba, quibus perficitur Baptismus, sunt consecratoria.

Maj.

Maj. est clara ; Min. evincitur testimonio Patrum. Certe Cyrillus Hierosol. Catechesi 3. *aqua*, inquit, *simplex per Sancti Spiritus*, *Christi*, & *Patris invocationem accepta virtute sanctitatem consequitur*. Et August. L. 6. de Bapt. C. 25. hæc habet: *dicimus non omnem Baptismum, sed Baptismum Christi, id est verbis Evangelicis consecratum, eundem esse*; de verbis autem his Evangelicis sensum suum jam ante L. 3. C. 15. aperuit, ubi, *si Evangelicis*, inquit, *verbis*, *in nomine Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti Marcion Baptismum consecrabat* &c. Idem sensit Dionysius Areop. L. enim de Hierar. Eccl. C. ult. verba Sacramentorum appellat voces consecratorias.

Prob. 3tio peculiari testimonio Augustini Tract. 80. in Joan. N. 3. cujus loci textum infra N. 31. integre dabimus. Ex eo in rem nostram cumprimis hæc faciunt: *detrahe*, ait, *verbum*, *quid est aqua*, *nisi aqua? accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*: — *Unde tanta virtus aquæ*, *ut corpus tangat & cor abluat*, *nisi faciente verbo?* — *Mundatio nequaquam tribueretur elemento*, *nisi adderetur*, *in verbo*. Et paulo ante hoc esse verbum dixit, *quo*, *ut mundare possit*, *consecratur & Baptismus*. Consecrari autem his verbis Evangelicis, *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* fatetur S. Doctor supra cit. L. 3. de Bapt. C. 15. En! Augustini Sententiam de verbo Sacramentali, quo utique non concionale, sed consecratorium designat.

Ad Novatorum objecta respondetur.

28 OBjiciunt I. Christi verba apud Matth. C. ult. v. 19. *Euntes docete omnes Gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris &c. docentes eos servare omnia*, *quæcunque mandavi vobis*. Hinc ita arguunt: Christus prædicandi officium cum Baptismi ministratione conjunxit; ergo in Baptismo voluit adhiberi verba etiam concionatoria.

Resp.

Resp. D. ant. conjunxit ita, ut prædicationem requireret tanquam præparationem in rationis usum habentibus præmittendam C. a. tanquam partem ad valide perficiendum Baptismum simpliciter necessariam N. a. similiter distinguenda est illatio. Præcepit nempe Christus Concionem, seu instructionem adultorum Baptismo præmittendam, quod & facit Ecclesia; hanc ipsam tamen non voluit esse formam Sacramenti vel ideo, quod eam a Baptismo secreverit, tria distincta Apostolis injungens juxta S. Hieronymum in cit. Matth. locum. *Ordo*, inquit ille, *præcipuus est: jussit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes; deinde fidei intingerent Sacramento; & post fidem ac Baptisma, quæ essent observanda præciperent.* Sane, si verba hæc postrema, quibus observanda præcipiuntur, vel Novatoribus fatentibus, non pertinent ad perficiendum Sacramentum, cur prima illa pertineant? Ut enim hæc mandato Christi sequuntur Baptisma, sic præcedunt illa.

Instant 1. ex Apostolo ad Eph. 5. v. 25. ita loquente: 29 *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit se ipsum pro ea, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hinc inferunt, Christum conjunxisse Baptismo prædicationem, tanquam partem illius, id quod his probant: verbum, de quo Apostolus loquitur, est ipsa prædicatio, de qua Christus dixit, *euntes docete* &c. at per Apostolum verbum hoc simul cum aquæ lavacro mundat Ecclesiam, ergo.

Resp. ad Argumentum. N. maj. idque ad mentem Patrum, juxta quos illud *in verbo vitæ*, non refertur ad verba *docete omnes* &c. sed ad illa: *baptizantes eos in nomine Patris &c.* Verbo vitæ proinde non prædicationem, sed Sanctissimæ Trinitatis invocationem designat Apostolus. Sententia hæc est S. Theophili Alexandr. qui Enarratione sua in cit. Apostoli locum hæc habet: *purgavit lavacro aquæ, hoc est baptismate: in verbo, quali? in nomine Patris &c.* Idem sensit S. Chrysost. Hom. 20. in eund. loc. *lavacro*, inquit, *lavat in verbo, quoniam in nomine Pa-*

tris &c. Eadem legere est apud Theodoretum & Anselmum, in cit loc. commentantes. At adversum istud

30 Instant 2. ex S. Hieronymo, qui in Commentario Cap. 5. ad Ephes. per *verbum vitæ* interpretatur verbum doctrinæ; ergo, inferunt, positum ex Apostolo urget argumentum.

Resp. cum Bellarmino. S. Hieronymus ibi non literalem, sed tropologicum, seu mysticum sensum exponit; hinc nomine lavacri, non baptisma, sed mundationem intelligit quamlibet, quæ etiam per doctrinam fieri potest. Verba Hieronymi cit. loco hæc sunt: *quia vero secundum tropologiam viros animas, & uxores corpora dixeramus, sic diligat anima corpus, quomodo Christus Ecclesiam, ut semetipsum tradat pro salute ipsius, & eam sanctificet verbo doctrinæ.* Ex Primasio & Sedulio hæc etiam dicti loci interpretatio est: hortari nempe ibi Apostolum, ut viri diligant uxores exemplo Christi; quo videlicet sicut Christus Ecclesiam in Baptismo sibi desponsatam erudit, ita mariti non tantum copulentur uxorum corporibus, verum etiam verbo doctrinæ illas mundent & sanctificent. Nihil igitur favet Novatoribus Hieronymus. Mundatio quippe & Sanctificatio recte tribuuntur non tantum Sacramento, sed & doctrinæ, diverso tamen sensu; Sacramento quidem, ut signo Sanctitatem efficienti: Doctrinæ autem, tanquam dispositioni.

Eadem fere ratione exponendus est S. Ambrosius, cum L. de Mysteriis C. 3. N. 14. dicit, aquam sine prædicatione Dominicæ Crucis non esse salutarem; nomine prædicationis enim hic intelligit invocationem Patris & Filii &c. per quam in Baptismo adhibitam ratione quadam, licet minus proprie, Crux Domini prædicatur. Cæterum frustra Novatores Ambrosium appellant, ut qui cit. loco. N. 9. aperte docet, aquam baptismatis pollere divina sanctificandi virtute.

31 Objiciunt Novatores II. authoritatem S. Augustini, qui Tract. 80. in Joannem ita habet: *Unde ista tanta virtus aquæ,*

ut

ut corpus tangat & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur; nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus &c. Ex hoc loco clarum esse ajunt, Augustinum docuisse, aquam Baptismi virtutem cor mundandi habere a verbo; sed hoc verbum idem S. Doctor dicit esse verbum, quod prædicatur, proinde Concionale; ergo per illum verbum, quod Baptismum perficit, est Concionale.

Ante Resp. sciendum est, locum hunc Augustini visum nonnullis Theologis perdifficilem; inde exponunt eum varie, quo se argumento expediant. Bellarminus censet, Augustinum loqui nunc de verbo concionali, nunc de consecratorio. Du-Hamel putat cit. loco dici, verbo vim inesse, non ut sonus est transiens, sed ut fidei mysterium continet in ipsa SS. Trinitatis invocatione. Tournelii opinio est, S. Doctorem agere de omni verbo, per quod fit cordis mundatio: quæ sine dubio semper oritur a verbo, sive ea fiat per Sacramentum, sive extra illud. Alii adferunt alia. Quo de genuino sensu judicium ferri possit, cit. textum prius integre subjiciendum censui. Igitur S. Doctor Tract. 80. in Joan. super illa Christi verba, *jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, N. 3. ita commentatur. *Quare non ait, mundi estis propter Baptismum, quo loti estis, sed ait, propter verbum, quod locutus sum vobis? nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes Discipulis lavit: qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod*

prædicamus, ait *Apostolus*, *quia si confessus fueris in ore tuo*, *quia Dominus est JESUS*, & *credideris in corde tuo*, *quia DEUS illum suscitavit a mortuis*, *salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam*, *ore autem confessio fit ad salutem. Unde in Actibus Apostolorum legitur : fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua S. Petrus*, *sic & vos*, *inquit*, *Baptisma salvos facit*, *non carnis depositio sordium*, *sed bonæ conscientiæ interrogatio. Hoc est verbum fidei*, *quod prædicamus : quo sine dubio*, *ut mundare possit*, *consecratur & Baptismus. Christus quippe nobiscum vitis*, *cum Patre Agricola*, *dilexit Ecclesiam*, & *se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum*, & *vide*, *quid adjungat : ut eam sanctificaret*, *inquit*, *mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento*, *nisi adderetur*, *in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia DEI*, *ut per ipsum credentem*, *offerentem*, *benedicentem*, *tingentem*, *etiam tantillum*, *mundet infantem : quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam*, & *ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum*, *de quo Dominus ait*, *jam vos mundi estis propter verbum*, *quod locutus sum vobis.* His præmissis, jam ad objectionem

Resp. C. maj. N. min. ut ea in terminis est. Rationem negandi peto ex sententia Bellarmini, cum quo censeo Augustinum cit. loco nunc de verbo concionali, nunc de Sacramentali & consecratorio loqui ; una tamen adjicio, præcipuam partem illic habere verbum consecratorium. Clarum fiet istud, si expendantur singula, ac etiam invicem conferantur.

Præcipue quidem S. Doctorem loqui de verbo consecratorio, ita arguo. Etenim 1*mo* dicit : *detrahe verbum*, *quid est aqua*, *nisi aqua ?* at Baptismus etiam per Novatores valet sine verbo concionali, ut patet ex N. 26. 2*do* illud, *accedit verbum ad elementum*, & *fit Sacramentum*, non est de verbo concionali ; hoc enim non accedit ad ablutionem aquæ,

sed

ſed præcedit illam. Et illo utique accedente verbo dicit fieri Sacramentum, quo alibi L. nempe 3. contra Donat. C. 15. dixit conſecrari Baptiſmum, verbo videlicet Evangelico, ſeu SS. Trinitatis invocatione. 3*tio* ait, *verbo mundari infantem*; at verbum concionale mundare nequit niſi excitando fidem, cujus ille incapax eſt, ut notat hic ipſe Auguſt.

Quod & verbi concionalis dicto loco S. Doctor mentionem aliquam injiciat, vix negari poteſt. Nam 1*mo*. cum ad quæſtionem ſtatim principio reſpondet: *niſi quia & in aqua verbum mundat*, perinde eſt, ac ſi dicat: non illo tantum verbo, quod alias locutus ſum vos erudiens, ſed & illo, quod in Baptiſmo adhibetur, mundati eſtis. Hunc ſenſum notat particula *& in aqua*; quæ quid aliud ex mente Auguſtini deſignat, ac: verbum non extra aquam tantum, ſed & in aqua, ſeu Baptiſmo mundat; verbum autem extra Baptiſmum, non eſt conſecratorium. 2*do* Sub medium ait: *hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*, extra Baptiſmum videlicet. Idem enim verbum, quo fit Sacramentum, invocationem nempe SS. Trinitatis, extra Baptiſmum prædicabat Apoſtolus. Senſum hunc eſſe conjicitur ex ſubjecto Apoſtoli verſu: *quia ſi confeſſus fueris &c.* quod concionali verbo convenit, non item ſemper conſecratorio: hoc enim infantem novimus ſalvum fieri, etſi nondum valentem corde credere, & ore confiteri. 3*tio* denique Auguſt. hic agit de Chriſti ſermone, propter quem mundi erant Apoſtoli; ſermo autem hic non tantum fuit verbum Baptiſmi, ſed & verbum prædicationis, quo eruditi a Chriſto diſponebantur ad juſtitiam. Iſthuc reſpexit S. Doctor, cum concludit: *totum hoc fit per verbum*, *de quo Dominus ait*, *jam vos mundi eſtis propter verbum*, *quod locutus ſum vobis;* propter verbum videlicet, quod locutus ſum, ſive cum vos erudii ac docui: ſive quo in Baptiſmo ſanctificati eſtis.

32 Inſtare poſſunt Adverſarii: S. Auguſtinus ipſum illud verbum, quo faciente aqua in Baptiſmo tantam virtutem acquirit, cenſet

ſet eſſe concionale; poſtquam enim quæſivit, unde tanta virtus aquæ a verbo? ſubdit: *non quia dicitur*, *ſed quia creditur*; ergo verbum Sacramentale debet excitare fidem: at hoc ſit per prædicationem, cum fides ſit ex auditu; ergo ipſum etiam verbum Sacramentale per Auguſtinum eſt verbum prædicationis ſeu concionale.

Reſp. male argui ab Adverſariis; per illud enim, *quia creditur*, non intellexit Auguſt. fidem verbo concionali excitatam ſeu in baptizante, ſeu in baptizato. Non in baptizante: baptizare enim etiam Gentilis poteſt, modo intentionem habeat faciendi, quod facit Eccleſia, uti ipſe Auguſt. docet Ep. 23. ad Bonifacium. Non etiam in Baptizato: cum per eundem Auguſt. hoc ipſo, de quo agimus, loco, in Baptiſmo *verbum fidei mundet infantem*, *quamvis non valentem corde credere &c.* Ex mente igitur S. Doctoris, aqua in Baptiſmo virtutem acquirit a verbo, *non quia dicitur*, id eſt: non a nudo verbi Sacramentalis ſono, qui auditus dumtaxat objectum eſt; *ſed quia creditur*, hoc eſt a latente ſub ſono illo virtute, quæ eſt objectum fidei, unde etiam verbum Sacramentale dicitur *verbum fidei*. Hoc ſenſu fuiſſe locutum Auguſtinum, declarant ea, quæ ſubjicit: *nam & in ipſo* verbo aliud eſt ſonus tranſiens, quod eſt *dicitur*; & *aliud virtus permanens*, quod appellat ad *creditur*. His jam attentis omnibus, reſponſum ad pauca reſtringo: verbum Sacramentale ex mente Auguſtini mundat, non quia dicitur, ſed quia creditur, hoc ſenſu, quod non ideo mundet, quia ſonus dumtaxat ejus auditu excipitur; ſed quia idem eſt invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt objectum fidei. C. hoc ſenſu, quod mundet, quia in ipſo Baptiſmo prædicatum a baptizante, vel baptizato actu creditur N. Atque hæc paulo prolixius ad Argumentum, in quo ſibi Novatores mirum plaudunt; quo videlicet pateret, nihil illis in S. Auguſtino eſſe præſidii: neque niſi cum inſigni injuria eum Doctrinæ Catholicæ opponi.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE
EXISTENTIA ET INSTITUTIONE SACRAMENTORUM.

§. I.

An aliqua Sacramenta fuerint ante ſtatum Legis novæ?

CUm Sacramenta vetera noſtrorum figura fuerint, congruum eſt, de illis quædam præmittere, antequam de his diſſeramus. Vetera autem dicuntur omnia, quæ ante ſtatum legis novæ ſeu Evangelicæ extiterunt; ſeu deinde ea fuerint in ſtatu naturæ integræ, ſeu naturæ lapſæ, aut demum legis veteris. Atque de his omnino tribus ſtatibus iſthic quæſtio inſtituitur: num in illis videlicet aliqua Sacramenta fuerint? Quo ſententiam noſtram clarius expromamus, de ſtatibus ſingulis agendum erit ſpeciatim.

De Statu Naturæ integræ.

STatus hic etiam innocentiæ, ſive juſtitiæ originalis ſtatus vocatur; eſtque ille, in quo primi Parentes noſtri nondum culpa ſe ulla inquinaverant. In hoc nulla fuiſſe Sacramenta vel ex eo veroſimile eſt, quod nec Scriptura aut Traditio, nec Patres, neque Concilia ullius meminerint. Apoſtolus quidem ad Ephes 5. univerſim Matrimonium vocat Sacramentum magnum in Chriſto & in Eccleſia; at quis inde Matrimonium Adæ & Evæ arguat fuiſſe in ſenſu proprio Sacramentum? 33

tum? cum neque Sanctitatem ullam contulerit, neque significaverit gratiam per Christi merita in lege nova conferendam. Dixi *in sensu proprio*: in latiore enim & minus proprio Sacramentum dici potuit, quatenus erat signum rei sacræ, futuræ videlicet conjunctionis Verbi cum Natura Humana, aut Christi cum Ecclesia. Nec alio sensu intelligendus est Leo I. aliique Patres, cum Matrimonium Adæ & Evæ Sacramentum compellant; aut cum nomen idem Augustinus ligno vitæ attribuit L. 13. de Civ. Dei C. 20.

Neque interim negaverim, in statu hoc innocentiæ, præsertim si diuturnior fuisset, potuisse a Deo institui aliqua Sacramenta; neque enim hæc tum otiosa futura erant, ut quæ utilia esse poterant non tantum ad fidem externe profitendam, sed etiam ad augendam gratiam. An autem, statu illo diutius perdurante, re ipsa instituta fuissent, id incertum est; quando istud ab una DEI pendebat voluntate, de qua nobis usque huc certi nihil innotuit.

De Statu Naturæ lapsæ.

A Lapsu primorum Parentum status hic initium duxit, ac deinde perduravit usque ad circumcisionem Abrahæ; quamvis a plurimis usque ad legem Moysi traditam producatur. Et de hujus status Sacramentis nulla rursum omnino in Scripturis mentio; Theologorum tamen communior, argumento a Patribus ducto, aliquod saltem illi attribuendum censet. Sententiæ eorum accedo & ipse; ante Assertionem tamen juverit notasse tria.

34 I. In statu hoc fuisse aliquod remedium, ad abolendum in parvulis peccatum originale a DEO constitutum. Ratio hujus petitur ex generali voluntate DEI salvandi omnes. Docet idem August. L. 5. contra Julian. c. 9. ubi ait: *nec ideo credendum est ante circumcisionem famulos DEI, quandoquidem*

dem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura Sacra latere voluerit. Idem sentiunt S. Prosper L. 2. de vocat. Gentil. Author Cardinalium Christi operum L. de Circumcis. Innoc. III. Cap. Majores, de Baptismo, Gregorius M. Beda, Bernardus, Hugo a S. Victore, D. Thomas, & universim Scholæ Doctores.

35 II. Remedium hoc fuit signum aliquod externum, & non actus mere internus, voluntate parentum, aut etiam aliorum ad parvulum directus. Ita S. Th. 3. Par. Qu. 70. A. 4. ad 2. & pluribus aliis locis. Deducitur vero istud ex cit. Augustini verbis: remedium enim hoc vocat *Sacramentum*, quo universim intelligitur signum aliquod sensibile. Addit præterea: *quod illud esset, Scripturam latere voluisse*; quæ certe latere non voluit actum illum internum, qui ad hoc remedium requirebatur, fidem nempe in Messiam, ut mox ostendetur. Huc facit & illud: quod remedio isto ab originali noxa emundati infantes, simul DEO consecrati fuerint, & inserti Ecclesiæ visibili; id quod per signum externum fieri congruum erat non minus in lege naturæ ac gratiæ, quo videlicet de Membris suis constaret Ecclesiæ. Quod interim hoc signum fuerit, quis divinet? S. Thomas putat fuisse preces Parentum pro parvulis, vel benedictionem aliquam, oblationem parvulorum, aut protestationem fidei.

36 III. Signum istud externum fuit contestativum fidei de venturo Messia. Etenim, cum sine fide impossibile sit placere DEO, sine hac nulli unquam contigit justificatio, ut docet Trident. sess. 6. c. 7. Hæc ipsa porro fides, etiam in statu naturæ, in Christum esse debuit vel ideo, quod omnium salus, & justificatio ab eo, tanquam Mediatore & Salvatore, procedat juxta illud Act. 4. *nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Aperte de hoc Augustin. L. 2. de Nuptiis c. 12. *eadem*, inquit, *fides Me-*

Mediatoris salvos Justos faciebat antiquos pusillos cum magnis. — Quia sicut credimus nos Christum in Carne venisse, sic illi venturum &c. Idem habet Ep. 190, alias 157. ad Optatum. Cæterum hoc statu fidem in Christum implicitam sufficisse, & communior & certior est sententia: qui enim DEUS explicitam requireret? quæ nondum erat ita proposita, ut omnes homines in cognitionem ejus potuerint pervenire. Implicita autem hæc fides fere consistebat in actu, quo credebatur DEUS Salvator hominum per media suæ providentiæ, quorum præcipuum est Christus. Alii actus assignant alios. His notatis ultro fluit

ASSERTIO I.

Remedium in statu Naturæ lapsæ pro parvulis a DEO institutum, fuit verum Sacramentum.

37 PRobatur Assertio. Ex iis, quæ præmissa sunt, ad mentem PP. præsertim S. August. constat, remedium hoc fuisse signum sensibile a DEO institutum, significans gratiam, & conferens aliquam sanctitatem; atqui istud nomine veri Sacramenti intelligitur, ut patet ex Differt. I. ergo ex sensu SS. PP. remedium hoc fuit verum Sacramentum. Duo postrema Maj. propositionis Membra explico. Primum est, *significans gratiam;* signo enim hoc posito, ex meritis Christi acquirebant parvuli gratiam culpæ originalis remissivam: erat igitur signum significans gratiam. Idem dixi fuisse *conferens Sanctitatem aliquam;* nam signo illo, tanquam Cæremonia sacra, parvuli consecrabantur DEO, efficiebanturque membra tum existentis Ecclesiæ; hæc vero ipsa consecratio est aliqua ad Divinum cultum deputatio, ac proinde Sanctitas externa.

38 Pro Objectionibus Nota I. etsi DEUS spectata præcise justitia sua permittere potuerit parvulos sine ullo salutis remedio: non tamen salva voluntate illa generali, qua vult salu-

tem

tem omnium. Inde & parvulis, qui in utero materno moriuntur, provisum est de remedio; quamvis hoc deinde illis applicari nequeat impedientibus causis secundis, quarum cursum DEUS permittit.

Neque dicas: etiam sine Sacramento fuisse satis provisum parvulis de salutis remedio, quatenus videlicet per causas naturales poterant ad ætatem adultam perduci, & in ea propriis actibus justificari; Resp. enim, remedium hoc ex mente Augustini & Patrum non videri satis sufficiens ac conforme seriæ illi voluntati DEI salvandi omnes: præsertim cum incredibilis sit numerus eorum, qui ante usum rationis adeptum moriuntur.

II. Institutioni hujus remedii non obest, quod in statu naturæ lapsæ nullum universale DEI præceptum positivum fuerit; nam sine ejusmodi præcepto potuit DEUS statuere, non remissurum se parvulis originale peccatum, nisi eorum Parentes, aut horum defectu alii signo aliquo externo contestarentur fidem: quo supposito, lege naturæ Parentes obligabantur conditionem a DEO statutam implere, quo videlicet filiis de salute periclitantibus succurrerent. Notitia porro Institutionis hujus innotescere primum potuit per revelationem, vel inspirationem, quæ deinde Majorum traditione ad posteros propagata fuerit.

III. Signum, in quo consistebat hoc remedium, verosimile est fuisse a DEO in genere dumtaxat determinatum, ita ut liberum esset Parentibus hoc aut illo in specie signo uti, modo illud esset protestativum fidei. Ratio istud asserendi est: quia signum aliquod in specie infima determinatum fuisse ex nullo SS. Patrum erui potest, minus ex Sacris Literis. Hoc vero posito, facilis est explicatio Gregorii M. D. Thomæ, & aliorum Patrum, qui in lege naturæ parvulos ajunt sola fide justificatos ita, sicut in lege scripta per circumcisionem, aut lege nova per Baptismum. Intelligendi

nempe ſunt hoc ſenſu, quod tum parvuli juſtificati fuerint ſola fide, non quidem nude & ſine ullo ſigno teſtata: verum fide, ad quam exprimendam nondum erat in ſpecie determinatum ſignum aliquod, ſicut determinatum eſt in Circumciſione & Baptiſmo. Hoc ſenſu accipiendum Gregorium vel inde patet, quod, poſtquam L. 4. Moral. C. 2. & 3. dixiſſet, ſola fide juſtificatos fuiſſe parvulos in ſtatu naturæ, ſub finem adjiciat: remedium hoc poſitum fuiſſe in profeſſione fidei, & applicatione modo humano facta, quod utrumque fit communiter per actum externum. Similiter & D. Thomas intelligendus, cum in præſenti argumento de ſola fide loquitur 3. Par. Qu. 70. Ar. 4 ad 2. nam & hic ibi addit: probabile tamen eſt, quod Parentes fideles pro parvulis natis – aliquas preces DEO funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam ſignaculum fidei.

IV. Sacramentum hoc legis naturæ ad parvulorum juſtificationem concurrit mere tanquam conditio a DEO requiſita; non habebat proinde, ut Sacramenta noſtra, rationem cauſæ gratiam efficientis; id quod univerſim de Sacramentis veteribus intelligendum eſt. Idem præterea Sacramentum legis naturæ pro ſolis parvulis inſtitutum fuit; nam illo adultos etiam fuiſſe juſtificatos neque ex Scriptura, neque ex PP. oſtendi poteſt. Nec deerat tamen & his remedium, ut qui per dilectionem DEI, vel contritionem perfectam peccati remiſſionem & gratiam conſequebantur.

Quæri interim hic poteſt: an non, præter hoc remedium parvulorum, etiam aliud aliquod in ſtatu naturæ lapſæ ſaltem pro adultis Sacramentum fuerit? de hoc nos ſequenti Aſſertione ſenſum noſtrum dabimus. Sit itaque

AS-

ASSERTIO II.

Verosimilius est, in statu naturæ lapsæ, præter remedium parvulorum, nullum fuisse Sacramentum aliud.

PRob. Assertio. Nulla vel authoritas, vel ratio sufficiens est pro hoc statu admittendi Sacramentum aliud, ergo. Antec. propositionis pars prima patebit ex Responso ad Objectiones; pars vero ejusdem altera probatur. Si quæ ratio id evinceret, ea esset necessitas pro hoc statu admittendi Sacrificia, ac etiam remedium ad delenda adultorum peccata; at necessitas hæc id non evincit, ergo. min. prob. Etenim 1*mo*, Sacrificium cum ratione Sacramenti non est necessario conjunctum; cum primario ordinetur ad profitendum DEI in vitam & mortem dominium, quin aut sacrificantes aut alios sanctificet. Quod deinde ad remedium adultorum attinet, necesse omnino non erat hoc esse Sacramentum; nam adulti tam originalis, quam actualis peccati remissionem poterant obtinere per charitatem vel contritionem perfectam sine ullo Sacramento, ut jam dictum est. 39

Oppones: Sacrificia in statu naturæ ab Abele, Abraham, Melchisedech & aliis DEO oblata videntur fuisse Sacramenta, cum hoc nomine compellentur a nonnullis Patribus. Nominatim Sacrificium Melchisedech a Clemente Alexandrino L. 4. Strom. 25. vocatur *typus Eucharistiæ*: ab Augustino autem Epist. 96. ad Innocent. *Sacramentum Mensæ Dominicæ*. Idem legitur apud S. Thomam in 4. Dist. 1. qu. 1. A. 2. ad 3. 40

Resp. a Patribus isthic nomen Sacramenti in sensu dumtaxat latiore accipi, pro signo videlicet rei Sacræ, aut interni cultus contestatione externa. Sensu hoc olim etiam Eulogiæ dicebantur Sacramenta, ut testatur August. & constat ex Can. 5. Concil. Carthaginensis III. Baptismus præterea Joannis fuit typus Baptismi novæ legis, uti & Manna Mensæ Eucharisticæ;

quin tamen hæc vera Sacramenta fuerint. Ratio vero ita universim Patres exponendi est, quod Sacrificium ex se ordinetur ad contestandum DEI dominium: non autem ad sanctificandum, quod proprium est vero Sacramento.

41 Instabis. Etsi Sacrificia status naturæ non fuerint Sacramenta, Sacerdotes tamen, qui illa offerebant, credibile est initiatos fuisse Sacramento, quod Sacris Ordinibus nostris respondebat; atque ita Sacerdotium saltem in hoc statu fuerit Sacramentum. Favet huic sententiæ Apost. cum ad Hebr. 7. Melchisedechum peculiari nomine vocet Sacerdotem: imo Sacerdotium ejus Aaronis etiam Sacerdotio præferat.

Resp. Sacerdotia status naturæ nequeunt dici Sacramenta vel ideo, quod non Divina, sed sola humana ordinatione constituta fuerint; inde status hujus Sacerdotes caruerunt consecratione, solumque ad id muneris veniebant jure velut hæreditario, aut certe populi deputatione, vel spontanea voluntate. Huc facit Ep. 2. Decretalium Anacleto adscripta, in qua dicitur, Sacerdotium ab Aaron initium sumpsisse, *quia licet Melchisedech prior obtulerit Sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Jacob, hi tamen spontanea voluntate, & non Sacerdotali authoritate hoc fecerunt.* Notat hic Lugo, verba eadem adduci ex Isidoro & approbari in Concilio Aquisgranensi I. C. 11. His vero non negatur Melchisedechum fuisse Sacerdotem DEI: verum significatur tantum, non habuisse illum ex Divina ordinatione Sacerdotium, sed spontanea dumtaxat voluntate. Inde Apostolus Sacerdotium ejus Sacerdotio Aaronis præfert solum ratione figuræ, quatenus videlicet illo clarius fuit significatum Christi Sacerdotium. Etenim uti Christus, qua DEUS Matrem, qua homo autem Patrem non habuit: neque Sacerdotium ejus fuit per successionem: neque idem est ejus morte terminatum; ita Sacræ Literæ Melchisedechi Sacerdotium sine Parentum ejus, genealogiæ, nativitatis vel mortis memoria enarrant.

De

De Statu Legis veteris.

Status legis veteris, qui idem & Status legis Mosaicæ vel scriptæ dicitur, cœpit vel a lege Moysi tradita, vel ab ipsa jam circumcisione Abrahæ: extenditur autem usque ad legem novam, seu statum gratiæ. De status hujus Sacramentis nunc agendum.

ASSERTIO.

In Lege veteri fuerunt complura Sacramenta.

42

Prob. ex Concilio Florent. quod cum in Decreto Eugenii definiat Sacramenta novæ legis differre a Sacramentis antiquæ legis, supponit in statu legis veteris fuisse Sacramenta, eaque plura. Idem arguitur ex Concil. Trident. cujus pariter sess. 7. Can. 2. eadem est definitio. Accedit communis PP. & Doctorum sententia.

Confirm. Assertio. Supra memoratum parvulorum remedium, quod Sacramentum fuisse probavimus, etiam in lege veteri remansit pro puellis, imo & masculis, si non universim omnibus (de quo nos L. II.) pro iis saltem, qui ante octavum diem de vita periclitabantur. Præterea in hoc statu fuit circumcisio, esus Agni Paschalis, Pontificum & Sacerdotum consecrationes, expiationes & lustrationes legales &c. at hæc sunt ipsa legis veteris Sacramenta; cum fuerint cæremoniæ a DEO institutæ, figurantes Sacramenta nostra & operandam per illa gratiam, ac demum Sanctitatem Ecclesiæ veteri conformem adferentes, ergo. Min. explicatur per partes. Sic enim Circumcisio fuit figura Baptismi, simulque ea afferebatur externa quædam Sanctitas, vi cujus circumcisus adscribebatur populo DEI electo; an eadem etiam peccati originalis remissionem operata sit, definietur L. II. Agnus Paschalis significabat Eucharistiam, ac una edentes magis conjungebantur

DEO

DEO per legalem Sanctitatem. Consecratione Sacerdotes deputabantur ad Ministerium altaris, quæ eadem significabat Sacramentum Ordinis. Expiationes denique legales, quæ fuerunt typus Sacramenti Pœnitentiæ, causabant emundationem a culpis legalibus. Hæc omnia ad mentem SS. PP. præsertim S. Aug. & D. Thomæ.

43 Pro Object. Nota I. Circumcisio jure numeratur inter Sacramenta legis scriptæ: nam licet quadringentis annis ante legem Moysi traditam instituta fuerit, in hac ipsa tamen retenta deinde ac confirmata est. Inde Israëlitico populo januæ instar fuit, qua in suæ legis Ecclesiam ingrederetur, & adjungeretur iis, quos peculiariter elegit DEUS, quibusque credidit eloquia sua, ut dicitur ad Rom. 3.

II. Transitus maris rubri & manna, licet Sacramenta nostra præfiguraverint, Baptismum nempe ille, hoc vero Eucharistiam, uti & serpens æneus Christum, non fuerunt tamen veteris legis Sacramenta; neque enim constat ex Scriptura aut Patribus hæc signa fuisse a DEO constituta ad Sanctitatem aliquam conferendam. Non diffiteor interim difficile esse statuere, quænam universim ex tot Cæremoniis, in veteri lege a DEO constitutis, inter vera Sacramenta sint referendæ; certe istud usque huc a nullo Concilio aut Patre determinatum est; sed neque nos ad tuendam Assertionem nostram determinare necesse habemus.

III. Dum Apost. 1. Corint. 10. generatim pronunciat, *omnia Judæis in figura contigisse*, id non alio sensu accipi debet, quam quod nihil eorum, quæ novæ legis sunt, nisi in figura habuerint. Inde ex cit. loco non recte arguitur, omnibus Sacramentis nostris in statu legis respondisse totidem Sacramenta, tanquam totidem eorum figuras. Certe Matrimonium ante legem gratiæ non erat in vero sensu Sacramentum; nec Confirmationis & Extremæ Unctionis Sacramento in veteri lege ullum respondebat. Cujus quidem causa non alia est,

quam

quam voluntas DEI, cui liberum erat in quovis ſtatu plura aut pauciora conſtituere Sacramenta. Rationem interim hujus a congruo S. Thom. 1. 2. Qu. 102. A. 5. ad 3. dat his verbis: *Sacramento*, inquit, *Confirmationis, quod eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, non poteſt reſpondere in veteri lege aliquod Sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod neminem ad perfectum ſtatum adduxit lex. Similiter & Sacramento Extremæ Unctionis, quod eſt quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum ſoluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout eſt Sacramentum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ nondum erat facta; unde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod eſt contra Sacramenti rationem.*

§. II.

An, & quæ ſint Sacramenta in Statu Legis novæ?

Status legis novæ ſeu Evangelicæ eſt, qui a Chriſto cœpit, ac hodie etiam perdurat, neque niſi cum fine Mundi deſinet. Et in hoc quidem ſtatu Sacramenta dari certum hodie eſt Chriſtianis; veterum enim quorumdam, qui, teſte Theodoreto & Epiphanio, abrogata volebant omnia, ſomnium penitus evanuit. Id interim noſtri ævi ſectariis commune eſt omnibus, ut in definiendo Sacramentorum numero varient; neque jam tantum ab Eccleſiæ Orthodoxæ doctrina, ſed a ſe ipſis etiam diſſideant. Lutheranos cumprimis & Calvinianos iſthic intelligo, apud quos nunc duo, alias tria, plura etiam nonnunquam nominari audias Sacramenta. Debent hanc inconſtantiam Anteſignanis ſuis. Ipſe jam Lutherus, in eodem de Captiv. Babyl. Libro, poſtquam unum tantum

ſtatuiſſet Sacramentum, mox admittit tria, ac rurſum duo dumtaxat; ſub medium imo ejusdem Libri ait, non rejicere ſe Sacramenta ſeptem: verum id tantum contendere, quod ex ſacris Literis ea probari nequeant. Non minor erat Calvini inconſtantia; duo is tantum Sacramenta, Baptiſmum nempe & Cœnam Dominicam L. 4. Inſt. C. 18. agnoſcit; his nihilominus alibi etiam Ordinem adjicit. Prætereo alios, ſatisque habeo his omnibus opponere Doctrinam Eccleſiæ. Cum hac ſit

ASSERTIO.

In Statu Legis novæ dantur vera Sacramenta, eaque ſeptem, nec plura: Baptiſmus videlicet, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

44 DOgma hoc poſt Concilii Florent. definitionem Catholicis indubitatum eſt, quod negantes Con. Trident. ſeſſ. 7. de Sacram. C. 1. anathemate etiam ferit. Probatio ejus iſthuc fere reducitur: Baptiſmus, Confirmatio, & reliqua memorata, quorum nunc in Legis novæ Eccleſia uſus eſt, ſunt ſigna ſenſibilia a Chriſto inſtituta, non ſignificantia tantum ſed & conferentia gratiam; atqui hoc eſt eſſe verum Sacramentum, ergo. Min. patet ex Diſſert I. Maj. ex Scriptura & PP. de ſingulis Sacramentis probabitur, cum de iis ſpeciatim ſuis locis diſſeremus. Nunc ſatis fuerit duo argumenta retuliſſe, quibus contra hodiernos Sectarios generatim oſtenditur, ſeptem omnino, nec plura admitti debere Sacramenta.

45 Argum. I. eſt ex primævæ Eccleſiæ Patribus, quorum etſi nullus ſimul omnia ſeptem Sacramenta recenſeat, ſingulorum tamen ſeorſim, prout ferebat occaſio, meminerunt; neque præterea alterius. Ita *Baptiſmum* inter Sacramenta referunt: Juſtin. in Apolog. ad Antonium, Clemens Alex. L. 1. Pædagogi C. 6. Origenes Hom. 14. in Cap. 2. Lucæ &c. *Confir-*

firmationem Dionysius Areop. L. de Hierarchia Eccl. C. 2. & 4. Par. 3. Cyprianus L. 1. Ep. 12. & L. 2. Ep. 1. Tertullian. L. de Resurrectione Carnis, & L. de Baptismo &c. *Eucharistiam* cum Augustino Ep. 118. C. 1. passim & alii. *Pœnitentiam* præter Augustin. in Psal. 146. Ambros. de Pœnitentia, & Cyrillus L. 12. in Joan. C. 56. &c. *Extremam Unctionem* S. Innocent. I. Ep. 1. ad Decentium Eugubinum C. 8. August. serm. 215. de tempore. *Ordinem* Dionysius Areop. L. de Hierar. Eccl. C. 5. Augustin. L. 2. contra Epist. Parmeniani. &c. *Matrimonium* denique Augustin. L. de Bono Conjugali. Leo I. Ep. 12. ad Rusticum Ep. Chrysost. Hom. 20. in Ep. ad Ephes. &c. Unus sit imo pro omnibus Augustinus, qui, etsi non simul, sparsim tamen omnia septem Sacramenta memorat, nempe *L. 1. de Baptismo C.* 20. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam; *serm.* 215. *de tempore* Extremam Unctionem; *L. 2. contra Epistolam Parmeniani C.* 13. Ordinem; *L. de Bono Conjugali* Matrimonium. Citatos Patrum textus præcipuos suis speciatim de singulis Sacramentis locis referemus.

46 Argumentum II. ducitur a perpetua Ecclesiæ Græcæ & Latinæ consensione; utraque enim semper docuit ac usurpavit memorata septem Sacramenta, nec omnino plura, aut pauciora. Istud vero evincitur 1*mo* ex Patribus paulo ante citatis. 2*do* ex vetustissimis Græcorum Euchologiis & Latinorum Ritualibus, in quibus legere est rationem ministrandi hæc septem Sacramenta. 3*tio* ex anathematis sententia omni ævo in eos lata, qui Sacramentorum horum aliquod impugnarunt. Ita Secul. III. damnati sunt Novatiani, qui Neophytis Confirmationem negarunt; itidem Seculo III. ac etiam IV. Montanistæ & Manichæi abrogantes Matrimonium; XIV. Wiclefistæ negantes Extremam Unctionem; XVI. universim omnes, qui plura vel pauciora, quam septem dicerent. Idem factum in Græca Ecclesia, ac nominatim Sec. XVII. cum videlicet Cyrillus Lucar (aliis Lascar) Constantinopolit. Patriarcha septem

 esse

esse Sacramenta negans, a Concilio Constantinopolitano anathemati est subjectus. *4to* Et illud huc pertinet, quod hujus de septem Sacramentis Doctrinæ, adeo in utraque Ecclesia receptæ, initium nullum ostendi possit; aut certe ex Historia Eccl. designent Sectarii tempus, quo illa primum doceri cœperit: ac vel unum e Patribus producant, qui septenarium Sacramentorum numerum negaverit.

Ex hoc altero argumento ita Assertionem confirmo: de septem Sacramentis doctrinam universim semper professa est Ecclesia, nec ostendi potest illius initium; ergo doctrina hæc profecta est a Christo, ac deinde Apostolorum ac Patrum continua traditione ad nos usque transmissa, ac proinde ab omnibus retinenda. Illatio est ex illo Tertulliani de Præscriptione C. 21. ubi ait: *constat omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis, Matricibus & originalibus fidei conspiret veritati, deputandam, id est, sine dubio tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a DEO suscepit.* Eadem illatio fit ex Augustino, qui L. 4. de Bapt. C. 24. hanc credendi tradit regulam: *quod universa*, inquit, *tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Objectiones Novatorum.

47 OPponunt I. Scripturam. Hæc nullibi dicit esse septem Sacramenta; imo eorum, quæ nos recensemus, sub nomine Sacramenti ne meminit quidem, ergo. Confirmant illo Joan. 19. ubi legitur ex latere Christi fluxisse sanguis & aqua, unde ita arguunt: communis Patrum sensus est Sacramenta ex latere Christi profluxisse; atqui hinc non nisi aqua & sanguis fluxit, per quæ Baptismum & Eucharistiam intelligunt Cyrillus, Chrysostomus, & alii; ergo.

Resp.

Resp. D. antec. 1. par. Scriptura nullibi dicit esse septem Sacramenta, sub hoc nomine, & numero collectim expresso C. a. neque eadem sparsim enumerat septem res, quibus rationem Sacramenti convenire ex ipsa Scriptura ostendi possit N. a. & c. Mirum ita arguere sectarios! cum Scriptura ne Baptismum quidem & Eucharistiam Sacramenti nomine insigniat: minus vero ullibi expresse dicat duo tantum, aut tria esse Sacramenta, quod utrumque tamen ipsi asserere non verentur.

Ad locum ex Joanne cit. Resp. ex mente Patrum sensum illius esse: quod Sacramenta omnia vim ac efficaciam suam acceperint ex Christi meritis, per mortem ejus ac sanguinem cum aqua profusum consummatis. Cyrillus deinde, Chrysostomus, & alii PP. ad hunc locum commentantes, de Baptismo & Eucharistia in sensu dumtaxat positivo, non autem exclusivo loquuntur. Certe eorum quidam, ut Leo, Augustin. & Ambrosius, ne Eucharistiæ quidem isthic meminerunt; per aquam enim & Sanguinem significari volunt Baptismum, quasi semper cum sanguine Christi conjunctum, a quo totum robur suum acceperit: quis tamen hinc arguat? Baptismum solum e latere Christi profluxisse, idque ex mente cit. PP.

Opponunt II. Patres antiquos, quod eorum videlicet nullus uspiam asserat septem esse Sacramenta; ergo, inferunt, Assertioni positæ nihil est a Patribus præsidii. 48

Resp. C. a. N. c. una addo: eosdem PP. nunquam negare septenarium Sacramentorum numerum; neque unum tantum, aut duo vel tria dumtaxat asserere; quod utrumque tamen Sectarii, nulla Patrum authoritate fulti, sibi licere autumant. Cæterum quod veteres PP. omnia septem Sacramenta nuspiam simul recensuerint, in causa est, quod id ad eorum scribendi institutum non pertinuerit; satis igitur habebant referre ea, de quibus vel ad Sectarios confutandos, vel fideles erudiendos ex proposito ipsis agendum erat. Omnium interim Sacramentorum diversis locis, ac seorsim eos meminisse, jam osten-

ſum eſt N. 45. & pluribus per decurſum oſtendetur ; id quod ad probandam ex Patribus Aſſertionem noſtram ſatis eſt.

49 Inſtant. I. Aliqui PP. iis etiam locis , quibus ex inſtituto agunt de Sacramentis omnibus , pauciora , quam ſeptem, recenſent Sacramenta ; ergo datum reſponſum ſuſtineri nequit. A. probant : Ambroſius tam in Libris *de Sacramentis* , quam in volumine *de his* , *qui Myſteriis initiantur* , Baptiſmi tantum, Confirmationis , & Euchariſtiæ meminit ; & tamen *L.* 6. *de Sacramentis C.* 2. ita inchoat : *ergo accepiſti de Sacramentis pleniſſime &c.* Cyrillus etiam Hieroſol. *in Catecheſi ſua* hæc eadem tria dumtaxat Sacramenta memorat : Dionyſius autem Areop. in Opere *de Hierarchia Eccl.* Extremam Unctionem & Matrimonium non refert : quamvis uterque locis citatis ex propoſito de Sacramentis tractaverit.

Reſp. N. a. Ad probationem ex Ambroſio & Cyrillo petitam dico : utrumque id feciſſe propterea , quod cit. locis ex propoſito Neophytos inſtituerint , quibus neceſſaria fuit præ reliquis trium illorum Sacramentorum cognitio , ut quæ illis ex veteri Eccleſiæ uſu principio ſtatim miniſtrabantur. Habetur iſtud in cit. Ambroſii Libris ; idemque eruitur ex Amphilochio , qui in vita S. Baſilii hæc ſcribit : *baptizavit Epiſcopus Maximinus Baſilium & Eubulum* , *atque ungens eos Sancto Chryſmate tradidit eis vivificam Communionem.* Ad Dionyſium Areop. quod attinet : non agit is hoc loco ex propoſito de Sacramentis , verum (ut vel Operis titulus indicat) de officio Epiſcopi , & functionibus Hierarchicis , uti inter alia : de Monachorum conſecratione , unctione mortuorum &c. quæ tamen Sacramenta non ſunt.

50 Inſtant II. opponendo quoſdam PP. qui Novatorum , ac præſertim Kemnitii opinione , duo tantum Sacramenta , Baptiſmum videlicet & Euchariſtiam admiſerunt. Ita docuiſſe ajunt Juſtinum M. in *Apologia 2da* , Tertullianum *L. de Reſurrect. carnis* , Auguſtinum *L.* 3. *de Doctrina Chriſtiana* , item

item & *Ep.* 118. His addunt Irenæum, Paſchaſium, Authorem *Cardin. Chriſti operum* & plures alios.

Reſp. I. Generatim ad omnes PP. ac dico: eſſe eorum omnino quoſdam, qui duo tantum Sacramenta, prout nempe argumenti ratio poſtulabat, referant; neminem autem, qui duo tantum admittenda cenſeat. Idem dicendum de Patribus aliis, qui nunc tria, aut quatuor, vel quinque, nunquam autem ſimul omnia enumerant. Serviebant nempe materiæ, quam tractandam ſuſceperant; ad hanc explanandam cum ſatis erat duo vel tria Sacramenta retuliſſe, ſilebant tum quidem de reliquis, nec tamen ea ullibi negarunt. Illuſtrabitur iſtud ex ſequentibus reſponſis.

Reſp. II. In particulari referendo cauſas, cur tres primo loco nominati PP. in cit. ſuis Operibus duorum tantum Sacramentorum meminerint; reliqui ad eundem fere modum exponendi erunt.

Et Juſtinus quidem M. in ſua Apologia agit contra Gentiles, qui Chriſtianos arguebant Atheiſmi propterea, quod Deos non colerent: objiciebant item illis, quod in conventiculis ſuis gravia perpetrarent ſcelera, atque idcirco ad ſynaxim præter ſuos admitterent neminem. Juſtinus igitur ad hæc duo reſpondet; ac prima quidem Apologiæ Parte tractat de fide, docetque Chriſtianos non poſſe dici Atheos, cum colant tres Divinas Perſonas; in altera deinde parte de ſynaxi agens, obiter meminit Baptiſmi, quo doceat, ſolis baptizatis licere ſynaxim accedere; tum pluribus ipſam exponit ſynaxim, ubi neceſſe habuit de Euchariſtia diſſerere, ut Gentilibus errorem eximeret, qui eam putabant in eſu occiſi parvuli conſiſtere. De reliquis Sacramentis iſthic ſiluit Juſtinus, ſeu quod ea Gentilibus ignota fuerint, ſeu quod eorum calumniis non ſint impetita.

Tertullianus in L. cit. non ex propoſito, ſed per occaſionem tantum de Sacramentis aliqua inſinuat. Cæterum hoc

ipſo

ipso Libro non duo tantum, sed omnino quatuor Sacramenta refert; Baptismum nempe, Chrysma, Euchariſtiam, & manus impositionem, seu Ordinem. Nec dici potest, per Chrysma & impositionem manus iſthic Baptiſmi dumtaxat cœremonias intelligi; nam effectus, quos ibi Tertullianus Chrysmati & manus impositioni tribuit, Confirmationi & Ordini conveniunt; impositionem manus præterea Euchariſtiæ subjicit, non autem Baptiſmo, quod tamen facere eum oportebat, si per illam hujus dumtaxat cæremoniam intellexiſſet.

Auguſtinus cit. locis pro exemplo quidem Baptiſmum tantum & Euchariſtiam adfert: nec tamen hæc sola ait eſſe Sacramenta. Certe plura quam duo eum admiſiſſe, satis patet ex ejus Concione 1ma in Pſ. 103., ubi, *respice*, inquit, *ad munera ipsius Ecclesiæ, munus Sacramentorum in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris Sanctis Sacramentis.* Imo omnia septem eum sparſim recenſuiſſe, jam dictum eſt N. 45.

51 Opponunt III. Orientalem Eccleſiam, quaſi ea quoad septenarium Sacramentorum numerum cum Occidentali non consenserit; atque ita consenſionem hanc pro firmanda Aſſertione fruſtra adferri. Argumentum hoc eſt Kemnitii, qui Exam. sui P. 2. ſcribit, ignotum antea septenarium Sacramentorum numerum a Concilio Florentino fruſtra obtruſum fuiſſe Græcis: Armenos vero, a S. Bartholomæo converſos, poſt mille & amplius annos in hoc Concilio septem Sacramenta tandem recepiſſe.

Reſp. N. aſſertum. Neque illi quidquam addit roboris authoritas Kemnitii, utqui in utroque, quod cit. loco refert, lapſus eſt, ut oſtendit Bellarm. L. 2. de effect. Sacram. C. 24. Et de Armenis quidem conſtat ex ipſo Decreto Eugenii, ante unionem eorum cum Latinis, collationes inter illos factas de fide Trinitatis, Incarnationis, & Sacramentorum; Codices præterea utriusque nationis sedulo excuſſos: ac tum demum Unionis Decretum fuiſſe confectum & receptum; id quod haud dubie

bie adeo facile non eveniſſet, niſi præſcriptam in Decreto Inſtructionis (utique etiam de ſeptem Sacramentis) formam reperiſſent Armeni conformem antiquis libris, & ritibus Eccleſiæ ſuæ. Non fuit igitur Armenis jam inde a S. Bartholomæo ignotus ſeptenarius Sacramentorum numerus.

Quoad Græcos erroris convincitur Kemnitius ex Concilio ipſo. Editum illud eſt tam Græco quam Latino idiomate: in neutra attamen editione legitur actum fuiſſe quidpiam cum Græcis de numero Sacramentorum. Imo memorata Inſtructio Armenis data eſt toto approbante Concilio, proinde & Græcis, qui pars illius erant; ut adeo certum ſit hos tum cum Latinis ſenſiſſe de numero Sacramentorum.

Quod vero deinceps Græca Eccleſia eandem retinuerit Doctrinam, claro teſtimonio eſt Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in ea Cenſura, quam ad Auguſtanam Confeſſionem, a Wittenbergenſibus ſibi ſubmiſſam, habito cum ſuis Concilio edidit A. 1575. aperte docet: ſeptem eſſe Sacramenta, quæ Spiritus S. operatur, iisque nec plura, nec pauciora. Item ibidem: ſeptem in Eccleſia Catholica Divina Sacramenta recepta eſſe, Baptiſmum, Unctionem Divini Chryſmatis &c. Huc pertinet & illud; quod Cyrillus Lucar Conſtantinop. Patriarcha, qui facta ad Calvinianos A. 1625. defectione, docebat ſolum Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe vera Sacramenta, in Synodo Conſtantinopolitana A. 1638. coacta, a tribus Patriarchis, Epiſcopis 21. ac aliis 23. Prælatis ſit damnatus. Damnationis autem hæc erat ſententia: *Cyrillo dogmatizanti, & credenti non eſſe ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, id eſt, Baptiſma, Chryſma &c. juxta Conſtitutionem Chriſti & Apoſtolorum; ſed mentienti non eſſe tradita a Chriſto in Evangelio niſi ſolum Baptiſma & Euchariſtiam, anathema.* Damnatio eadem poſt quatuor annos repetita eſt in Jaſſenſi Synodo: ac rurſum ſub finem Seculi XVII. in Hieroſolymitana,

cui præsedit Dositheus Patriarcha. Videri hæc possunt in Defens. Perp. Fid. jam alias cit.

52 Opponunt IV. lotionem pedum, cujus Christus Joan. 13. ante ultimam Cœnam exemplum dedit. Sic autem ab illa arguunt: si Baptismus, Confirmatio, & reliqua in Assertione recensita sint vera Sacramenta, non erit ratio, cur & lotio pedum non veniat in numerum Sacramentorum; hoc non admittitur, ergo nec illud. Maj. probant: lotio pedum est res sensibilis a Christo instituta, ut clarum est ex Christi verbis: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci* &c. eidem adnexa videtur promissio gratiæ per illa Christi ad Petrum verba: *si non lavero te, non habebis partem mecum*; ergo non est ratio, cur non perinde, ac reliqua in Assertione posita, Sacramentis accenseatur.

Resp. N. maj. ad prob. N. ant. de cujus utraque parte ita habe. Institutio, quæ Sacramento est propria, haud recte tribuitur lotioni pedum sensu proprio acceptæ: neque enim eam Christus, ut reliqua Sacramenta, ita instituit, ut ejus usum toti Ecclesiæ communem esse vellet. Patet id inde, quod Ecclesia Romana ætate Ambrosii, ut ipse testatur L. 3. de Sacram C. 1. lotionis hujus ritum non observaverit; Hispanica imo in Concil. Eliberitano Can. 48. etiam prohibuerit a Sacerdotibus vel Clericis lavari pedes baptizandorum; eadem de pluribus Ecclesiis aliis nota sunt. Falso itaque dicitur, lotionis hujus materialis præceptum contineri illis Christi verbis: *& vos debetis alter alterius lavare pedes*, utpote quibus, ex mente Cyrilli & Chrysostomi, humilitas, cujus ea lotio exemplum erat, præcipiebatur; inde Christus ibi vocavit se Magistrum & Dominum, adjiciens: non esse servum majorem Domino &c. sed nec verba illa, *si non lavero te, non habebis partem mecum*, continent promissionem gratiæ; neque enim hoc sensu exponuntur ab ullo Patre; quin communis est cum Chrysostomo Ecclesiæ Docto-

ctorum opinio, ea significasse comminationem gravis pœnæ a Petro ob inobedientiam incurrendæ, qualis e. g. futura erat: si Petrus, non admissa lotione, non fuisset factus particeps Eucharistiæ mox instituendæ, vel ipso cœlo exclusus fuisset &c. Certe quidquid horum evenisset Petro, non habuisset partem cum Christo. At,

Instari potest I. ex illis Joan. 3. verbis: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI*, recte infertur Baptismo esse adnexam gratiam, licet ea sint comminatoria; ergo etiam ex his: *si non lavero te &c.* 53

Resp. C. a. N. c. in textu enim primo illud, *renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* diserte significat regenerationem Spiritualem, quæ est ipsa sanctificans gratia; in altero autem lotio dumtaxat sub pœna præcipitur. Neque istud satis esse dicat quispiam ad adstruendam lotioni pedum Sacramenti gratiam & naturam; secus conversionem & humilitatem esse Sacramentum pari jure arguam ex illo Matth. 18. *nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regna Cœlorum.*

Instari potest II. Patres quidem, præsertim Ambrosius & Bernardus, verba illa: *si non lavero te &c.* exponentes, aperte docent lotionem pedum ad sanctificationem & emundationem a peccatis institutam esse a Christo; ergo ex illis recte arguitur, lotioni pedum adnexam esse gratiam Sacramenti. Antecedentis probatio sint ipsi Patrum textus. 54

Et Ambrosius quidem L. 3. de Sacram. C. 1. *audi*, inquit, *quia Mysterium est & Sanctificatio: nisi lavero tibi pedes &c.* Ibidem dein: *ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat.* Idem L. de Mysteriis C. 6. *ideo*, inquit, *planta ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur.*

S. Bernardus autem serm. in Cœna Domini de Baptismo, Sacram. Altaris, & Ablutione pedum, postquam dixit, ad communicandam nobis gratiam instituta esse Sacramenta, N. 4. sub-

jungit: *ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio* &c. Et rursum: *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem. - - Vis autem nosse, quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? illud attende, quod Petro dictum est: si non lavero te* &c.

Resp. I. Universim PP. cum lotionem pedum dicunt esse Sacramentum, vocem hanc sumunt in sensu latiore, pro signo videlicet cujuscunque rei sacræ. Per sanctificationem etiam, quam lotioni tribuunt, intelligunt dumtaxat illud gratiæ augmentum, quod acquiritur ex opere operantis, propter humilitatem videlicet & charitatem, quæ in lotione exercentur.

Resp. II. in particulari. S. Ambrosius in primo textu sanctificationem accipit in sensu paulo ante exposito. Cum vero deinde loquitur de Sanctificatione partis illius, in qua insidiatus est serpens, agit de concupiscentia, præsertim excellentiæ, per humilitatem coercenda; quæ enim magis pars alia, in qua primis parentibus nostris insidiatus est, ac hodie etiam nobis insidiatur serpens? In L. demum de Myster. per peccata hæreditaria intelligit universim concupiscentias, quas etiam Apostolus ad Rom. 7. peccatum vocat, *non ego*, inquit, *operor illud*, *sed quod habitat in me peccatum*. Tolli autem seu minui concupiscentias dixit per plantæ ablutionem, seu quod hæc sit Sacramentalis instar; seu quod in ea exerceatur humilitas, qua propensiones vitiosæ coercentur. Hoc sensu fuisse locutum isthic S. Patrem, nemo diffitebitur, qui ad alia quoque loca, quibus S. Pater de lotione pedum sparsim agit, adverterit. Vel duo notasse fatis habeo. In Ps. 48. N. 9. hæc habet: *lavemus*, inquit, *& pedes*, *ut calcanei lubricum possimus auferre*, *quo fida statio possit esse virtutum - - & ne metuat lubricum hæreditatis*, *qui cupit vestigium tenere virtutis*. Et L. 3. de Sacram. C. 1. postquam dixit, ideo lavari pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus sanctifica-

ca-

cationis subsidium accedat, subdit: *lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in Mysterio non erubescamus, quod* dedignamur in obsequio.*

S. Bernardus cit. serm. loquens varie exponitur. Attentis omnibus videtur non aliud innuere, quam ablutionem pedum esse signum quoddam, seu Sacramentum sensu latiore acceptum, quo significatur etiam de venialibus culpis abolendis sollicitos nos esse oportere: hancque ipsam præterea ablutionem deservire in signum remissionis eorundem obtinendæ. Hunc esse S. Patris cit. loco sensum vel inde colligas, quod licet ibidem lotionem pedum cum Baptismo & Eucharistia componat, neque tamen illi, ut his, remissionis peccatorum & gratiæ operandæ vim attribuat. Et de Baptismo quidem serm. illo ait: *quæ est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? utique purgatio delictorum* &c. De Eucharistia autem: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum*, quod fit per gratiam. De lotione contra pedum: *Et unde scimus*, inquit, *quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, pertineat?* En! pertinere tantum dicit Lotionem ad diluenda venialia peccata, non vero ipsa lotione dilui illa. Imo deinde peccatorum horum remedium innuens, ita concludit: *Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, imo & libenter, si modo nos agnoscamus -- Hinc est, quod in oratione, quam ipse constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare.* Ex mente igitur D. Bernardi venialium noxarum remedia sunt, agnitio infirmitatis propriæ & oratio; ubi lotionis non meminit. Et sane ad quotidiana peccata eluenda quotidiano opus erat remedio: quale utique pedum lotio non est, ut quæ per anni decursum, non nisi recurrente Cœnæ Domini memoria, adhibetur.

 §. III.

§. III.

An omnia novæ Legis Sacramenta Christus per se ipsum immediate instituerit?

NOvæ legis Sacramentum instituere, est sensibile signum aliquod determinare, eique una adnectere vim ac efficaciam significandi & conferendi gratiam sanctificantem. Id quia videtur fieri posse dupliciter, potestas Sacramenta instituendi in scholis distingui solet in authoritativam, & ministerialem. Authoritativa dicitur, cum quis propria, neque aliunde accepta potestate signis externis communicat vim significativam & effectivam gratiæ; Ministerialis ex adverso est, si hæc institutionis potestas aliunde accipiatur. Primam soli DEO esse propriam, dubitari nequit; alteram, quoad aliqua saltem Sacramenta, habuisse Apostolos a Christo, quidam volunt: atque in horum sententia nonnulla Sacramenta Christus non per se ipsum immediate, sed per Apostolos dumtaxat instituit. Istud, num recte dicatur, nunc expendendum habemus: pro quo necessarium, aut utile saltem fuerit, certas ac communes argumenti hujus sententias a variantibus opinionibus prius secernere.

Certæ ac communes de institutione Sacramenti Sententiæ.

55 CErtum est I. omnibus, soli DEO convenire potestatem Sacramenta instituendi authoritativam, tum quod ea contineant vim efficiendæ gratiæ: tum quod sint media salutis nostræ; cujus utriusque solus DEUS Author principalis est teste Psalte Regio, *quis*, inquit, *dabit gratiam & gloriam, nisi Dominus?* Ps. 83. v. 12. Et legis quidem veteris Sacramenta solum DEUM habuisse Authorem, aperte docemur ex Libris

bris Genesis, Exodi, Levitici, & Numerorum; potiori igitur jure de nostris, quæ virtute ac efficacia illis longe præcellunt, debet affirmari, quod non ea tantum DEUS instituerit, sed & quod solus authoritate propria instituere potuerit.

Certum est II. Christum, etiam ut homo erat, habuisse præcellentem quandam Sacramenta instituendi potestatem. Hæc ipsa passim a scholasticis potestas Ministerii principalis, vel potestas excellentiæ vocatur propterea, quod tametsi Divina sit inferior, tanta tamen est, quantam nulli Creaturæ alteri DEUS voluit concessam. Neque istud omnino sub dubitationem venire potest, quando ex sacris Literis constat, Christum, ut hominem, condonasse peccata, & justificationis gratiam contulisse. Clarum in hanc rem testimonium est ex Matth. 9. cum enim, Christo remittente peccata, tacite in animis obmurmurarent scribæ, *ut quid cogitatis*, ait ad illos Servator, *mala in cordibus vestris? quid est facilius, dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula? ut autem sciatis, quia filius hominis* (en! Christus ut homo) *habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; & surrexit & abiit in domum suam.* An vero, qui, ut homo, sine Sacramentis peccata condonavit, idem per signa a se constituta præstare non potuerit? præsertim cum (ut notat D. Thom. 3. p. qu. 64. A. 3. in ⊙.) *passio ejus, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis, & meritorie, & effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per authoritatem: sed per modum instrumenti, in quantum humanitas ejus est instrumentum - - Divinitati conjunctum in persona.* Conformiter istud plane ad illud Apoc. 1. 5. ubi S. Joannes ait: *Christus dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

Certum est III. Christum, etiam ut hominem, alicujus saltem Sacramenti Authorem esse, ac nominatim Baptismi.

Cer-

Certe cum illum instituerет, ita Apostolos affatus est Mat. 28. v. 18. *data est mihi*, inquit, *omnis potestas in Cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* potestate igitur illa Baptismum instituit, quæ data est illi; hæc vero data est ut homini; nam qua DEUS illam sibi essentialem habuit, ergo.

Certum est IV. omnibus Catholicis, omnia novæ legis Sacramenta fuisse a Christo instituta, uti istud Conc. Trid. sess. 7. C. 1. aperte definivit. Nec alia causa est, cur Paulus ad Corinth. 4. universim Apostolos vocet Ministros tantum Christi, & Dispensatores Mysteriorum DEI.

Opiniones de eadem Institutione variantes.

56 NOvatores fatentur ab ipso immediate Christo institui potuisse Sacramenta, atque sic etiam instituta esse Baptismum & Eucharistiam; Confirmationem, Extremam Unctionem, & reliquos hujusmodi sacros ritus dicunt originem suam habere ab Apostolis tantum, vel Ecclesia, idcirco hæc e numero Sacramentorum passim expungunt.

Apud Catholicos Doctores certa ac ab omnibus recepta est sententia; Christum esse Authorem immediatum Baptismi & Eucharistiæ, ac etiam reliqua Sacramenta ab eo mediate saltem instituta; at, num omnia per se ipsum immediate instituerit? de hoc variant. Paucorum opinio fuit, immediatam nonnullorum Sacramentorum institutionem referendam esse ad Apostolos vel Ecclesiam. Ita sensit Hugo de S. Victore L. 2. de Sacramentis, Magister sentent. in 4. Dist. 23. C. 2. & S. Bonaventura ibid. A. 2. qu. 2. hi enim cit. locis docent Extremam Unctionem institutam esse a Jacobo Apost. C. 5. Epistolæ suæ Canonicæ. Idem Bonaventura, & Alexand. Alensis, Sacramentum Pœnitentiæ attribuunt institutioni Apostolorum

vel

vel Ecclesiæ in Concilio Nicæno: Confirmationem autem Concilio Meldensi.

Oppositum his communior Theologorum semper tenuit, omnium videlicet omnino Sacramentorum immediatam originem ab ipso Christo repetens. At hos inter rursum disceptatur: num istud ad fidem pertineat? quidam cum Vasquezio & Bellarmino id esse a Concil. Trid. sess. 7. C. 1. definitum ajunt; alii contra cum Estio & Suarezio affirmare non audent. Quæ jam potissimum ex his sequenda sit sententia, dabunt Assertiones duæ.

ASSERTIO I.

Certa est Sententia, Christum omnia legis novæ Sacramenta immediate, & per se ipsum instituisse.

Cum Novatorum error, non tam circa institutionem, quam circa numerum Sacramentorum versetur, de quo jam §. superiore contra illos actum est, Assertio hæc potissimum probanda est contra Catholicos Doctores oppositum sentientes. Argumenta erunt tria, eaque generatim tantum institutionem Sacramentorum ab ipso Christo factam spectantia; quibus ipsis proinde plus lucis ac firmitatis accedere oportebit ex iis, quæ subinde de singulorum Sacramentorum institutione suis locis speciatim dicentur.

57 Argumentum I. ex Sacris Literis. In his præterquam quod omnium septem Sacramentorum fiat mentio, ut jam notatum est N. 6. Paulus insuper omnes Apostolos declarat Ministros tantum esse Christi, & mysteriorum DEI dispensatores, non vero Authores. Inde 1. Cor. 3. *quid*, inquit, *est Apollo? quid vero Paulus? Minister ejus, cui credidistis.* Et apertius C. 4. *sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI.* Facit in hanc rem & illud, quod S. Lucas Act. 1. testetur, Christum post Resurrectionem

nem per dies quadraginta apparuiſſe Diſcipulis, & cum eis locutum eſſe de Regno DEI, id eſt, ut exponunt PP. de Eccleſia ædificanda & miniſtranda, ad quod haud dubie cumprimis pertinent fides & Sacramenta; credibile igitur eſt hoc tempore Chriſtum Sacramenta inſtituiſſe, ac de iis edocuiſſe Apoſtolos. Appoſite in hanc rem S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. Dom. *non ergo*, inquit, *ii dies*, *qui inter reſurrectionem Domini*, *aſcenſionemque fluxerunt*, *otioſo tranſiere decurſu* : *ſed magna in his confirmata Sacramenta*, *magna ſunt revelata Myſteria.*

Neque obeſt, nuſpiam in Scriptura clare exprimi Sacramenta omnia ab ipſo immediate Chriſto eſſe inſtituta; novimus enim, omnia, quæ Chriſtus egit ac conſtituit, non eſſe Sacris Literis conſignata. *Sunt autem* (ut legitur Joan. 21. v. 25.) & *alia multa*, *quæ fecit Jeſus*, *quæ ſi ſcribantur per ſingula*, *nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos*, *qui ſcribendi ſunt*, *libros.* Scripturæ interim locis, quibus Sacramentorum ſit mentio, cum Traditione collatis, ſat firma eſt Aſſertio. Etenim cum hæc fuerit ſemper communis, (paucis dumtaxat diverſum ſentientibus) Eccleſiæ doctrina, vix dubitari poteſt eam ab Apoſtolis eſſe profectam juxta regulam Auguſtini & Tertulliani ſupra N. 46. relatam.

58 Argumentum II. deſumitur ex Patribus, quorum communiter ſententia eſt, Sacramenta ex latere Chriſti profluxiſſe. Apertius de hoc locutus eſt Ambroſius, cum L. 4. de Sacram. C. 4. ait: *Author Sacramentorum quis eſt*, *niſi Dominus Jeſus? de Cœlo iſta Sacramenta venerunt.* Et S. Auguſtin. in ſua ad Januarium Epiſt. 54. alias 118. *tenere te*, inquit, *volo*, *Dominum noſtrum JEſum Chriſtum* - - *leni jugo nos ſubdidiſſe* : *unde Sacramentis numero pauciſſimis*, *obſervatione facillimis*, *ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit*; *ſicuti eſt Baptiſmus* - *communicatio corporis* & *ſanguinis ipſius*, & *ſi quid aliud in Scripturis Canoni-*

cis

cis commendatur. Commendari autem in his omnia ſeptem Sacramenta dictum eſt N. 6. ubi notavimus Scripturæ loca, quibus ſingulorum fit mentio. Hunc Auguſtini locum Aſſertioni noſtræ peculiariter favere & inde conjicias, quod eodem mox Sacramenta ab aliis ritibus, ut eſt anniverſaria Paſſionis Domini memoria &c. diſtinguat eo maxime, quod hi non a Chriſto, ſed ab Apoſtolis vel Conciliis ſint inſtituti; dum igitur Sacramentorum Authorem dicit Chriſtum, de immediata eorum inſtitutione loquitur; ſecus ritus inter & Sacramenta diſcrimen non recte repetiiſſet ab inſtitutione, cum & hi mediate a Chriſto ſint inſtituti, mediantibus videlicet Apoſtolis vel Conciliis, quibus hæc ipſa poteſtas a Chriſto eſt collata.

Ex his Patrum teſtimoniis ita etiam licet arguere. 1*mo*. PP. de Sacramentorum inſtitutione æqualiter, & nullo inter illa facto diſcrimine loquuntur; ergo cum univerſim ea dicunt a Chriſto inſtituta, cenſendum eſt, ex ſenſu eorum non magis immediatam a Chriſto inſtitutionem habere Baptiſmum, & Euchariſtiam, quam reliqua Sacramenta. 2*do* Nullus Patrum de Sacramentorum inſtitutione agens, eam in mediatam & immediatam diſtinguit: quin diſtinctio hæc ante Scholaſticam Theologiam Eccleſiæ ignota fuit; pauci illi præterea, qui Seculo XII. & XIII. opinati ſunt, Confirmationem & Extremam Unctionem mediate tantum a Chriſto per Apoſtolos vel Eccleſiam inſtitutas, ante ſe ex Orthodoxis Doctoribus habuerunt neminem: imo doctrinæ huic novæ omnes Scholæ duce D. Thoma ſe oppoſuerunt, ut adeo ſectatores ſint nacti pauciſſimos; ergo ſententia Aſſertioni noſtræ oppoſita a ſenſu Patrum & Eccleſiæ eſt aliena.

Argumentum III. eſt ex Concil. Trident. quod ſeſſ. 7. de Sacram. in gen. C. 1. ita definivit: *ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a J. Chriſto D. N. inſtituta, -- anathema ſit*. Canone autem hoc immediatam inſtitutionem 59

intelligi, declaratur ex ejusdem Concilii Trid. definitione altera, quæ habetur seff. 21. Cap. 2. his verbis: *præterea declarat* fancta Synodus, *hanc poteftatem perpetuo in Ecclefia fuiffe, ut in Sacramentorum difpenfatione, falva illorum fubftantia, ea ftatueret vel mutaret, quæ fufcipientium utilitati, feu ipforum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Quid vero hinc in rem noftram? iftud: Concilium agnofcit datam effe Ecclefiæ poteftatem inftituendi aut mutandi ritus Sacramentorum accidentales, non vero eorumdem fubftantiam; atqui fi aliqua Sacramenta fuiffent inftituta immediate ab Apoftolis vel Conciliis, etiam in Subftantiam Sacramentorum poteftatem haberet Ecclefia; igitur, cum Concilium definit omnia Sacramenta a Chrifto effe inftituta, immediatam intelligit inftitutionem.

Et omnino hunc fuiffe Concilii fenfum, vix negari poteft, fi ab eodem Concilio feff. 14. Canon 1. de Extrema Unctione, de qua tamen potiffimum controvertunt Adverfarii, ftatutus attendatur. *Si quis dixerit*, inquit Concil. *Extremam Unctionem non effe vere & proprie Sacramentum a Chrifto Domino noftro inftitutum & a B. Jacobo Apoftolo promulgatum, - - anathema fit.* An non aperte ifthic Extremæ Unctionis inftitutio foli Chrifto tribuitur, Apoftolo autem ejus dumtaxat promulgatio?

ASSERTIO II.

Proxime ad fidem accedit, ab ipfo immediate Chrifto inftituta effe omnia novæ legis Sacramenta; nec tamen fententia hæc dogma fidei dici poteft.

60 PRima Affertionis pars fat firma eft ab argumentis iis, quæ paulo ante a N. 57. allata funt; de altera igitur dumtaxat nunc agendum. Eam vero amplector idcirco, quod immedia-

diatam omnium Sacramentorum institutionem a Christo factam nec Scriptura, nec Traditio aperte significet, licet utraque eorum Authorem esse Christum doceat.

Synodus etiam Tridentina ab iis vocibus, quibus immediata institutio exprimitur, abstinuit: tametsi probe noverit fuisse magni nominis Scholasticos, qui Sacramenta quædam non nisi mediate a Christo instituta existimarent; satis proinde habuit Sacra Synodus contra Novatores decernere, omnia septem novæ legis Sacramenta esse juris Divini, quod cumprimis Lutherani & Calviniani inficiabantur. Inde Dominicus Sotus, qui Concilio Tridentino interfuit, in 4. dist. 1. qu. 5. Art. 2. Concl. 3. censet, non usque adeo constare hæreticum esse eum, qui negat Sacramenta Confirmationis & Extremæ Unctionis fuisse ore proprio Christi instituta. Estius item, clarissimi & ipse nominis Theologus, in 4. dist. 1. paragr. 16. *cum*, inquit, *non sit a Synodo definitum Sacramenta novæ Legis omnia immediate a Christo instituta esse, disputatur adhuc inter Catholicos, utrum omnia septem Christus immediate & per se ipsum instituerit &c.* Addat his momentum & authoritas Suarezii, magni Theologorum luminis, qui in 3. ad qu. 64. Disp. 12. Ar. 4. sect. 1. postquam immediatam Christi institutionem probavit Canone 1. supra cit. Concilii Tridentini, statim subjicit: *ubi prætermisit Concilium illam particulam: immediate & per se ipsum; & ideo non dixi absolute Conclusionem esse de fide, tamen hanc fuisse Concilii mentem vix potest dubitari.*

Quod si jam alicui videatur, Scripturæ cit. textus cum Patrum testimoniis, ac cumprimis tribus Concilii Tridentini Definitionibus collatos non posse nisi de immediata institutione intelligi; huic id repono unum: non posse omnino aliter intelligi nisi verbis a suo sensu in alium violente detortis, id verum est; non etiam sine nota hæreseos, istud cum tribus cit. Cl. Theologis nego. Atque hoc sit fundamenti instar, un-

de univerſim ad Objecta, quibus Aſſertio hæc II. impugnari poteſt, reſpondeatur.

Satisfit Objectionibus, quæ contra Aſſertionem I. adferuntur.

61 OBjicitur I. ex Scriptura, Joan. 2. Chriſtus dixit ad Apoſtolos: *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos.* Et Paulus de ſe ipſo, ad Cor. 2. *nam & ego*, inquit, *quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti.* Verbis his innuitur, Apoſtolos eandem cum Chriſto in Eccleſia habuiſſe authoritatem ipſius imo Chriſti perſonam ſuſtinuiſſe; ergo ſicut a Chriſto, ſic & ab Apoſtolis immediate aliqua ſunt inſtiſtituta Sacramenta: ſecus poteſtas hæc in illis fuiſſet otioſa.

Reſp. N. a. & textus explico. In cit. Joannis. loco Chriſtus non aliud voluit, quam quod mittat Apoſtolos ea poteſtate, quam a Patre accepit: non vero cum omni poteſtate, quæ ipſi a Patre collata eſt. Aut etiam dici poteſt, verbis illis ſignificari ſimilitudinem dumtaxat; non vero æqualitatem miſſionis & poteſtatis. Chriſtus certe a Patre miſſus eſt, ut eſſet Salvator Mundi, & Caput Eccleſiæ; quis vero hanc eandem authoritatem Apoſtolis auſit tribuere? Locus Apoſtoli etiam nihil contra Aſſertionem facit: donare enim in perſona Chriſti, idem eſt, ac nomine Chriſti, quod ipſum eſt eſſe Miniſtrum illius, minoris proinde poteſtatis.

62 Objicitur II. Ex SS. Patribus. S. Cyprianus Serm. de ablutione pedum ait: *Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt Sacramenti* (Euchariſtiæ videlicet) *Inſtitutor & Auctor: in cæteris homines Spiritum S. habuere doctorem*; de Cypriani itaque ſententia ſolius Euchariſtiæ immediata inſtitutio ad Chriſtum eſt referenda: reliquorum autem authores dicendi ſunt homines, iique vel Apoſtoli, vel Patres in Conciliis congregati. Conſentire his videtur S. Auguſtinus, cum L. 3. de doctrina Chriſtiana C. 9.

Sa-

Sacramenta, inquit, novæ Legis *Dominus ipse*, & *Apostolica nobis tradidit disciplina*; quasi dicat: aliqua a Christo, alia ab Apostolis instituta esse Sacramenta.

Resp. Cypriani & Augustini authoritatem isthic non recte opponi. Et ad Cyprianum quidem quod attinet, Sermo de ablut. pedum frustra sub nomine illius citatur. Habetur is quidem in Tractatu de Cardinalibus Christi operibus, qui Tomo III. Cypriani refertur: at hoc Tomo, juxta Pamelii notationes, dubia tantum & supposititia Cypriani scripta continentur. Liber certe de Cardin. Christi operibus omnium Eruditorum judicio opus est Arnoldi Bonævallis In Gallia Sec. XII. Abbatis: nec S. Cypriano, qui Sec. III. floruit, attribui potest: cum multa ejus Doctrinæ contraria contineat, neque inter vetera S. Doctoris MS. reperiatur, ac etiam in Stylo cum cæteris ejus operibus non consentiat. Videri potest de Cypriano Bellarm. in script. Eccl. Tillemontius in Histor. Eccl. &c. Quis quis interim sermonis illius author fuerit, ne is hæreseos damnetur, cum non Eucharistiam tantum, sed & Baptismum a Christo immediate institutum fidei dogma sit, censendum est, eum per Sacramentum Christi quodlibet novæ legis Sacramentum intellexisse: quod vero addit, *in cæteris homines Spiritum S. habuisse Doctorem*, ad cæremonias pertinet ab Ecclesia regente Spiritu S. institutas.

Augustini cit. verba nihilo minus Assertioni adversantur. Etenim ex mente illius Sacramenta novæ legis Dominus ipse & Apostolica nobis tradidit disciplina, Dominus videlicet ea instituendo & legem ferendo, Apostoli autem ministrando & promulgando C. secus N. Novit Augustinus Apostolos fuisse Ministros tantum Christi, non igitur eos unquam paris cum Christo authoritatis esse voluit. At

Instari adhuc potest Augustini testimonio: nam Ep. 54. ad Januarium Sacramenta a Christo instituta affirmans, Baptismum tantum & Eucharistiam recenset, ac dein subjicit: & 63

si

si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur; ergo Augustinus non credidit etiam reliquorum Sacramentorum Authorem esse Christum, aut saltem de hoc dubitavit.

Resp. N. illationem; neque enim verba, *& si quid aliud* &c. erant dubitantis, sed affirmantis, quasi diceret: & quid quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. Nempe S. Doctor, adeo in sacris Literis versatus, non ignoravit etiam Confirmationem, Extremam Unctionem, Pœnitentiam, & Ordinem in Verbo DEI Scripto aperte fundari; cum igitur Baptismi & Eucharistiæ Sacramenta nominat, ea in exemplum dumtaxat adducit aliorum.

Atque hæc de Sacramentorum institutione in genere: singula enim in particulari a Christo ipso esse instituta probabimus, cum de singulis speciatim agendum fuerit. Neque omittemus tum referre ac etiam refellere argumenta, quibus celebres quidam Theologi inducti sunt, ut Sacramentorum quorumdam institutionem ad Apostolos vel Concilia referrent. Nunc ad tuendam eorum famam illud facit unum, quod ante Concilii Tridentini definitionem ita senserint; licet Bellarmimus cum Lessio eos excusare velit amplius, quasi institutionis nomine promulgationem dumtaxat intellexerint.

§. IV.

An Christus, instituendo Sacramenta, eorum materiam & formam ita determinaverit, ut mutari non possint?

INstitutione Sacramentorum Christo afferta, duo præterea sub quæstionem veniunt: *1mo* Num ita instituerit Sacramenta, ut etiam eorum materiam ac formam determinaverit? *2do* An quævis hujus materiæ vel formæ mutatio irritum reddat Sacramentum? utrumque §. hoc expediemus,

pri-

primum de materiæ ac formæ determinatione, tum de mutatione eorundem acturi.

De Materiæ & Formæ in Sacramentis determinatione.

INdubium est signa & verba quædam in aliquibus Sacramentis usurpari, quæ nec in Scriptura leguntur, nec unquam fuere in usu apud Græcos; imo nec in Latina Ecclesia primis saltem Seculis. Talis e. g. est porrectio instrumentorum, quæ in sacris ordinationibus pro materia adhibetur; talia verba: *accipe potestatem* &c. quæ earundem formam esse volumus. Enata inde controversia: an Christus, cum Sacramenta institueret, ipse etiam omnium materiam & formam determinaverit, aut potius Ecclesiæ determinationi reliquerit? cujus quidem quæsiti resolutio plena haberi nequit, nisi singulorum Sacramentorum materiæ & formæ expendantur; de quo quia alibi, hic generatim dumtaxat sit

ASSERTIO.

Christus Sacramenta instituens eorum materiam & formam determinavit: & quidem universaliter pro tota Ecclesia.

PRob. 1*ma* pars Assertionis: Sacramentorum materiæ & formæ vel a Christo, vel ab Ecclesia fuerunt determinatæ; non ab Ecclesia; ergo a Christo. Min. propositio, quæ una in dubium vocari potest, probatur ex Concilio Trident. sess. 21. Cap. 2. ubi declaratur, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret & mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, locorum, & temporum varietate magis expedire judicaret.* Ita autem hinc arguo: nunquam fuit in Ecclesia potestas Sacramentorum sub- 64

ſtantiam ſtatuendi vel mutandi; atqui per omnes Sacramentorum ſubſtantia in materia & forma conſiſtit; in Eccleſia igitur non erat unquam poteſtas Sacramentorum materiam & formam ſtatuendi, ſeu determinandi. Quis jam autem, niſi temerarius & impius id eam attentaſſe dicat, quod ejus poteſtatem excedit?

Pro parte Aſſertionis altera illud facit: quod ſicut Sacramentorum quoad ſubſtantiam inſtitutio, ita omne id etiam, quod de illa ſeu ex Scriptura, ſeu traditione accepimus, ad univerſam pertineat Eccleſiam: neque omnino hinc oppoſitum ulla ſufficiens authoritas aut ratio evincit. Ad unitatem imo Eccleſiæ expediebat, ut pro univerſa ſimul eadem eſſent Sacramenta, ſimul eadem eorum materia & forma: quo eodem Sacramentorum vinculo fideles omnes in unum Eccleſiæ corpus coaleſcerent. Inde e. g. Latinus in Eccleſia Latina Græcorum forma baptizans, valide baptizat: uti & Græcus, ſi in Eccleſia ſui ritus formam Latinorum in Baptiſmo uſurpet. Neuter interim iſtud ſine piaculo facit; cum in re gravi, qualis hæc eſſet, nemini integrum ſit a ritu Eccleſiæ ſuæ, quamdiu in ea verſatur, diſcedere.

65 Quod ſi jam porro quis Aſſertionem explicari petat, & noſſe cupiat: num in Sacramentis materiæ & formæ non in genere tantum, ſed in ſpecie etiam a Chriſto ſint determinatæ pro univerſa Eccleſia? Reſp. id, ut ſupra innui, oportunius explanandum, cum de ſingulorum Sacramentorum materia & forma diſſeremus. Vix interim ab ullo controvertitur, Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis materias & formas in ſpecie a Chriſto eſſe conſtitutas. De Confirmatione dumtaxat, Ordine ac Matrimonio diſceptatur; de quibus nos, ne, quæ alibi tractanda ſunt, jam nunc occupemus, ſententiam noſtram propriis horum Sacramentorum Libris ſtatuemus, e quibus & reſponſa & objectiones in particulari petenda erunt.

Nunc

Nunc si generatim opponatur : in Scriptura non legi omnium Sacramentorum materiam & formam esse a Christo pro universa Ecclesia determinatas ; de ritibus præterea Sacramentorum constare , eos ab Ecclesia statui & mutari posse , ac re ipsa etiam pro Ecclesiarum varietate varios esse, ergo.

Resp. tametsi solis Scripturæ verbis Assertionis nostræ veritas confici nequeat : fit tamen istud , si ad tuendam illam ex Scriptura simul & Traditione, Patrumque ac Conciliorum doctrina argumentum ducatur, uti suo loco facturi sumus. Rituum etiam dispar est ratio, ut qui non ad substantiam , sed ad cerimonias tantum Sacramentorum accidentales pertinent ; inde varietas eorum , non est cur unitati Ecclesiæ officiat , quin ornat illam ac commendat potius. Deinde, ritus hos statuendi & mutandi potestatem habere Ecclesiam clarum est ex definitione Concilii Trid. N 64. citata ; nihil simile de materia & forma uspiam reperias.

De Materiæ & Formæ in Sacramentis mutatione.

Mutatio hæc esse potest vel substantialis , vel accidentalis. Quænam illarum Sacramenti veritatem tollat : quid item regulæ instar esse possit ad mutationem substantialem ab accidentali secernendam , statuendum est.

A S S E R T I O.

Substantialis mutatio materiæ & formæ irritum reddit Sacramentum ; non item mutatio accidentalis.

Pro *1ma* Assertionis parte ratio est : quia substantialis hæc mutatio tollit materiam vel formam a Christo institutam , quod ex mox dicendis patebit ; at sine his nequit valere Sacramentum , ut clarum est , ergo. 66

Ratio *2da* partis : nam mutatio accidentalis ex adverso integram relinquit materiam & formam , quam Christus insti-

ſtituit ; manet igitur ſubſtantia Sacramenti , totusque ejus valor. Imo (quod hic Lugo notat) mutatio accidentalis non fit comparate ad ipſam Chriſti inſtitutionem , ſed ad ritum dumtaxat ab Eccleſia præſcriptum ; quidquid enim a Chriſto pro materia & forma determinatum eſt, ad ſubſtantiam Sacramenti & valorem pertinet : ut adeo mutatione accidentali non ab inſtitutione Chriſti , verum ab uſu tantum Eccleſiæ recedatur. Ita , cum Latinus in pane fermentato conſecrat contra ritum ſuæ Eccleſiæ , mutationem materiæ accidentalem intercedere dicimus ; hic vero integra manet Chriſti inſtitutio , ut qui univerſim panem uſualem , qualis tam azymus quam fermentatus eſt, Euchariſtiæ materiam eſſe voluit , neque niſi ex ritu ſuo Eccleſia Latina azymum requirit.

Etſi interim mutatio accidentalis irritum non reddat Sacramentum , nequit tamen ea ſine piaculo fieri ; & ſi quidem illa ſit notabilis , aut etiam tantum exigua , cum contemptu tamen , vel intentione novum ritum inducendi conjuncta, culpa omnino gravis admittitur. Mutatio etenim hujuſmodi fere includit irreverentiam in Sacramentum , vel ſaltem in Eccleſiam , certos ritus pro poteſtate a Chriſto accepta conſtituentem. Videatur hic Conc. Tridentini ſeſſ. 7. Canon 13. quo anathema dicitur illi , qui conſuetos Eccleſiæ in Sacramentorum adminiſtratione ritus ſine peccato pro arbitrio omitti , aut mutari poſſe aſſeruerit.

REGULÆ

Ad mutationem materiæ vel formæ ſubſtantialem ab accidentali ſecernendam.

Regula de mutatione Materiæ.

67 MUtatio ſubſtantialis in materia eſſe cenſetur , cum tanta eſt , ut ſecundum communem uſum ac exiſtimationem, ſpecie proin morali differat ab ea , quam Chriſtus inſtituit , ut adeo

adeo diverſo etiam nomine compelletur. Accidentalis contra eſt, cum differentia hujuſmodi moralis non intervenit. Moralis inquam: hic enim non phyſica, ſed moralis & Theologica materiæ vel formæ unius ab altera diverſitas eſt attendenda. Inde, tametſi forte panis ſpecie phyſica non differret a maſſa farinæ ſubactæ cruda: quia tamen diverſus eſt ab ea in exiſtimatione hominum ſecundum communem uſum, ac proinde ſpecie morali, in ſenſu Theologico ſubſtantialis foret materiæ mutatio, ſi quis pro pane uſuali maſſam id genus crudam ſumeret conſecrandam. Ex adverſo accidentalis eſt tantum mutatio, cum panis azymus pro fermentato accipitur, cum uterque in æſtimatione prudentum panis uſualis nomine veniat, atque ita ſit ejusdem ſpeciei in ſenſu morali ac Theologico.

Regula de mutatione Formæ.

68 MUtatio formæ habetur pro ſubſtantiali, dum ſenſus in ea a Chriſto diſtincte expreſſus mutatur; inde, ſi hic remaneat, accidentalis tantum mutatio eſt. Hanc ipſam regulam accipe Bellarmini verbis: *utcunque*, inquit ille, *varientur verba*, *addendo*, *detrahendo*, *mutando*, *tranſponendo*, *corrumpendo*, *interrumpendo*, *ſemper manet integritas ſubſtantialis*, *dum manet idem ſenſus*; *e contra minima etiam variatio deſtruit integritatem ſubſtantialem*, *ſi pereat ſenſus*. - - *Accidentalis autem integritas conſiſtit in cæteris omnibus*, *id eſt*, *in integro ſono*, *ordine*, *&* *numero ſyllabarum*. Ita Bellarm. de Sacram. in genere L. 1. C. 21. Ratio autem horum eſt: quia verba in Sacramentis non ſono ſyllabarum, ſed ſenſu operantur.

Ex hac Regula deducitur I. Mutatio formæ ex uno idiomate in alium non est substantialis, quia non variat sensum. Idem est, si uni voci substituatur altera idem omnino distincte significans, ut in Baptismo *abluo* pro *baptizo*. Dixi *distincte significans*; si enim confuse tantum idem significet vox substituta, mutatio est substantialis: ut si quis dicat *baptizo te in nomine Trinitatis*, vel *mundo te* in nomine Patris &c. in primo enim non exprimitur distincte nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti: uti nec in altero mundatio per ablutionem, cujus tamen utriusque distincta expressio requiritur ex institutione Christi.

II. Verborum transpositio, additio item, vel detractio tum solum inducunt mutationem formæ substantialem, cum ejus mutant sensum: secus, si hic maneat. Ita valet Baptismus sub hac forma: *in nomine Patris Omnipotentis, Filii, & Spiritus S. te baptizo*, licet transponatur, *te Baptizo*, addatur *Omnipotentis*, omittatur *ego*; quia videlicet hæc omnia sensum formæ integrum relinquunt.

III. Si verba ex imperitia, linguæ præcipitantia, aliove simili vitio corrupte pronunciata formæ receptæ sensum in prudenti hominum æstimatione retineant, mutatio est tantum accidentalis; ut si dicatur *bapetizo* pro *baptizo*, *oc est Corpos meom* pro *hoc est Corpus meum*. Ratio hujus est ex D. Thoma qu. 60. Ar. 7. ad 3. *quia*, inquit, *quamvis verba modo exposito corrupte prolata nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen, ut significantia ex accommodatione usus; & ideo licet in illis mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus.*

Huc referenda est illa verborum corruptio, qua ex imperitia linguæ latinæ Sacerdos quidam Baptismi formam pronuncia-

ciabat, nempe: *baptizo te in nomine Patrua, & Filia, & Spiritu Sancta.* De hac a Bonifacio Episcopo consultus Zacharias Pontifex, data ad eum Epistola, quæ refertur dist. 4. C. *retulerunt* 86. ita respondit: *si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam - - baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.* Ex responso hoc clarum est, illam verborum corruptionem accidentalem tantum fuisse, ut quæ ex se judicio Pontificis Zachariæ, non obfuit valori Baptismi. Quod vero Pontifex ibid. dicit, *si non errorem introducens aut hæresim* &c. id ex D. Thomæ sensu ita accipiendum est: qui corrupta forma utitur cum intentione errorem introducendi, non videtur intendere id facere, quod facit Ecclesia; hanc ipsam igitur secutus opinionem Zacharias, censuit, si forma illa corrupta cum intentione erroris inducendi conjuncta fuerit, non potuisse illa valide confici Sacramentum: non quidem defectu formæ, at defectu intentionis in Ministro requisitæ.

IV. Substantialis denique fit formæ mutatio per interruptionem verborum tantam, ut ea communi judicio non censeantur moraliter coalescere in unam orationem & actionem: sin secus, accidentalis tantum mutatio est, nec Sacramenti tollit veritatem. Inde si baptizans dictis verbis, *ego te baptizo*, brevem interponat tussim, aut paucis silentium indicat adstantium cuipiam, ac dein prosequatur formam *in nomine Patris* &c. multi cum Gobat censent Baptismi formam integre quoad substantiam esse enunciatam.

Plura de mutationibus his qui volet in particulari explicatius, consulat Theologos Morales, qui argumentum hoc passim fuse pertractant.

DIS-

DISSERTATIO III.
DE
VIRTUTE ET EFFECTIBUS
SACRAMENTORUM

§. I.

An Sacramenta habeant virtutem causandi gratiam?

PRæcipuus Sacramentorum novæ legis effectus est gratia; ut enim Trident. Synodus sess. 7. in Proëm. habet, per Sacramenta *omnis vera justitia vel incipit*, *vel cœpta augetur*, *vel amissa reparatur*. Neque Novatores ipsi effectum hunc penitus abrogatum volunt Sacramentis : cum & Lutherus L. de Captiv. Babyl. ea dicat esse *Sacramenta justificationis*, & Calvinus in Antid. Concilii. Trident. *instrumentales gratiæ conferendæ causas*. Verum tota hæc eorum nobiscum consensio fere vocibus dumtaxat definitur : in re tam quoad gratiam, quam quoad Sacramentorum vim gratiæ effectivam a Catholicis omnino diffident. Quin nec ipsos inter Orthodoxos de virtute Sacramentorum una est sententia; dissidium tamen hoc, quale quale est, Scholas non egreditur, ad universam certe Ecclesiam non pertingit; ac tantum abest, ut Catholicum in præsenti dogma aut distrahat, aut infirmet, ut potius ad unitatem illius tuendam & affirmandam plura argumenta sufficiat. Et de hoc quidem Scholarum dissidio, quæ præcipua sunt, infra in Objectis a N. 81. summarie referam; nunc, quod rei caput est, virtus ac efficacia Sacramentorum ex sensu Ecclesiæ contra Novatores pluribus asserenda erit. Sciendum attamen prius generatim, quæ sit de hoc Novatorum, quæ item Catholicorum doctrina.

No-

Novatorum de virtute Sacramentorum ſententia.

69. SAtis fuerit iſthic Lutheranorum & Calvinianorum ſenſa notare; fere enim ad hæc reliquorum Novatorum doctrinam reduci haud difficulter aſſequetur, qui Sacramenti definitiones N. 4. relatas invicem contulerit. Docent autem iſti Sacramenta non habere immediatam ac proximam efficiendæ gratiæ virtutem, verum remotam tantum ac mediatam; hæc vero per illos in eo reponitur, quod Sacramenta in nobis excitent fidem, quæ deinde ipſa proxime ac immediate juſtificat. Deducitur iſtud ex Lutheri & Calvini verbis N. 5. ſub finem relatis. Huc facit & illud, quod Lutherus L. de Capt. Babyl. C. de Bapt. poſtquam dixit Sacramenta veteris legis quoad efficaciam non fuiſſe inferiora noſtris, ſubjecit: *ideo* inquit, *ſunt ſigna, ſeu Sacramenta juſtificationis, quia ſunt Sacramenta juſtificantis fidei & non operis; unde tota eorum efficacia eſt ipſa fides, non operatio.* Ex Calvini L. 4. Inſtit. C. 14. unum addo, quod videlicet iſthic §. 17. moneat, cavendum eſſe, *ut arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamque eſſe, quo ipſa per ſe Spiritus Sancti gratias nobis conferant.*

Non diffiteor interim, Lutherum & Calvinum quibusdam locis videri ipſis etiam Sacramentis vim juſtificandi attribuere. Lutherus certe Homil. 2. de Baptiſmo ait: *non poteſt non id operari Baptiſmus, ad quod inſtitutus eſt, videlicet regenerationem & renovationem Spiritus Sancti.* Et Calvinus in Antidoto Conc. Trid. ad ſeſſ. 7. Canonem 5. memoria repetendum monet, *Sacramenta eſſe inſtrumentales nobis conferendæ gratiæ cauſas;* & mox ad Can. 7. *ſi qui ſint, qui negent Sacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus.* Verum ſpecioſa hæc dumtaxat ſunt verba, quibus Novatorum aliqui fruſtra ſe & Duces ſuos ab errore vindicare contendunt. Præcipuum doctrinæ eorum caput eſt, ſolam fi-

dem justificare; si quando igitur Sacramenta dicunt operari regenerationem, aut instrumentales esse gratiæ causas, id totum sensu jam exposito accipiendum, de virtute scilicet causandi remota, & operatione mediata. Et Calvinus quidem in eod. Antidoto suo mox ad Can. 8. virus, quod tantillum texerat, detegit, cum aperte ait, Sacramenta in nobis efficere gratiam eo modo, quo efficit verbum Dei prædicatum. De pravo Lutheri in cit. Homil. sensu minus dubium esse potest, ut qui locis aliis jam memoratis satis superque prodit: vim omnem justificandi Sacramentis se abrogare, eamque in sola fide reponere.

Doctrina Catholicorum de Sacramentorum efficacia.

Recepta est apud Catholicos sententia, Sacramentis inesse vim proximam ac immediatam, & quidem ex opere operato efficiendi gratiam. Quo istud, ac etiam nos inter & sectarios discrimen clarius intelligatur, exponendi sunt termini, ac primum quidem: quid gratia sit in genere? quid item nominatim Sacramentalis gratia? tum, quid sit, eam ex opere operato produci?

70 I. Gratia sanctificans a Concilio Tridentino sess. 6. Cap. 7. ita definitur: *justificationis unica formalis causa est, justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Idem Concil. ibid. Can. 11. *si quis*, inquit, *dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi; vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum*

per

per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem DEI, anathema sit. Ex definitione igitur Sacri Concilii, gratia sanctificans non est mere extrinsecus favor DEI; sed aliquid animæ internum, formale, inhærens, atque ab actu charitatis, vel alio quovis transitorio distinctum.

Atque istud omnino est dogma fidei. An autem gratia sic explicata, quæ desinente Seculo XII. qualitas & habitus nominari cœpit, ac etiam hodie ex usu communi dicitur, sit vera & absoluta quorundam Philosophorum sensu qualitas, id ab Ecclesia non esse definitum docent quidam Synodi Tridentinæ Theologi, ut Dominicus Soto *L. 2. de gratia C.* 8. *&* 18. Melchior Canus *L. 7. de locis Theolog. C. 2.* & Ruardus Tapperus *de Libero arbitr. A. 7.* Ejusdem sensus fuere Bannes 2.2. qu. 23. Ar. 2. Medina in 1. 2. qu. 100. Ar. 2. Concl. 2. Thom. Stapletonius L. 5. de justificat. C. 8. Albertus Pighius L. 5. de libero arbitrio. Horum itaque sententia satisfit fidei, si gratia dicatur esse aliquid internum ab actu distinctum, quidquid demum sit illud. Ego isthic de meo nihil pronuncio, id Theologiæ studiosum dumtaxat monitum volo: cum de gratia agitur, ferendæ non sunt lites Philosophicæ. Cœleste illa, sacrum, ac supra naturam donum est: non igitur ex Aristotelis Categoriis definienda, minus censoriæ Philosophorum virgæ submittenda. Limites expressis a Tridentina Synodo verbis positi Theologo sufficiant; hos, cum gratiæ naturam investigat, non transgrediatur.

II. Gratia, quam Sacramenta conferunt, seu Sacramentalis 71 præter id, quod cum gratia habituali generatim accepta commune habet, importat etiam jus, sive peculiarem ordinem ad specialia auxilia, quæ ad finem cujusque Sacramenti proprium conducunt. Inde differentia gratiæ Sacramentalis a non Sacramentali est mere moralis & extrinseca, fundata videlicet in sola Sacramentorum institutione. Hæc eadem autem moralis differen-

ferentia, ex eodem prorſus capite intercedit etiam inter gratiam unius, & gratiam alterius Sacramenti: cum enim quodvis eorum ex inſtititutione Chriſti ordinetur ad ſpecialem finem, cujusvis pariter gratia ſpeciale habet adnexum jus ad certa auxilia. Ita gratia Baptiſmi conjungitur cum jure ad auxilia, quorum ope lex Chriſtiana obſervetur; gratia Confirmationis dicit ordinem ad auxilia, quæ juvent ad conſtantem fidei profeſſionem; idem eſt de reliquis Sacramentis, prout videlicet cuique hic aut ille proprius eſt finis.

Ex his autem certa eſt conſecutio, gratiam Sacramentis reſpondentem etiam extra uſum illorum abſoluta DEI poteſtate obtineri poſſe. Cur enim DEUS, qui libera inſtitutione certum gratiæ jus in Sacramentis adjicit, ſine his illud cum gratia conferre nequeat? Quod ſi autem præſentis providentiæ ſpectetur ordo, non confertur omnino gratia Sacramentalis niſi ſuſcipientibus Sacramentum.

72 III. Quo jam intelligatur gratiæ Sacramentalis productio ex opere operato, ſciendum eſt prius, quo ſenſu dicant Theologi gratiam effici ex opere operantis; tum autem iſtud fit, quando gratia confertur a DEO intuitu fidei ac pietatis, ſeu meriti ſuſcipientis vel miniſtrantis Sacramentum. Ex adverſo proin gratiam per Sacramenta cauſari ex opere operato, non aliud eſt, quam non ex merito ſuſcipientis aut conficientis Sacramentum: ſed ex vi ritus externi, in quo conſiſtit Sacramentum, quodque ipſum eſt opus illud operatum, a DEO intuitu meritorum Chriſti & vi promiſſionis factæ conferri gratiam: ſuppoſita tamen diſpoſitione in adultis requiſita.

Poſtremum iſtud conſulto propter Novatores adjicio, qui falſo calumniantur nos, quaſi per productionem gratiæ ex opere operato excluderemus præviam per fidei, ſpei, & aliarum virtutum actus diſpoſitionem. Alienum iſtud eſt ab Eccleſiæ doctrina; cum Concil Trident. ſeſſ. 6. Cap. 7. profitemur, per Sacramenta *unumquemque juſtitiam recipere ſecun-*

cundum mensuram , quam spiritus S. partitur singulis , prout vult , & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Requirimus igitur ad recipiendam Sacramenti gratiam in subjectis capacibus prævias fidei & pietatis dispositiones ; hæ tamen per nos non sunt causæ effectrices gratiæ , neque ipsis Sacramentis virtutem tribuunt : sed removent dumtaxat obicem , quo impediri possit eorum efficacia.

In Catholicorum nempe sententia , cum adultus Sacramentalem gratiam percipit , plura concurrunt : primum quidem DEUS , qui Sacramentum , tanquam signum a se constitutum acceptat ; deinde Christi merita , quæ per ritum Sacramenti externum suscipientibus applicantur ; potestas & intentio Ministri ritum Sacramentalem ponentis : actus salutares adulti Sacramento utentis ; materia & forma Sacramenti , seu ritus externus a Christo institutus ; gloria denique DEI & Christi , ac salus nostra , ad quæ collatio gratiæ ordinatur. Hæc omnia interim ad illam diverso prorsus modo se habent : DEUS ut causa activa principalis ; merita Christi, ut causa meritoria ; Minister , ut causa instrumentalis activa mediata ; actus salutares adulti Sacramentum suscipientis , ut dispositiones subjecti obicem gratiæ removentes ; gloria DEI & Christi cum vita æterna , ut causa finalis ; ritus demum Sacramentalis , seu materia & forma juxta institutionem Christi a Ministro applicata , ut causa activa instrumentalis immediata & proxima. Advertant vero ad hæc Novatores , & videant : num Catholicis , Sacramenta agere ex opere operato, idem sit , ac , illa esse causas gratiæ primarias & principales: aut , quæ virtute sua naturali justificationem nostram operentur : nec ullos in suscipientibus adultis requiri prævios fidei , spei , & aliarum virtutum motus. Hæc ipsa pluribus per decursum exponentur.

Defenditur Catholicum dogma de Virtute Sacramentorum.

ASSERTIO.

Sacramenta novæ Legis gratiam sanctificantem causant ex opere operato.

ASsertio hæc in terminis definita est a Concilio Trident. sess. 7. C. 8. ubi, *si quis*, inquit, *dixerit*, *per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam*, - - *anathema sit*. Quæ Sacræ Synodi aperta definitio, præsertim cum argumentis N. 6. 7. & 8. relatis conjuncta, certum ac indubitatum reddit de Sacramentorum efficacia Catholicorum dogma; quo interim illud contra Novatores probetur amplius, duo sint adhuc argumenta, ab authoritate alterum, alterum a ratione Theologica.

73 Argumentum I. ab authoritate ita instituo. Ex Scriptura, Traditione item perpetua & Consensione Universalis Ecclesiæ docemur Sacramentis inesse vim immediatam & proximam ex opere operato efficiendi gratiam; ergo istud pro indubitato fidei dogmate habendum. Illationem esse legitimam vel Novatores fatentur; sola igitur antecedens propositio probanda venit, id quod fit recensitis quibusdam Scripturæ, Patrum, ac Conciliorum Generalium testimoniis.

Ex Sacris Niteris autem præcipua sunt. Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum DEI.* Ad. Tit. 3. 5. *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.* Ad Eph. 5. 25. dicitur Christus sanctificare Ecclesiam *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Act. 22. 16. *Et nunc quid moraris?* ait Ananias ad Saulum;

ba-

baptizare & ablue peccata tua. Et de Confirmatione 2. ad Timoth. 1. 6. Apostolus loquens, *admoneo te*, inquit, *ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Consonat huic, quod legitur Act. 8. 17. *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecuniam &c.*

Ex Conciliis œcumenicis. Nicænum I. An. 325. habitum, Cap. de Baptismo, vim illi sanctificationis inesse significat. Constantinopolitanum I. A. 381. in Symbolo fidei, *confitemur*, inquit, unum Baptisma *in remissionem peccatorum.* Florentinum A. 1439. in Decreto Eugenii IV. differentiam inter vetera & nova Sacramenta assignans, *illa enim*, inquit, *non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Tridentinum denique A. 1545. inchoatum, pluribus Sessionis 7. Canonibus Sacramentorum efficaciam definivit, præsertim C. 6. & 7. ac omnium apertissime C. 8. jam cit.

Ex Patribus. Jam superius N. 7. cit. Tertullianus, qui secundo desinente, & tertio ineunte Seculo floruit, L. de Bapt. C. 1. 2. 3. & 4. disertis verbis ait, Baptismi aquas invocato DEO a Spiritu S. sanctificari, & vim sanctificandi combibere.

Huc pertinet S. Gregorius Nyssen. qui Sec. IV. vixit. Oratione is in Baptismum Christi, primum aperte dicit, Baptisma esse remissionem delictorum & regenerationis causam, tum addit; *aqua cum nihil aliud sit, quam aqua, superna gratia benedicente ei in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat generationem.* Neque hic sistit; vim hanc deinde, tametsi ea mira sit, admittendam tamen esse contendit: *quod si quis*, inquit, *mihi dubitando negotium exhibeat*, *interrogans, qua ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum: ostende* mi-

mihi modum nativitatis, quæ fit secundum carnem: & ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam.

Nominandus hic peculiariter est & S. Augustinus Seculi V. Pater. Quid clarius iis, quæ L. 4. contra Crefconium C. 16. habet: *non eorum*, inquit, *meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria Sanctitate atque veritate propter eum, a quo institutus est - - bene utentibus ad salutem.* Et Tract. 80. in Joan. de Baptismo disserens, *unde*, inquit, *tanta virtus aquæ, ut Corpus tangat, & Cor abluat?* Huc facit & illud, quod L. 1. de Adult. Conjug. C. 28. postquam dixit adulterinis consortiis deditos, qui sani corpore arcebantur a Baptismo, in extrema ægritudine baptizandos esse, causam reddat his verbis: *ut etiam hoc peccatum cum cæteris* (si nempe fuerint vere pœnitentes) *lavacro regenerationis abluatur.*

Eadem docuerunt Seculi II. Patres, S. Justin. M. Apolog. 2. & Irenæus L. 3. C. 17. alias 19. Patres item Seculi III. Origenes Hom. 4. in C. 2. Lucæ. S. Cyprianus Ep. 1. Quibus addendi ex Seculo IV. S. Joannes Chrysost. Hom. 25. in Joan. S. Hieronymus. Epist. 83. ad Oceanum. S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. C. 2. Plures apud Bellarminum L. 2. de Sacram. C. 6. & 7. citatos invenies.

Hæc jam Scripturæ, Conciliorum ac Patrum testimonia, si rite & absque præjudiciis expendantur, conferanturque etiam invicem, quid aliud docent, quam immediatam & proximam Sacramentorum efficaciam, vimque eorum gratiæ ex opere operato effectivam? Certe mediatam tantum ac remotam, quam Novatores adstruunt, illis intelligi nemo dixerit, nisi verba a proprio sensu in alienum violente detorqueat; quamquam loca quædam cit. adeo in rem nostram aperte faciant, ut ne violentæ quidem expositioni locum relinquant. Firma igitur est Assertio ab authoritate Scripturæ, Traditione item & Ecclesiæ universalis consensione, quam non aliunde

ma-

magis, atque ex Conciliorum Oecumenicorum & veterum Patrum doctrina discimus.

Argumentum II. a ratione Theologica. Deducitur autem illud ex his tribus. 1*mo* Baptismus valide confertur infantibus actualis fidei incapacibus, ut Lutherani, Calviniani etiam nobiscum contra Anabaptistas docent. 2*do* olim in Ecclesia non Baptismus tantum, sed & Confirmatio, & Eucharistia infantibus ministrabatur, ut videre est apud Josephum Vice-Comitem, Cardinalem Bona, & Bellarminum iis locis, quibus de his Sacramentis agunt; quin morem hunc etiamnum Græci, & Orientales multi retinent. 3*tio* Baptismus legitime ministratur etiam adultis usu rationis actuali destitutis, ut sunt dormientes, amentes, gravi morbo oppressi, ac ad extrema deducti. Habetur istud ex quotidiana Ecclesiæ praxi; docetque idem Augustinus L. 1. de Adult. Conjug. c. 26. & 28. ubi doctrinam hanc etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ extendit: *quæ autem*, inquit, *Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pænitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* 74

Ex his jam pro Assertione argumentum est sequens: ex usu, & doctrina Ecclesiæ aliqua saltem Sacramenta utiliter, & cum fructu ministrantur infantibus, & adultis rationis usu destitutis; atqui id non fieret, si Sacramenta gratiam ex opere operato non producant; ergo fatendum est ea sic producere gratiam. Maj. ex præmissis certa est; min. prob. etenim, si Sacramenta non ex vi ipsius operis operati, sed ex opere tantum operantis efficiant gratiam, id fit eatenus, quatenus ea valent ad excitandam fidem, quæ deinde justificat; at hujus incapaces sunt infantes, & adulti rationis impotes; igitur per fidem justificari nequeunt: atque sic legitima est consecutio, Sacramenta illis sine ullo fructu ministrari, quæ sententia tamen ne Lutheranis quidem, & Calvinianis probatur.

Demum: si Sacramenta in sensu Novatorum mediatam,

& remotam duntaxat efficaciam habeant, necesse erit admittere multa, quæ cum doctrina sana omnino non cohærent. Ita 1*mo* Scriptura sacra, verbi divini explanatio, & quævis signa fidem excitantia perinde efficient gratiam, ac sacramentum. 2*do* Baptismus non magis proderit ad salutem suscipienti, ac spectanti: cum in utroque perinde fidem excitare possit. 3*tio* non erit major virtus justificandi in Sacramentis nostris, quam in veteribus: nec in Baptismo Christi plus efficaciæ, quam in Joannis Baptismo. Hæc, & plura his similia sunt Novatorum doctrinæ corollaria, quæ tamen ne ipsi quidem, nisi a suis deficiant principiis, admissa vellent.

Respondetur ad Objecta Novatorum.

75 OBjiciunt I. ex Scriptura. Hac teste sola fides justificat; ergo in Sacramentis non est vis justitiæ, seu gratiæ efficiendæ ulla alia, quam remota & mediata per fidem, ad quam nos excitant. Probant ant. his fere Scripturæ locis: *Justus ex fide vivit* ad Rom. 1. v. 18. Et ibidem c. 3. v. 28. *arbitramur justificari hominem per fidem.* Item Joan. 3. v. 18. *qui credit in eum* (Christum) *non judicatur; qui autem non crediderit, condemnabitur.*

Resp. n. a. Ad textus cit. dico: nullo eorum soli fidei attribui justificationem. Neque omnino in sensu exclusivo accipi possunt; nam 1*mo* Scriptura locis pluribus alia etiam ad hominis justificationem, & salutem requirit, ut Baptismum Marci ult. v. 15. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* observationem præceptorum ad Rom. 2. v. 13. *factores legis justificabuntur;* universim etiam opera bona Jac. 2. v. 20. *fides sine operibus mortua est*, & v. 24. *ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Deinde Scriptura ipsis etiam Sacramentis vim justificandi tribuit, ut videre est n. 73.

76 Instant I. At cit. in Objectione textus de sola fide intelligen-

gendi sunt, ita saltem, ut Sacramenta excludantur a nostri justificatioue, ergo. Propos. ant. probatur: nam postquam Christus Marci ult. dixit: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, continuo, nulla amplius facta Baptismi mentione, subjecit: *qui vero non crediderit, condemnabitur;* unde, quia clarum est, damnandum eum, qui non crediderit, tametsi baptizatus fuerit, inferunt, solam fidem esse necessariam ad salutem, non item etiam Baptismum.

Resp. N. ant. Ad prob. C. a. & n. illationem. Ita nempe Novatores ex cit. Christi verbis arguunt: Baptismus sine fide non salvat, ergo sola fides salvat. Male istud inferri, quis sanæ mentis non videt? Id verum igitur est, damnandum adultum non credentem, etsi baptizatus fuerit: quia, *qui non crediderit condemnabitur*; non autem ex adverso, non condemnandum credentem, quamvis Baptismo careat, tum quia eodem loco præmissum est: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* tum quia Ioan. 3. v. 5. dicitur; *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Scilicet, ut jam ex recitatis vel N. 75. Scripturæ verbis clarum est, ad consequendam justificationem & salutem requiritur in adultis tam fides quam Baptisma: quodcunque contra horum deficiat, incurritur condemnatio.

77 Instant II. Tametsi concedatur, præter fidem etiam Baptismum requiri ad salutem, dicendum tamen, in ipso deinde Baptismo solam fidem esse causam justificationis; ergo adhuc virtus efficiendæ ex opere operato gratiæ Sacramentis frustra tribuitur. A. probant ex illo 1. Petri 3. ubi habetur: *Et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in DEum per resurrectionem JESU Christi.* Inferunt nempe hinc Sectarii, non salvare Baptismum, seu ablutionem, per quam deponuntur sordes carnis: sed solam Conscientiæ bonæ interrogationem, qua, ut ipsi volunt, fides designatur.

Resp. n. a. ad prob. nego citati textus eum esse sensum, quem fingunt Novatores: nam ibidem paulo ante dicitur, Baptismum salvare eos, qui baptizantur, sicut Arca salvavit Noë & familiam ejus; & alibi asseritur ipse Baptismus esse necessarius ad salutem, *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Fatendum interim, locum hunc Scripturæ omnino obscurum esse; at vel ideo exponendus est per alios textus, qui Baptismo prorsus clare attribuunt justificationem & salutem nostram. His vero attentis, non incongrue cum Simonetto dices, sensum illius esse: Baptismum non salvare per hoc, quod ablutione aquæ materiali carnis sordes deponat: verum quatenus virtute sua supernaturali abluit animam, qua ablutione ita emundatur conscientia, ut non vereatur sisti tribunali Divino, & a DEO Judice interrogari; ut adeo *Conscientiæ bonæ interrogatio* isthic non fidem, sed sanctificationem & emundationem animæ significet. Alii voce *interrogatio* intelligunt institutionem Sacramentalem propterea, quod Catechumeni ante Baptismum interrogentur, num credant? num baptizari velint? &c. per hos itaque textus citati sensus est: Baptismum non salvare, ut præcise est ablutio, sed ut hæc sibi annexam habet Institutionem Sacramentalem. Sunt etiam, qui existiment græcam vocem ἐπερώτημα, quam latinus Interpres vertit *interrogatio*, magis proprie significare *pactum*: horum proinde sententia Apostolus non aliud docet, quam quod Baptismus non ex ablutione secundum se spectata, sed ex pacto DEI gratiam promittentis salvet. Aliæ expositiones videri possunt apud Suarez de Sacram. Disp. 7. sect. 1.

78 Objiciunt II. ex S. Augustino, qui L. 19 contra Faustum C. 16. ait: *quid enim aliud sunt quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia & temporalia;* ubi Sacramenta confert cum verbis; at hæc ex se & proxime non causant gratiam; ergo, inferunt, nec Sacramenta. Resp.

Resp. d. maj. Sacramenta confert cum verbis, sic tamen, ut ibidem agnoscat virtutem operandi gratiam inesse Sacramentis c. maj. secus n. maj. & concessa min. n. c. Eodem loco nempe S. Doctor addit: licet Sacramenta *mutabilia sint, virtus tamen, quæ per ista operatur, jugiter manet, & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est.* Alibi etiam virtutem eandem clare tribuit Sacramentis, ut videre est n. 73.

Quo autem cit. loco sensus Augustini intelligatur, sciendum est; ibi agere eum contra Manichæos veterem legem propterea damnantes, quod Sacramenta ejus mutata sint, sublatisque illis substituta jam alia. Ostendit ergo Fausto pariter Manichæo, perperam illos ita arguere: cum lex vetus non minus ac nova significaverit Christum, illa quidem venturum, hæc vero jam advenisse; congruum autem fuisse mutari Sacramenta, quo videlicet, uti vetera significabant Christum venturum, sic nova jam natum ac passum significarent. Unde Sacramenta, tanquam symbola Christum significantia, conferens cum verbis, quæ sunt pariter rerum, quas significant, signa, subdit: *si enim soni verborum, quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademque res aliter enunciatur facienda, aliter facta - - - - quid mirum, si aliis mysteriorum signaculis Passio & Resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta annunciatur?*

79 Instant. Augustinus pluribus locis ad solum DEum, vel fidem tantum hominis justificationem refert, Sacramentis autem eam penitus abrogat; ergo verba, ex Opere ejusdem contra Faustum N. priore relata, nequeunt eo sensu, quo exposita sunt, accipi. Assertum suum fundant primum in L. 21. Civ. c. 25. ubi refellit illos, *qui liberationem ab æterno igne promittunt eis, qui Christi Baptismate abluti, & Corporis ejus & sanguinis participes facti sunt.* Deinde in L. qq. Veteris & Novi testamenti qu. 59. ubi, *nec donum*, inquit, *cæleste*,

leste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem immutari credit. Denique in L. 15. de Trinit. C. 26. quo a nostræ sanctificationis causa penitus excludit Ministros Sacramentorum, proinde & ipsa Sacramenta : *quomodo ergo* (verba sunt Augustini) *DEus non est, qui dat Spiritum Sanctum? imo quantus DEus est, qui dat DEum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.*

Resp. N. a. Ad 1*mum* Augustini textum dico, eum omnino ex more Novatorum referri, mancum nempe ac mutilum; si totus, ut illic est, legatur, cessat Objectio. Post verba nempe jam recitata statim subjicit S. Doctor : *quomodolibet vixerint, in quacunque hæresi, vel impietate fuerint.* Non negat igitur Baptismo & Eucharistiæ efficaciam inesse operandi salutem : verum eos refellit tantum, qui docebant, gratiam in Baptismo vel sumptione Eucharistiæ acceptam nulla impietate aut hæresi posse amitti.

Ad 2*dum* textum ex L. qq. Vet. & novi testam. objectum, id satis sit : hunc Librum falso affingi S. Doctori; scatet enim multis & gravissimis erroribus, ut adeo jure censeatur esse opus alicujus hæretici, quantumvis reclamet Erasmus. Vide Bellarmini L. de script. Eccl. in Augustino. Tametsi interim L. hic Augustini foret, satisfiet objectioni, si dicatur cit. verborum sensum hunc esse : quod videlicet donum cœleste consequi non possit, qui se credit immutari per aquam exclusa fide.

Ad 3*tium* Augustini locum responsionem suggerit ipsum cit. libri 15. de Trinitate argumentum. Inter alia nempe hic, postquam S. Doctor probavit Spiritum S. a Patre & Filio procedere, per cit. verba deinde occurrit objectioni, quæ fieri poterat ex C. 8. Act. ubi dicuntur Apostoli per impositionem manuum dedisse Spiritum Sanctum. Docet igiturSpiritum S.

ab

ab Apostolis non esse datum principaliter, ac eo modo, quo datus & missus est a DEO, Patre nempe & Filio; non asserit autem, eundem Spiritum S. ab Apostolis ne quidem instrumentaliter datum esse, per Sacramenta videlicet, quibus DEus velut instrumentis utitur ad gratiam Spiritus Sancti cum aliis ejusdem donis homini infundendam: nam ibidem refert ex C. 8. Act. verba, quibus aperte dicitur, Apostolos per impositionem manuum dedisse Spiritum Sanctum.

Hæc eadem expositio universim adhibenda, cum aut Scriptura, aut Patres soli DEO videntur justificationem tribuere. Ita ad Rom. 3. *Unus est DEus, qui justificat.* S. Jac. in Ep. C. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.* Ex Patribus S. Hieronymus in C. 4. Isaiæ super illa Ioannis Bapt. verba Ioan. 1. *ego vos baptizo in aqua, qui autem post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, sic commentatur: *ex quo discimus, quod homo tantum aquam tribuat, DEus autem Spiritum S. quo sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur.* Hæc igitur & his similia sensu jam exposito accipienda sunt; DEum videlicet omnis gratiæ & justificationis esse causam principalem; cum quo tamen, propter clara Scripturæ & Patrum ac Conciliorum testimonia, & illud componitur, quod Sacramenta sint causæ instrumentales ex opere operato efficientes gratiam. Istud ipsum certe Synodus Tridentina expressis verbis definivit Sess. 6. cap. 7. ubi hæc habet: *hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria DEI & Christi, & vita æterna; efficiens* (supple, principalis) *misericors DEus - - - meritoria autem D. N. I. Christus - - . - instrumentalis item Sacramentum Baptismi* & quidem *ex opere operato*, ut idem Concilium asserit Sess. 7. Can. 8.

80 Pro reliquis Objectionibus nota I. Qamvis DEus hoc providentiæ statu per Sacramenta gratiam conferat, non tamen idcirco in conferenda illa vero ac proprio sensu res depen-

pendet a Sacramentis; nam 1*mo* etiam ſine his gratiam elargiri poteſt, imo & non raro elargitur; 2*do* quia tum etiam, dum Sacramentum operatur gratiam, DEus eſt cauſa principalis, Sacramentum autem tantum inſtrumentalis: hoc proinde potius dependet a DEO; cum univerſim inſtrumentum ſubordinetur ſuo principio; 3*tio* denique, quia hæc ipſa Sacramentorum efficacia originem ſuam debet inſtitutioni Divinæ, eique prorſus liberæ.

II. A veteribus Sacramentis argumentum duci nequit ad noſtra; hæc enim ex ſe operari gratiam, docemur Scripturæ, PP. & Conciliorum teſtimoniis, ac ipſa Traditione, ut jam dictum eſt; nihil tale pro Veterum efficacia adſerri poteſt. Quin, uti lex vetus per Apoſtolum (*ad Hebr.* 7.) fuit infirma & inutilis, ut quæ nihil ad perfectum adduxerit, & in qua (*ad Gal.* 3. *v.* 11.) nemo juſtificabatur apud DEum: ſic & ejus Sacramenta per eundem Apoſtolum (*ad Gal.* 4. *v.* 9.) infirma & egena fuerunt elementa, ac univerſim ejusmodi quæ (*ad Hebr.* 9. *v.* 9.) non poterant juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, nec niſi (*ibid. v.* 13.) ad emundationem carnis ſanctificabant inquinatos, peccata autem eorum (*ibid. c.* 10. *v.* 4.) non poterant auferre. Docent idem SS. Patres, Baſilius L. de Spiritu S. c. 14. Chryſoſt. Orat. de Bapt. Chriſti. Ambroſius L. 1. de Sacram. c. 4. Auguſtinus in Pſ. 73. item L. 19. contra Fauſtum c. 13. &c. Clariſſima denique eſt Concilii Florentini definitio, vetera inter & nova Sacramenta diſcrimen in hoc conſtituens: *illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum figurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.*

Si quis dicat: Levitici 4. 5. & 17. Sacrificiorum & expiationum effectus eſt remiſſio peccati; PP. etiam, ut S. Leo, S. Ambroſius, ac præſertim Auguſtinus q. 84. in Levit. dicit, Moyſem ſanctificaſſe viſibilibus Sacramentis per miniſterium

rium ſuum &c. ergo quoad efficientiam ratio eſt eadem tam veteris quam novæ legis Sacramentorum.

Reſp. cum S. Th. 1. 2. q. 103. Ar. 2. ex cit. Scripturæ & Patrum locis, non aliud evinci, quam quod per vetera Sacramenta fuerit collata legalis ſanctitas; peccata etiam remiſſa quoad pœnam temporalem & legalem immunditiem: non autem quoad culpam & reatum pœnæ æternæ, niſi ſolum ex opere operantis, hoc eſt, ex fide, pietate, ac perfecta contritione Sacramentum percipientis. Fundatur iſtud in paulo ante relatis Apoſtoli, Patrum, ac Concil. Florentini verbis; neque omnino oppoſita ad ſpeciem teſtimonia conciliari aliter poſſunt. Ratio præterea eſt: nam veteribus Sacrificiis & expiationum Sacramentis certa dumtaxat quædam peccata expiabantur, ut patet ex L. Levitici; quod ſi autem ea contuliſſent gratiam, omnia ſimul peccata expianda erant: cum certum ſit, nullam gravem culpam eſſe poſſe in conſortio ſanctificantis gratiæ.

III. Infirmum eſt, quod ex Grammatica Novatores petunt argumentum, phraſim *ex opere operato* eſſe barbaram ac novam oggerentes, rejiciendamque idcirco, monente Timotheum Paulo, *o Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates.* 1 ad Timoth. 6. Etenim hic loquendi modus ſit licet minus latinus ac barbarus, aptus tamen eſt ad veritatem fidei clarius exponendam; melius autem eſt, ut in ſimili contra Creſconium Grammaticum ſcribit Auguſtinus, *ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi.* Novitatem etiam ejus fruſtra ſugillant: antiquior certe eſt Luthero & Calvino, ut quem jam ante Concilium Tridentinum D. Thomas adhibuerit, & quinquaginta fere annis ante illum Innocentius III. L. 3. de Myſter. Miſſæ C. 5. Sed nec Apoſtolus quaslibet novas voces improbat, verum eas tantum, quibus falſa doctrina proponitur, atque ſic profanatur verbum DEI; inde poſt. cit. verba ſtatim ſubjicit: *& oppoſitiones ſal-*

falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.

Respondetur ad Objecta ex Scholasticorum Controversiis petita.

Quidquid in præsenti est Scholarum dissidii, non ad impugnandam, sed ad explanandam & confirmandam potius Sacramentorum efficaciam referri, jam supra monui. Salva videlicet Ecclesiæ doctrina, de modo dumtaxat, tempore, ac varietate efficiendæ per Sacramenta gratiæ in varias abeunt sententias Scholarum Doctores. Ego de his ex proposito agendum non censui; quando, quamlibet eorum sequaris partem, firma manet in Assertione proposita Ecclesiæ doctrina, quam unam §. hoc tuendam suscipio. Ne interim vel in his hospes sit Theologiæ Studiosus, juverit compendio referre præcipua Controversiæ Scholasticæ capita: tum etiam in quam inter diffidentes partem conferenda sint suffragia, paucis pronunciare.

81 Objicitur I. celebris de modo efficiendæ per Sacramenta gratiæ controversia. Schola Thomistica acriter pugnat pro physica Sacramentorum efficientia; Scotistica contra pro morali; e Doctoribus Societatis aliqui cum Suarez, & Bellarmino Thomistas: plurimi cum Vasquez Scotistas sequuntur, quod idem facit Melchior Canus celebris e D. Dominici familia Theologus. Quid jam tot inter lites sentiendum? ægre definias.

Resp. certam videri Scotistarum sententiam; dicendum proinde: Sacramenta non physice, sed moraliter tantum causare gratiam. Ratio est *1mo*, quia Scriptura & PP. passioni, sanguini, & meritis Christi eandem vim sanctificandi tribuunt, quam Sacramentis: illa autem moraliter dumtaxat nostri sanctificationem efficiunt, ergo & Sacramenta. *2do* quia

quia moralis efficientia gratiæ ſufficit ad hoc, ut Sacramenta dicantur vero ſenſu cauſare gratiam: neque ulla eſt præterea ratio aut authoritas, quæ phyſicam eorum cauſalitatem evincat. 3*tio*. quia Sacramenta cauſant gratiam etiam tum, dum phyſice non exiſtunt: ut fit e. g. in Sacramento Matrimonii ſub conditione contracti, quod impleta primum conditione vim ſuam exerit, licet tunc contractus Matrimonialis moralem tantum exiſtentiam habeat; quomodo autem id, quod phyſice non exiſtit, virtute agat phyſica? 4*to*. denique, quod ſi quiſpiam cum Clar. Petavio ſanctificantem gratiam, non in qualitate aliqua creata, ſed in ipſo Spiritu S. animam peculiari quodam modo inhabitante conſtituat, quomodo phyſicam Sacramenti efficientiam probabit Adverſarius?

De Divi Thomæ authoritate, qua hic multum in nos pugnatur, ita habe: non diffiteor Doctorem Angelicum phyſicæ Sacramentorum cauſalitati multum favere: neque tamen eam ullibi expreſſis verbis aſſerit; quin locis nonnullis in moralem etiam inclinare videtur. Certe P. 3. qu. 62. Ar. 4. ad 5. vim Sacramentorum confert cum externarum vocum virtute, qua movetur intellectus ad rei ſignificatæ repræſentationem: hæc autem virtus utique ſolum moralis eſt. Item ibid. Ar. 5. dicit Sacramenta habere virtutem ex paſſione Chriſti; ſicut igitur hæc moraliter dumtaxat cauſat gratiam, ſic & illa. Inde, jure dixerim, ambiguam eſſe in præſenti D. Thomæ ſententiam.

Objicitur II. Quæcunque demum ſit hæc cauſalitas, reliqua tamen eſt lis de tempore, quo Sacramenta operantur gratiam: an videlicet tum ſtatim, cum partem eorum aliquam Miniſter ponit? an potius cum integre perfecta ſunt? 82

Reſp. Non opus hic ulla lite, ſi rite attendatur Chriſti inſtitutio. Secundum hanc ritus Sacramentalis tum producit gratiam, cum verum eſt Sacramentum; atqui hoc non eſt, cum pars tantum aliqua ponitur, verum cum totum Sacramentum integre perfectum eſt; ergo Sacramenta tum primum, ac

etiam ſtatim producunt gratiam; cum integre quoad omnes partes perfecta ſunt, ac etiam rite applicata, nec adeſt ullus gratiæ obex.

Id vero hic obſervandum: in Sacramentis, quæ in re tranſeunte conſiſtunt, uti ſunt præter Euchariſtiam omnia, idem eſſe eorum effectionem & applicationem; inde eo ipſo temporis momento, quo integre perfecta ſunt, ſunt etiam applicata. Euchariſtia contra, quæ eſt Sacramentum permanens, non hoc ipſo quod integre perficiatur, ſimul debite applicatur: applicatio enim illius tum primum habetur, cum ſpecies Euchariſticæ, quantum ad comeſtionem vel potionem requiritur, ſufficienter ſumptæ ſunt; hinc patet, Euchariſtiæ Sacramentum eſſe poſſe perfectum ſine applicatione.

83 Objicitur III. Etiamnum diſceptari: num in Sacramentis virtus gratiæ cauſativa ſit æqualis, an inæqualis? ſunt, qui æqualem ab omnibus conferri gratiam velint; oppoſitum tuentur alii: re autem hac controverſa, videtur ipſa Sacramentorum efficacia reddi ambigua.

Ante Reſponſionem noto: certum eſſe, Sacramenta diverſæ ſpeciei, ut ſunt e. g. Baptiſmus & Confirmatio, ſubjectis æqualiter diſpoſitis gratiam conferre inæqualem; nam ex Tridentino Seſſ. 7. de Sacram. in Gen. Can. 3. conſtat: Sacramenta non eſſe inter ſe paria, verum aliqua ratione unum dignitate præſtare alteri, atque ita etiam virtutis eſſe inæqualis. Tota igitur præſens controverſia eſt de Sacramentis ejuſdem ſpeciei, ut ſi e. g. Baptiſmus conferatur cum Baptiſmo. Et ab his quidem in ſubjectis æqualiter diſpoſitis æqualem effici gratiam docet D. Thomas & Theologorum pars potiſſima: in dubium revocat Scotus: Alenſis & Palludanus cum ſequacibus ſuis negant. Hoc jam notato

Reſp. I. Sentiendum eſſe cum D. Thoma: Sacramenta videlicet ejuſdem ſpeciei in ſubjectis æqualiter diſpoſitis æqualem cauſare gratiam. Doctrina hæc fundatur in Concil. Tri-

dent.

dent. quod Seff. 7. Can. 7. definivit, per Sacramenta conferri gratiam *ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte DEI*: ex quo recte arguitur, Sacramenti gratiam certa DEI lege eſſe definitam, ex parte proinde DEI & Sacramentorum ejusdem ſpeciei ſemper eſſe æqualem; ſi igitur & ſubjecta æqualiter ſint diſpoſita, non eſt, unde oriatur gratiæ inæqualitas. Inde S. Thomas hic qu. 69. Ar. 8. *quia omnes pueri*, inquit, *æqualiter ſe habent ad Baptiſmum, omnes æqualem effectum percipiunt in Baptiſmo.*

Reſp. II. cum eodem Doctore Ang. dicendum; ſubjectis inæqualiter diſpoſitis per Sacramenta ejusdem ſpeciei inæqualem conferri gratiam, majorem ſcilicet aut minorem pro ratione diſpoſitionis. Ratio hujus petitur ex Conc. Trident. quod Seff. 6. Cap. 7. loquens de juſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, diſerte ait; eam in nobis recipi non tantum ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, verum etiam *ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*; ſi igitur inæqualis ſit in baptizandis diſpoſitio, inæqualis eſt & gratia, quam per baptiſmum accipiunt: a Baptiſmo autem ad Sacramenta reliqua recte arguitur. Congruum præterea iſtud eſſe, nemo negaverit; ita enim fidelium acuitur fervor ac pietas, quo majore cura ſe ſe comparent ad recipienda diviniſſima Myſteria. Neque interim exceſſus hic gratiæ, quem melius diſpoſitus accipit, confertur mere ex opere operantis; nam major illa diſpoſitio non eſt cauſa meritoria hujus exceſſus, verum conditio tantum ex parte ſubjecti ſe tenens, ſine qua Sacramentum minorem gratiam ex opere operato conferret. Dixi, *mere ex opere operantis*; neque enim negari poteſt, etiam ex opere operantis aliquam hoc caſu dari gratiam, quæ videlicet reſpondeat actibus illis, quibus quis melius ſe diſponit.

84 Objicitur IV. non convenire inter DD. an Sacramenta omnia operentur, aut ſaltem operari poſſint primam gratiam?

Thomistæ & Scotistæ communiter affirmant : negant contra Vasquez, Bernal, Lugo, & multi alii ; cum vero in dubium vocetur Sacramentorum effectus, quomodo certa erit de vi eorum effectrice sententia ?

Resp. I. Nemo eorum, qui in præsenti diffident, negat Sacramenta efficere gratiam, prout ea quoad substantiam spectatur ; per hos igitur etiam certus est Sacramentorum effectus, quid ni proinde & eorum virtus ?

Resp. II. quo certi aliquid in hac controversia statuatur, sciendum est : Baptismum & Pœnitentiam dici Sacramenta mortuorum, idque propterea, quod principaliter destinata sint pro peccatoribus, qui spiritualiter mortui sunt morte peccati; reliqua Sacramenta ex adverso dicuntur vivorum, utpote pro justis, qui nempe vita gratiæ vivunt, instituta. De utrisque nunc ita statuo.

I. Sacramenta mortuorum ordinarie conferunt primam gratiam : quibusdam casibus autem etiam secundam. Ratio 1*mi* est : nam Baptismus & Pœnitentia ex primaria Christi institutione ordinata sunt ad tollendum peccatum grave, id quod fit per collationem utique primæ gratiæ, seu talis, ante quam in anima nulla prius fuerit alia. Ratio 2*di* petitur ex Concil. Trid. quod Sess. 7. Can. 6. definivit, per Sacramenta dari gratiam *non ponentibus obicem*, & C. 7. *semper & omnibus rite ea suscipientibus* ; at dum quis accedit Baptismum (idem est de Sacramento Pœnitentiæ) præmissa jam contritione perfecta, nullum habet obicem, quin & rite dispositus est ; in hoc igitur Baptismo datur illi gratia : hæc vero, ut patet, prima non est, igitur secunda.

II. Sacramenta vivorum per se ac communiter operantur gratiam secundam : per accidens in aliquibus circumstantiis etiam primam possunt efficere. Ratio 1*mi* fundatur rursum in Christi institutione, secundum quam principaliter ordinantur pro justis ad augendam eorum gratiam. Ratio 2*di* deducitur ite-

iterum ex duobus Concil. Tridentini supra citatis Canonibus; etenim si quis, culpæ gravis admissæ immemor, Sacramentum aliquod vivorum suscipiat cum attritione: vel peccati conscius cum contritione existimata, quæ ipsa est attritio, hic, quantum quidem per illum est, nullum ponit obicem, estque rite dispositus; ergo confertur illi gratia, eaque remissiva peccati, proinde prima. Favet huic sententiæ ejusdem Concilii Sess. 13. C. 5. ubi dicitur anathema asserenti, præcipuum Eucharistiæ fructum esse remissionem peccati; supponit igitur hanc etiam Eucharistiæ esse fructum, negatque solum esse præcipuum. Idem Concil. Sess. 14. C. 2. definivit, per Extremam Unctionem etiam peccata remitti, non facta ulla ad culpas veniales restrictione; inde in Sacramenti hujus forma generatim dicitur: indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per tactum, visum &c.

Huc pertinet denique & Patrum, per Eucharistiam peccata deleri docentium, authoritas. Ita Cyrillus L. 4. in Joan. C. 17. Damascenus L. 4. de Fide C. 13. Justinus M. in Respons. ad qu. 44. a Gentilibus propositum, omnium autem clarissime D. Thomas in 4. dist. 9. qu. 1. Art. 3. ubi pro se citat Augustinum. Hanc eandem autem sententiam Doctor Ang. tuetur etiam de Confirmatione p. 3. qu. 72. Art. 1. ad 2. item de Extrema Unctione in 4. dist. 23. qu. 1. Art. 2. Ab his porro ad reliqua vivorum Sacramenta legitime arguitur; cum eadem sit omnium ratio comparate ad secundam gratiam, ad quam principaliter conferendam sunt instituta.

§. II.

An, & quæ Sacramenta causent characterem?

Alter Sacramentorum, non quidem omnium, at saltem aliquorum effectus est character. Et hujus quidem existentia pertinet ad fidem: quin & natura, quantum de ea ab

Ec-

Ecclesia pronunciatum est; quod vero ultra curiosius quidam inquirunt Scholastici, id Philosophicæ magis quam Theologicæ est disceptationis. Nobis, quia propositum est, non pro Scholæ opinione aliqua, verum pro Ecclesiæ dogmate contra Novatores pugnare, peculiari Assertione existentiam tantum characteris Sacramentalis tuebimur: definituri una, quorumnam ille Sacramentorum sit effectus. Assertioni præmittamus Characteris ex sensu Ecclesiæ definitionem primum, tum varias de ejus existentia & natura sententias.

Characteris Sacramentalis ex sensu Ecclesiæ definitio.

85 I. Concilium Trident. Seff. 7. Can. 9. Characterem Sacramentorum dicit esse *signum quoddam spirituale & indelebile*; *unde* (addit ibidem) *iterari non possunt*. Idem Concil. Seff. 23. Cap. 4. in Baptismo, Confirmatione & Ordine, ait, *Character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest.*

Catechismus Concilii Tridentini, jussu Pii V. editus, Characteris effectus explicans Tit. de Sacram. hæc habet: *Baptismi Charactere consequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei; & eo præterea fidelis populus a gentibus, quæ fidem non colunt, distinguatur. Idem autem in Charactere Confirmationis & Sacri Ordinis licet cognoscere: quorum altero velut Christi milites, ejus nominis publicam Confessionem, & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem - - armamur & instruimur; simulque ab iis, qui nuper baptizati sunt, discernimur; alter vero tum potestatem Sacramenta ministrandi conjunctam habet; tum eorum, qui ejusmodi potestate præditi sunt, a reliquo fidelium cætu distinctionem ostendit.*

86 II. His conformis est recepta jam in Ecclesia Characteris definitio, quam ante Tridentinum D. Thomas 3. p. qu. 63. Art. 4. & 5. tradidit, quod videlicet sit *signaculum Spirituale &*

le & indelebile, *quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea*, *quæ sunt divini cultus.* Explicandi sunt nunc termini.

Dicitur 1*mo* *Signaculum spirituale:* tum quod per illud deputemur ad cultum spiritualem : tum quod anima, quæ spiritualis est, illo insigniatur, juxta illud Apostoli 2. Cor. 1. *unxit nos DEus & signavit nos*, *& dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Dicitur 2*do* *indelebile* : signum enim hoc, uti & potestas per illud acquisita, ita volente DEO, nunquam deperditur ; inde Sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari non possunt. Congruum istud esse dicit D. Thomas ex eo, quod signum hoc per specialem quamdam consecrationem conferatur : *Quidquid* autem *semel fuerit consecratum*, *sanctum sanctorum erit Domino.* Levit. 27. 28.

Dicitur 3*tio* *ad suscipiendum vel aliis tradendum* &c. neque enim signum hoc merus dumtaxat ac otiosus est animæ ornatus ; adfert secum præterea, & communicat potestatem in ea, quæ sunt Religionis. Ita per Baptismi Characterem ad Sacramenta alia percipienda reddimur idonei, ac etiam ab infidelibus discernimur. In Confirmatione Character dat activam potestatem contra fidei hostes pugnandi : in Ordine autem potestatem res divinas administrandi.

Ex his colligitur, per Sacramentalem Characterem 1*mo* animam peculiariter DEO consecrari ; 2*do* eandem aptam reddi ad aliquid sacri suscipiendum, vel peragendum ; 3*tio.* fideles, non modo ab infidelibus, sed & ab invicem internosci ; 4*to* demum characterem efficere, ut Sacramenta, per quæ ille imprimitur, iterari non possint.

Variæ de Charactere Sacramenti ſententiæ.

I. UNa ac communis Novatorum omnium eſt ſententia; nullum per Sacramenta imprimi characterem, nihilque illum eſſe aliud quam Scholaſticorum commentum ab Innocentio III. excogitatum. Ita primus, quod ſciam, ſenſit Joannes Wicleffus L. 4. Trialogi C. 15. Hunc deinde ſecuti ſunt Lutherus & Calvinus cum ſuis ſequacibus. Vide Calvinum in Antid. Conc. Seſſ. 7. Can. 9. & Martinum Kemnitium in Examinis ſui P. 2. Argumentum, quo paſſim utuntur, eſt; quod de Charactere in Scriptura & Patribus mirum ſit ſilentium, quodque inter ipſos Scholaſticos de eo non conveniat.

II. Ex Orthodoxis nullus negavit unquam Characterem Sacramentalem. Non deerant attamen Scholaſtici, quibus exiſtentia illius videretur ad fidem non pertinere. Hujus ſententiæ Scotum fuiſſe putant aliqui propterea, quod in 4. diſt. 6. qu. 9. dicat, *propter ſolam Eccleſiæ authoritatem admittendum eſſe characterem.* Scoto adjungunt etiam Cajetanum, cujus in 3. p. S. Th. q. 63. Ar. 1. hæc ſunt verba: *neque ex Scriptura, neque ex SS. Patribus, ſed ex ſola Eccleſiæ authoritate, & quidem non multum antiqua, colligi poſſe characterem per aliqua Sacramenta imprimi.* Et Scotum quidem cenſeo non ſine injuria iſthic citari, cum characteris exiſtentiam abſolute aſſerat, ac pro ea ab Eccleſiæ authoritate argumentum ducat. Cajetanus videtur in hanc ſententiam inclinaſſe, ut ex verbis ejus conjicitur. Cæterum, quod Characteris exiſtentiam expreſſis verbis ad fidem neuter referat, mirum videri non debet: cum uterque multo ante Concilium Florentinum ſcripſerit.

Durandus, qui pariter Florentinam Synodum Seculo integro præceſſit, meliori jure hic nominandus eſt; nam, cum in 4. d. 4. q. 1. admittendum eſſe characterem docet, pro cauſa id reddit unum: *quia omnes moderni profitentur illum imprimi in aliquibus Sacramentis.* Omnium apertiſſime ſenten-

tentiam hanc tuitus eſt Gabriel Biel in 4. d. 6. q. 2. Ar. 1. Concl. 1. ubi, *patet*, inquit, *quod neque authoritas Scripturæ, neque ſanctorum Patrum originalia dicta cogunt ponere characterem ;* at infra Concl. 2. *per rationes perſuaſivas, & Eccleſiæ authoritatem oſtendi poteſt probabiliter ponendum eſſe characterem.* Author hic eo magis notandus, quod poſt editum in Synodo Florent. ab Eugenio decretum ita ſenſerit. Verum de his recurret adhuc mentio in Objectis n. 98. ubi a Novatorum calumnia Viri clariſſimi vindicandi erunt.

89 III. Poſt claram Florentinæ, & Tridentinæ Synodi definitionem, certa jam ac indubitata eſt doctrina : fide omnino tenendum eſſe, exiſtere characterem. Atque hoc quidem pugnæ ſcholaſticæ poſitus eſt modus, non finis. Reliquum adhuc eſt de characteris eſſentia certamen, diviſis circa eam in varias ſententias tam Veterum quam Recentiorum Scholarum Doctoribus, quos ipſos in tres claſſes libet dividere. In prima ſtatuo eos, qui characterem negant eſſe qualitatem abſolutam ; in ſecunda eos, qui affirmant ; in tertia demum erunt nihil definientes.

Ad primam claſſem pertinet Gabriel Biel ; hic jam cit. Concl. 1. aperte negat characterem eſſe qualitatem abſolutam animæ impreſſam. Ejuſdem ſenſus videtur jam multo antea fuiſſe Albertus M. in 4. d. 6. Ar. 4. *de charactere*, inquit, *in ſenſu, quo Magiſtri diſputant* (an nempe ſit qualitas abſoluta) *parum invenitur in dictis Sanctorum.*

Scotus non ſatis habuit negative aliquid ſtatuere ; in 4. d. 6. q. 10. præterea affirmat, characterem non eſſe omnino aliquid reale, & abſolutum ab anima diſtinctum, verum relationem realem extrinſecus animæ advenientem, & a ſacramento productam : quanquam Vaſquez in 3. p. D. Thomæ Ar. 6. Diſp. 134. c. 2. n. 3. alio ſenſu exponat Scotum, ubi eum a Durandi opinione non longe abeſſe ait. Durandi autem opinio erat in 4. d. 4. qu. 1. in ſola rationis relatione characterem

esse constituendum, ita ut hic non aliud sit, quam denominatio quædam externa, quatenus videlicet susceptis quibusdam Sacramentis a DEO peculiariter deputamur ad sacra quædam recipienda, aut ministranda: idque ea fere ratione, qua ad officium aliquod homo deputatur, vel nummi pretium augetur sola Principis voluntate, quin ulla homini aut nummo superveniat entitas.

Sententiam Durandi, Suarez, & Bellarminus censent non differre ab errore Novatorum, cum & hi ejusmodi deputationem externam negare non possint; Vasquez nihilominus, quamvis a Durando recedat, ab erroris tamen cum Novatoribus communione eum multis vindicat. Quin Dominicus Soto in 4. d. 1. qu. 4. Ar. 2. in Durandi opinionem etiam propendet, eamque sibi non videri a veritate multum alienam ait, *cum quodam tamen* (ut ipse addit) *moderamine*, videlicet: ut character dicatur imprimi, ac esse qualitas secundæ speciei.

In secunda classe tam Veterum, quam Recentiorum sunt plurimi, qui cum D. Thoma, Alltissiodorensi, Marsilio, Suarezio, Vasquezio, Bellarmino, & aliis characterem docent esse veram in sensu philosophico qualitatem, ens proinde aliquod absolutum ab anima distinctum. At quot hos inter rursum dissidia! Aliqui directe, alii indirecte tantum & reductive characterem ad qualitatem revocant: istudque iterum ex aliis alii causis. Traducitur etiam dissidium ad qualitatis speciem, in qua videlicet collocare oporteat characterem. In specie figuræ eum esse censent cum Marsilio aliqui; quidam cum Alltissiodorensi in specie qualitatis patibilis; alii cum Alensi, Suarezio, & Vasquio in specie habitus partim activi, partim passivi; cum D. Thoma denique alii in specie potentiæ tantum activæ. Neque hic sistitur: de ipso etiam qualitatis hujus subjecto disceptatur. Recipi eam immediate in intellectu docent alii: alii in voluntate: alii in utraque potentia: alii demum simpliciter in substantia animæ.

Ter-

Tertiam classem faciunt illi, qui Ecclesiæ sensis suæ de charactere disceptationis limites definiunt: ea vero, quæ extra hos agitantur jurgia, quieti ac sui securi eminus spectant. Atque isti satis habent cum Concilio Tridentino profiteri: per Sacramenta imprimi characterem, qui sit *signum quoddam spirituale & indelebile, unde iterari non possint;* litibus vero, quæ de hoc signo in tribunali magis Philosophico quam Theologico excitantur, caute se subducunt, nihil soliciti: num character sit ens reale, an rationis? relatio, an qualitas? ad quam speciem qualitatis pertineat &c. Censent nempe, satius esse silendum silente Ecclesia: si quid interim proloquatur illa, parati semper oracula ejus excipere, ac tueri. Neque vero de hoc a Tridentina Synodo (quæ una iis objici potest) quidquam definitum esse, contendunt ejusdem Synodi Theologorum testimonio; inter quos Alphonsus a Castro L. 7. contra hæreses dicit, parum referre, an character sit qualitas? an relatio? modo asseratur esse signaculum, quod DEus animæ imprimit. Dominicus autem Soto in 4. dist. I. qu. 4. Art. 2. quæstionem hanc, ait, in Metaphysicæ visceribus esse abstrusam, & ideo cunctis molestiorem, quam Theologis necessariam. Inde Cl. Berthius in sua Theol. L. 30. C. 22. peculiari Assertione propugnat: non adversari fidei asserere, characterem esse rem ab anima indistinctam; pro qua sententia ibi ex Recentioribus citat Habertum, Farvaques, Vanroy &c. Hæc notanda erant; jam, quod propositum nobis unum est, pro tuenda de charactere sacramentali Ecclesiæ doctrina, sit

ASSERTIO.

Existit Character Sacramentalis, conferturque is per Baptismum, Confirmationem & Ordinem.

Istud fidei dogma esse certum est post Concilii Florentini & Tridentini definitionem. Florentinum in Decreto Eugenii 90

IV. ita habet: *Inter Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur.* Tridentini sess. 7. de Sacr. can. 9. verba sunt: *si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile; unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Huc pertinet ejusdem sess. 7. de Bapt. can. 4. item sess. 23. c. 4. & can. 4. Ne autem Novatores putent, ante Florentinam Synodum ignotam fuisse Ecclesiæ hanc doctrinam, atque adeo primum in cit. Conciliis definitam, necesse habemus explanare, eam omnino Scripturæ, Patribus, & Traditioni perpetuæ conformem esse. Igitur

91 I. Doctrina hæc conformis est Scripturæ; nam legitur 2. Cor. 1. *qui unxit nos DEus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Eph. 1. *in quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Ibid. c. 4. *Nolite contristare Spiritum DEI, in quo signati estis in diem redemptionis.* Neque interim solis his Scripturæ testimoniis rem evictam volo; quamvis enim optimo jure de charactere intelligenda sint propter voces *signavit, signati estis:* a quibusdam tamen exponuntur de Sacramentorum gratia, quæ est pignus quoddam Spiritus S. & hæreditatis æternæ. Inde, quo suum cit. Apostoli verba pro Assertione momentum habeant, conjungenda sunt cum Patrum sensis & Traditione. Unde

92 II. Doctrinam eandem Patribus conformem esse rursus ita probo: PP. docent 1*mo*, per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem conferri characterem, seu signum quoddam permanens ac indelebile. 2*do* hæc eadem tria Sacramenta repeti ac iterari non posse; atqui Ecclesiæ de charactere doctrina hoc ipsum complectitur; conformis est igitur Pa-

Patribus. Min. patet ex Synodi Florentinæ & Tridentinæ verbis jam relatis; consecutio autem est certa, si maj. evincatur: id quod nunc præstabimus, pro singulis ejus partibus seorsim affirmandis ad Patrum testimonia Novatores provocaturi. Et quidem

Pro parte 1*ma* ex Sec. III. sit Cyprianus, qui Ep. 77. *recens baptizatos*, ait, *sigillo Domini consummabo.* Ex Sec. IV. præter Basilium Hom. 13. Cyrillus Hierosol. in præfat. Catecheseon Baptismum dicit *signaculum sanctum & indelebile;* & Catech. 17. affirmat, *Spiritum S. in Baptismo obsignare animam, & dare signaculum... cæleste quoddam & divinum &c.* Ex Sec. V. Augustinus, qui L. 2. contra Epist. Parmeniani C. 13. postquam de militis charactere aliqua præmisit, deinde subdit: *an forte minus hærent Christiana Sacramenta, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec Apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur.* Idem in sermone ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem, Donatistas, ad Ecclesiam redeuntes, propter Baptismum antea susceptum ait recipi, ac deinde, *in errante*, inquit, *& deserente milite crimen est desertoris, character autem imperatoris -- DEus & D. N. I. C. quærit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem.*

Pro parte 2da facit ex iis, qui Apostolici inscribuntur, Canon. 60. ubi statuitur: *si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus secundam ordinationem ab alio susceperit, deponatur & ipse, & qui ordinavit.* Ex Seculo IV. nominandi sunt PP. Concilii III. Carthaginensis, qui Can. 39. *illud*, inquiunt, *suggerimus mandatum, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum: non licet fieri rebaptizationes & reordinationes.* Ex Sec. V. Augustinus L. 2. contra Donatist. C. 14. *quid sit perniciosius, utrum non baptizari, an rebaptizari? judicare difficile est.* Idem de Confirmatione L. 2. contra Literas

teras Petiliani C. 104. *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & ipse Baptismus.* De Ordinatione autem L. 2. contra Epist. Parmeniani C. 13. *nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere; utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari &c.* Et ne plura in re adeo aperta congeramus testimonia, constat, pluribus Conciliis damnatos Donatistas, qui, si quos e Catholicis sibi adjunxerunt, in iis Baptismi, Confirmationis & Ordinis Sacramenta repetebant. Hos eosdem insectati sunt ipsi Imperatores, ut colligitur ex Valentiniani Senioris in rebaptizantes constitutione Ann. 373. lata: item ex altera Anni 377. Imp. Valentis, Gratiani, & Valentiniani; quod idem jam ante præstitit Constantinus M. *pro Ecclesiæ Unitate*, ut ait Augustinus *justissime judicans.*

93 III. Demum doctrina hæc conformis est Traditioni, quam sufficienter probant vel PP. jam citati; his vero addendi præterea, Epiphanius hæresi 5. Ioannes Damascenus L. 4. Orthodoxæ fidei C. 9. Ambrosius L. 1. de Spiritu S. C. 6. Chrysostomus Orat. 2. in Epistolam ad Ephes. Innocentius III. in sua Constitutione, quæ deinde a Gregorio IX relata est in Corpus Juris Canonici Cap. *Majores.* Docet eandem traditionem Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ perpetua, ac ad nostram usque ætatem continuata praxis nunquam videlicet iterandi Baptismi, Confirmationis, & Ordinis Sacramenta, si ea semel rite ministrata sint. idque (ut ex Patribus citatis præsertim Augustino clarum est) non alia causa, quam quod illa non amittantur, sed in improbis etiam permaneant. Quomodo autem istud? in se ipsis certe, seu in ritu Sacramentali externo non permanent, hic enim præterit; non in gratia per Sacramentum collata, quam improbitate deperdi novimus;

re li-

reliquum igitur est remanere ea in effectu alio, qui est character. Hac ipsa omnino ratione nixi sunt Tridentini Patres, ut patet ex Seff. 7. de Sacram. Can. 9. ac jam ante Eugenius in suo Decreto.

Diluuntur Adversariorum oppositiones.

Opponunt I. de Charactere Sacramentali nihil reperitur in Sacris Literis; ergo existentia ejus defendi nequit tanquam dogma fidei. 94

Resp. I. T. a. N. c. neque enim verbum DEI scriptum est sola & unica fidei regula, sed & verbum traditum: ac hujus quidem authoritate niti nostram de Charactere doctrinam, evincunt ea, quæ a N. 92. dicta sunt. Nempe, ut aliquid ad fidem pertineat, satis est, si constanti traditione acceptum ab Ecclesia definiatur. Plura sunt id genus alia, de quibus jam Tertullianus L. de Corona Militis C. 4. dixit: *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Et Augustinus L. 5. de Bapt. C. 2. *multa sunt*, inquit, *quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam in Scriptura non inveniantur.*

Resp. II. N. a. propter cit. N. 91. ex Apostolo loca. Distinctione etiam elidi potest vis ejus propositionis: nihil in Sacris Literis reperitur clare ac aperte expressum C. a. nihil reperitur, ex quo doctrina hæc deduci possit, quodque cum Patrum testimoniis & Traditione conjunctum probationem non conficiat N. a. & illationem. Quid quod S. Chrysostomus Hom. 3. aliique, præsertim Græci Patres in verbis Apostoli, præter Sanctitatis ornatum, intelligant munus aliud, per quod speciali quadam ratione consecramur in DEI cultum; consecratio autem hæc princeps ratio est apud Augustinum & alios PP. trium Sacramentorum characterem statuendi.

95 Instant I. neque, si cum Patribus & Traditione conjungatur Scriptura, firmum est pro Charactere argumentum: quando Traditio fere a Patribus repetitur, horum autem de charactere doctrina adeo obscura, & incerta est, ut ex scriptis illorum ne quidem celeberrimi Magistri, qui ante Sec. XIII. floruerunt, eam discere potuerint. Altum inde de sacramentali charactere silentium apud Hugonem a S. Victore, & Petrum Lombardum Seculi XII. Theologos, licet hi ex instituto de Sacramentis tractaverint. Et sententia alioquin multorum est, primum fuisse Innocentium III. qui Sec. XIII. doctrinam hanc, ut nunc apud Catholicos obtinet, in Ecclesiam invexerit.

Resp. præcipua hæc Novatorum apud Kemnitium est objectio: at, quam verius putidam dixeris calumniam. Innocentium nempe (in quo isthic cardo rei vertitur) characteris authorem dicunt, atque istud etiam evictum putant ex ejusdem Extrav. de Bapt. & ejus effect. cap. *Majores*, quod legere est L. 3. Decretal. Tit. 42. Verum mala fide ab iis nobiscum agi, facile quisque intelliget, qui Innocentii Constitutionem, simul & occasionem, qua ea lata est, expendet. Ita autem res habet.

Archi-Episcopus Arelatensis querelas quasdam ab hæreticis contra Catholicos excitatas ad Innocentium detulerat; huic igitur Pontifex cit. loco his verbis respondet: *quibusdam quæstionibus, quas contra Catholicos hæretici moverant, nos postulas respondere. . . . . Item quæritur, utrum dormientibus, & amentibus Sacramenti saltem character in Baptismate imprimatur, ut excitati a somno, vel ab ægritudine liberati, non sint denuo baptizandi?* tum ex occasione quorundam de Baptismo eorum, qui inviti, & reluctantes sacris undis tinguntur, sententiam refert, simul & rejicit: ac deinde ad hoc conformiter quæstionem propositam resolvit: *dormientes autem,* inquit, *& amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in iis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si* *fue-*

fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti. Secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent Baptismi propositum; unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare; tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.

En! Innocentii rescriptum, ex quo Novatorum plausus, & triumphi: Verum temperandi sunt hi paululum. Isthincne enim Innocentium Characteris Auctorem quisquam jure dixerit? attendantur cit. Capituli verba. Delata ad Pontificem quæstio erat: num etiam dormientibus, & amentibus per Baptismum *character imprimatur*? refert præterea ibi Pontifex: esse quosdam, qui dicant, Baptismum, & Ordinem, non solum dormientibus & amentibus, *sed & invitis ac contradicentibus, quantum ad characterem, conferre effectum;* Innocentii igitur ætate per Ecclesiam universam pervulgata, ac omnium jam consensione firmata fuit sententia, per Sacramenta aliqua imprimi Characterem; solumque disceptabatur: num idem per illa præstetur, si amentibus, dormientibus, vel invitis ac contradicentibus ministrentur? atque de hoc dumtaxat pronunciavit ille: *tunc ergo*, inquit, *characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Quomodo autem Pontifex ejus Auctor? quod jam ut domesticum, & ab antiquis acceptum prædicabatur: ac ex quo jam ætate illius controversias exortas novimus.

At, qui temporibus Innocentii de charactere Sacramentali pervulgata fuit, inquies, Sententia, quam vel Theologi celebres Hugo Victorinus, & Petrus Lombardus ignoraverint? verum commentum hoc rursum est Novatorum. Etenim, quamvis viri hi clarissimi Characteris nomen non usurpaverint, rem tamen per illud significatam scriptis suis prodiderunt. An non Lombardus Characterem agnovit? cum L. 4. dist. 7. docuit: Baptismum, Confirmationem & Ordinem iterari non posse,

 quia

quia per quamdam consecrationem conferuntur; quæ ratio ex Augustino petita est, & Characterem indicat. Quid quod Petrus Pictaviensis Lombardi discipulus, primusque sententiarum ejus Commentator in dist. 24. distincte meminerit Characteris impressi: sensa utique Magistri sui assecutus, in ea commentando clarius eadem explanavit. Neque omnino ante Innocentium ignota esse poterat hæc doctrina, ut quam PP. traditione acceptam scriptis suis prodiderint, ac omnium clarissime Augustinus N. 92. sæpius citatus.

96 Instant. II. Tametsi ante Innocentium PP. meminerint Characteris Sacramentalis, ac omnium quidem clarissime Augustinus, is tamen non eo, quo nunc ab Ecclesia, sensu ab illis est acceptus; hic igitur saltem Character ignotus erat ante Innocentium. Ant. probatur cumprimis ex Augustino, qui L. 2. contra Epist. Parmeniani C. 13. in Sermone item ad Cæsareensem plebem, ac alibi, *characterem*, ait, *agnosci exterius*, & *agnitum approbari*; ergo ex mente S. Doctoris hujus Character (ut nunc docetur) non est signum Spirituale: cum hoc exterius agnosci nequeat.

Resp. N. a. ad hujus prob. explico S. Augustini verba cum D. Thoma: Character agnoscitur exterius, in sua nempe causa, seu Sacramento sensibili C. a. agnoscitur in se ipso N. a. & c. *Dicendum* (inquit S. Thom. 3. p. qu. 63. Art. 1. ad 2.) *quod Character animæ impressus habet rationem signi, in quantum per sensibile Sacramentum imprimitur; per hoc enim aliquis scitur esse baptismali Charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili.*

Conformiter ad hoc exponendus est S. Augustin. cum in Serm. ad Cæsareensem plebem dicit, Characterem Baptismi esse invocationem SS. Trinitatis, *iste est Character*, inquit, *Imperatoris mei, baptizate gentes in nomine Patris* &c. Nempe, invocatio SS. Trinitatis est Character hoc sensu, quod sit causa characteris C. hoc sensu, quasi ipsa in se esset character N.

Alibi

Alibi certe sæpius hic Pater dicit, Characterem animæ imprimi, hærere in illa &c. id quod congrue non diceretur, si Character, præter sonum invocationis Trinitatis, nihil haberet.

Instant III. At Augustinus censuit Characterem in se ipso esse quid externum, & non spirituale; in cit. enim. Serm. ait: *Si Donatus in nomine Donati baptizaret, desertoris Characterem infigeret;* hic vero Donati Character fuisset quid mere externum; ergo etiam &c. 97

Resp. S. Patrem de Charactere Donati non loqui assertive, sed hypothetice tantum; neque illi propositum fuisse aliud, quam ostendere, Baptismum a Donato collatum esse validum, quia non suo, sed Christi nomine baptizabat; *non enim desertor* (Donatus) *Characterem suum fixit: quid est, quod dico, desertor Characterem suum non fixit? Donatus non baptizavit in nomine Donati; nam si Donatus - - in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret - - - nunc vero ipse desertor Characterem fixit Imperatoris sui.* Ita cit. Serm. Augustinus.

Denique, quod S. Doctor Characteris nomine signum aliquod internum & spirituale intellexerit, vel inde patet, quod Characterem L. 2. contra Epist. Parmen. doceat per consecrationem dari: sicut igitur hæc, sic & ille spiritualis est ex mente illius. Imo ibid. loquens de signo externo, quo milites olim notabantur, sat aperte innuit, Characterem Sacramentalem non fuisse externum aliquid, cum dicit: *an forte minus hærent Christiana Sacramenta, quam corporalis hæc nota?*

Opponunt II. e Doctoribus Catholicis existimasse non nullos, Characteris existentiam ad fidem non pertinere, quin tamen propterea fuerint censura notati; atque hic nominant Scotum, Cajetanum & Durandum supra n. 88. citatos; ergo, inferunt, doctrina hæc, saltem ut dogma fidei, sustineri nequit. 98

 Resp.

Resp. I. cit. Doctores admittere Sacramentalem Characterem; iidem præterea nuspiam negant fidei esse ejus existentiam: & quamvis istud expressis verbis non asserant, ita eos tamen sensisse, non incongrue deduci potest.

Ac Scotum quidem cumprimis, præter alios, Em. Pallavicinus L. 9. Hist. Conc. Trid. C. 9. contra Suavis vindicare contendit vel ideo, quod, postquam subtilis hic Doctor in 4. dist. 6. retulisset, quorumdam sententia de Charactere in Scriptura & PP. clarum non haberi testimonium, tum sensum suum ita aperiat: *quantum igitur in præsenti mihi occurrit, ob solam Ecclesiæ authoritatem credi debet characterem imprimi;* pro quo deinde tres alias congruentias adducit. Credendum itaque characterem docet ob Ecclesiæ authoritatem; hæc vero, cum sit fidei regula, fide creditur, quod ob eam creditur; verisimile igitur est Scotum censuisse, fide credendum esse Sacramentorum Characterem.

Pro Cajetano eadem argumentatio servire potest, minus tamen firmiter, quod fatendum est, ut patet expendenti ejus verba n. 88. relata; non enim dicit, Characterem admittendum ob Ecclesiæ authoritatem: sed id tantum colligi posse ex ea, *& quidem* (quod ibidem addit) *non multum antiqua;* propter quod ultimum peculiariter vapulat apud Theologos. Quomodo enim *non multum antiqua?* quando multo jam ante illum id docuerunt PP. citati, ac præsertim Augustinus. Quomodo item istud (quod eodem loco habet) neque ex Scriptura, neque ex Patribus colligi poterat? an non vel a nobis relata Scripturæ & Patrum testimonia sufficiens præbent fundamentum characterem admittendi? & quo ex alio fonte doctrinam hanc hausit Synodus Florentina & Tridentina, nisi aut ex sacris Literis, aut ex Patrum traditione?

Pro Durando id facit: quod per *modernos omnes*, quos ait profiteri Characterem, videatur voluisse intelligere omnes fideles, ac proinde totum Ecclesiæ Corpus; atque adeo ipsius Ec-

Ecclesiæ authoritate inductum fuisse, ut Characterem per aliqua Sacramenta imprimi admitteret. Utut interim ista sint,

Resp. II. Nihil Assertioni nostræ derogari, tametsi forte hi, ac etiam quidam alii, Doctores Characteris existentiam inter fidei dogmata non retulerint: neque enim Christus (quod in simili ait illustris quidam Theologus) super Scoti, Cajetani aut Durandi doctrinam, sed super Petram (quæ erat ipse Christus) fundavit Ecclesiam suam. Sed nec mirum, si in hoc contra, quam nos, illi senserint: floruerunt enim, ut jam supra memini, ante Florentinam & Tridentinam Synodos, in quibus primum definitus est de Charactere Sacramentali articulus. Verum

99 Instari potest: Gabriel Biel, licet quadraginta fere annis post editum Eugenii in Concilio Florentino Decretum scripserit, loca tamen n. 88. supra cit. de Charactere non aliud docet, quam quod is *per rationes persvasivas & Ecclesiæ authoritatem ostendi possit probabiliter.* Imo, teste Pallavicino in Hist. Conc. Trid. L. 9. C. 5. in hac ipsa Synodo nonnulli contendebant, articulum de Charactere ut probabiliorem dumtaxat, non vero ut certum, quod acriter ursit Hieron. Seripandus Card. Legatus, declarandum esse. Fuere igitur etiam post Concilium Florentinum, quibus Character Sacramentalis non videretur ad fidem pertinere: quin tamen eos ullus censura affecerit.

Resp. Gabrielem Biel a quibusdam excusari per hoc, quod Decreti Eugeniani ignarus fuerit; quasi videlicet illud, pro Græcis, eorumque unione confectum, per Orientem jam ante sparsum, ætate Gabrielis nondum in Occidente toto evulgatum fuerit. Mihi istud verosimile vix videtur; ac licet ignorantia hæc in Gabriele locum habere potuerit, an idem etiam dicendum de iis, qui in ipso Tridentino Concilio, teste Pallavicino, ejusdem erant sententiæ? arduum hoc ac plus nimio violentum, quodque vix ullus suo approbaverit suffragio.

gio. Dicendum proin censeo: horum, ac Gabrielis etiam, vindicias inde repetendas, quod existimaverint doctrinam de Charactere in Decreto Eugenii non fuisse in Concilio definitam, ut articulum fidei: verum instructionis instar dumtaxat Armenis traditam.

100 Opponunt III. Natura Characteris adeo incerta est, ut in ea definienda prorsus non conveniant Doctores, quod vel ex N. 89. clarum est: quin Dominicus Soto audet dicere, ita de hoc controverti, ut tot sint sensus, quot capita, suppudeatque omnium opiniones recensere, eo potissimum, quod quæstio sit in visceribus Metaphysices abstrusa, & ideo cunctis molestior, quam Theologis necessaria; quomodo autem id fide certum asseremus, quod, quid re ipsa sit, adeo incertum est?

Deinde licet Tridentinum cum Florentino definiverit, Characterem esse signum spirituale, quod imprimitur, ac deleri non possit, quæ propria sunt entis prædicata: non desunt tamen Scholarum Magistri, qui Characterem cum Scoto & Durando e numero entium expungant, nihilque illum nisi relationem quamdam esse pro suo arbitratu asserant; nihil igitur etiam vetabit penitus inficiari Characterem, qui sit ejusmodi signum, quale a memoratis Conciliis describitur.

Resp. ad I. Incerta sit licet, ac nobis incognita Characteris natura, si ea philosophice expendatur; at certa est eadem theologice accepta, ut quam ex Conciliis novimus esse *signum spirituale* &c. Existere autem aliquid temere negaveris propterea dumtaxat, quod natura ejus captu sit difficilis, quodque in illa ad leges Philosophiæ exigenda varient Doctores. Credimus Trinitatis, Incarnationis, aliaque abscondita fidei mysteria: quis autem hæc satis percipiat, aut etiam explicet? Libertas pariter DEI ac hominis fide certa est: at, cum de ea exponenda agitur, non Orthodoxi tantum, sed & Novatores mirum diffident, ac in partes scinduntur varias. Rerum credendarum nempe criterium non est humana ratio

aut

aut authoritas ; audienda hic Ecclesia, ejusque Oraculis acquiescendum. Pronunciavit illa : dari ac imprimi per quædam Sacramenta characterem ; istud igitur fide tenendum est. Reliquit eadem Doctorum arbitrio naturam Characteris ultro expendendam; integrum cuique est sequi, quem volet: nemo cogitur sacramentum dicere Scoto, Durando, aut Thomæ.

Resp. ad II. N. illationem. Dispar ratio in eo est: quod Characteris a duobus Conciliis descripti existentia in utroque, aut saltem in Tridentino, aperte definita sit, evibrato etiam anathematis fulmine in eos, qui secus dixerint ; ab eo autem, de quo in scholis disceptabatur, an hic videlicet Character sit ens aliquod & qualitas absoluta, an relatio tantum ? ab hoc inquam definiendo Ecclesia consulto abstinuit. In memoratis nempe illis Synodis non contra Scholasticos Orthodoxos ; sed hæreticos dumtaxat actum est, ut testantur Tridentini Theologi referente Cl. Berti L. 30. C. 22. in sua Theol. Sectarii vero tum docebant nullum per Sacramenta conferri Characterem, quo quis in certo Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradu stabiliter collocetur ; negarunt proinde per Ordinem e. g. Presbyteratus accipi potestatem aliquam aut Characterem, vi cujus ordinatus Presbyter nunquam deinceps fieri posset laicus ; adversum hos igitur solum Concilia definiverunt, per Sacramenta quædam imprimi Characterem, qui nempe sit signum permanens potestatis certæ ac stabilis.

Instabis attamen : Concilia definiverunt Characterem esse signum spirituale, indelebile, illudque imprimi ; hæc vero cum entis realis sint propria, quidni definitum est Characterem esse de numero entium ? 101

Respondent Patroni Durandi & Scoti: hæc omnia vero sensu morali convenire Characteri, quamvis dicatur esse tantum relatio. Ita 1mo ajunt esse *Spiritualem* : quia est signum potestatis Spiritualis, functiones scilicet quasdam sacras, quæ ex usu recepto Spirituales dicuntur, obeundi, e. g. ministran-

di Sacramenta, eadem recipiendi &c. Ipsa certe hæc potestas dicitur Spiritualis: nec tamen est ens aliquod, verum merus ex institutione divina resultans respectus. 2*do* idem Character est *indelebilis*: quia uti deputatio, & potestas per eum acquisita, sic & ille, tametsi relatio sit tantum, a DEO nunquam revocatur; est proinde perpetuus, atque hoc sensu indelebilis. 3*tio* denique ajunt, in Conciliis non esse determinatum: num Character animæ imprimatur physice, an moraliter tantum? satisfieri proinde istorum definitioni, si vel admittatur eum imprimi in sensu morali: quo imprimi utique potest, modo sit aliquid relativum ac morale. Ita dicunt peccatum habituale a Patribus vocari maculam animæ, huicque illud esse impressum, ac inhærere: quæ tamen sustineri possunt, licet peccatum hoc sit quid mere relativum, ac moraliter tantum perseverans.

§. III.

Qui sint, præter Gratiam & Characterem, Sacramentorum effectus?

PRæcipui Sacramentorum effectus sunt Gratia sanctificans & Character; ac de his clara habetur Ecclesiæ definitio, ut jam dictum. Præter illos addit communior Theologorum quosdam etiam alios, argumento partim ab authoritate, partim a ratione ducto. Cum his & ipse

102 Dico I. Sacramenta causant etiam habitus virtutum, præsertim Theologicarum. Ita S. Thomas hic qu. 62. Ar. 2. & deducitur ex Trident. quod Sess. 6. C. 7. ait: *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JEsum Christum, cui inseritur, Fidem, spem & Charitatem.* Et ratio est: quia cum universim habitus sint velut

po-

potentiæ & proprietates gratiæ, congruum plane eſt, eas cum illa ſimul conferri. Colligitur hinc & illud, quod pro ratione majoris aut minoris gratiæ per Sacramentum operatæ habitus etiam majore vel minore cum incremento infundantur.

Dico II. Effectus Sacramentorum ſunt & certæ actuales gratiæ, quæ conſiſtunt in piis illuſtrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis. Ita rurſus D. Th. loco jam cit. Ratio hujus eſt: quodvis enim Sacramentum ſibi proprium ac peculiarem habet finem; ad hunc igitur obtinendum neceſſe eſt dari actuales gratias. Id vero hic obſervandum: jus ad auxilia hæc ſimul cum ſanctificante gratia ſtatim acquiri, cum ſuſcipitur Sacramentum; ipſa vero auxilia tum primum conferri, dum iis utendi opportuna eſt occaſio: modo tamen quis deinde indignum ſe illis non efficiat. Revocentur hic in memoriam ea, quæ jam N. 71. dicta ſunt. 103

Dico III. Etiam remiſſio culparum venialium jure cenſeri debet inter effectus Sacramentorum. Docet iſtud expreſſis verbis S. Thomas hic qu. 87. Ar. 3. in ☉. Nec dubitari poteſt de Baptiſmo & Pœnitentia, cum utrumque hoc Sacramentum inſtitutum ſit ad remiſſionem omnium peccatorum. De Euchariſtia conſtat ex Tridentino, quod Seſſ. 13. Decr. de Euch. Sacram. Cap. 2. dicit, Chriſtum voluiſſe Sacramentum hoc a nobis ſumi *tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis* &c. De Extrema Unctione colligitur ex recepta ejuſdem forma: *indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per tactum* &c. Pro reliquis Sacramentis argumentum ducitur ab Euchariſtia & Extrema Unctione, cum perinde hæc atque illa ſint vivorum Sacramenta. Univerſim denique ratio iſtud aſſerendi eſt: quia omnia Sacramenta ad ſanctificandas animas ſunt inſtituta; cum igitur veniales noxæ ſanctitati perficiendæ ponant obicem, quid ni hunc ab omnibus Sacramentis tolli jure dicamus? 104

Neque interim ſemper hunc effectum cauſant Sacramen-

ta ; id etenim ut eveniat, peculiaris ex parte subjecti recipientis requiritur dispositio. Quæ autem illa ? Suarez cum multis existimat, ad obtinendam per Sacramenta venialium remissionem sufficere, si non adsit affectus ad illa, habeaturque desiderium recipiendi Sacramentum cum ejus effectibus. Mihi cum Platelio videtur probabilius, necessariam esse aliquam pœnitentiam, saltem virtualem: cum universim ad remissionem peccatorum Scriptura requirat pœnitentiam. Dixi *saltem virtualem* ; nam & hæc pœnitentia est : nec ostendi potest universim formalis pœnitentiæ necessitas, si Sacramentum Pœnitentiæ excipiam, cujus illa partem agit. Virtualis autem hæc pœnitentia fere consistit in pio aliquo ad DEum motu, qui ad veniales etiam culpas affectum excludat.

DISSERTATIO IV.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

§. I.

Quis sit Sacramentorum Minister ?

DIssertatione hac statuendum erit, non de persona tantum Sacramentorum Ministri : verum & iis, quibus illum, quo munere suo rite defungi possit, instructum esse oportet, ut est: intentio, fides, probitas &c. Initium autem ducendum est ab ipsa persona. De hac ante omnia noto: Sacramentorum Ministrum esse vel Ordinarium, vel extraordinarium. Qui ex institutione Christi secundum legem hujus providentiæ communem conficit Sacramenta, Minister Ordinarius dicitur : extraordinarius contra, qui præter dictam legem, ac factam hoc providentiæ statu a Christo in-

institutionem, ex speciali DEI commissione & potestate extraordinaria id muneris obit. Seorsim de utroque statuemus; at videndum prius, quid Novatores in præsenti sentiant.

Novatorum doctrina.

I. Lutherus docuit, omnes homines Baptismo initiatos, 105 nullo sexus, ætatis, aut status facto discrimine, esse Sacramentorum Ministros. Audiatur de hoc ipse. In L. de abroganda Missa ait, *verbi ministerium esse commune omnibus, sicut & sacerdotium & sacrificium.* In L. autem ad Pragenses: *Sacerdos, in novo præsertim testamento, non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur: nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes.* In Articulis item a Leone X. damnatis, postquam dixit, *in Sacramento Pœnitentiæ non plus posse Papam, aut Episcopum, quam infimum sacerdotem*, addit: *imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.* Hanc ipsam subinde potestatem in L. de capt. Babyl. C. de Ordine, extendit ad omnia generatim Sacramenta, sic tamen, ut usum ejus limitet: *esto*, inquit, *certus sit, & agnoscat, quicunque se Christianum agnoverit, omnes nos - - eandem in verbo, & Sacramento quocunque habere potestatem; verum non licere quenquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione Majoris.*

II. Idem Lutherus sacramentalis Ministerii potestatem 106 ipsis etiam Angelis, tam bonis, quam malis attribuit L. de priv. Missa & Unct. Sacerd. *ego non dicam*, inquit, *quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem ipsam consecrare posse; sed e contra dico: si diabolus ipse veniret, & ego postea resciscerem diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam, & ab-*

& absolviſſe a peccatis, & tali munere functum eſſe juxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non eſſe inefficacia, ſed verum Baptiſmum, verum Evangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti nos accepiſſe.

107 III. Calvinus adverſatur Luthero, nec ipſe tamen abſque errore novo. Verba ejus in Antid. Conc. Trid. ad Can. 10. ſeſſ. 7. ſunt: *nemo ſanus Chriſtianus omnes in verbi, Sacramentorumque adminiſtratione pares facit; non ſolum quia decenter & ordine geri omnia in Eccleſia decet: ſed etiam quod ſingulari Chriſti mandato ad eam rem ordinantur Miniſtri.* Et infra: *porro munus baptizandi, ubi munus mulierculis injunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?* Calvini igitur ſententia poteſtas Sacramenta miniſtrandi legitime dumtaxat vocatis, ac peculiari mandato Chriſti ordinatis competit: idque adeo, ut ne in caſu quidem neceſſitatis laicis, ac præſertim fœminis baptizandi facultatem concedat. Hunc Calvini errorem ſpeciatim refutabimus L. de Baptiſmo; nunc Luthero tantum opponenda eſt Catholicorum doctrina.

De Miniſtro Sacramentorum Ordinario.

ASSERTIO I.

Solus homo viator eſt Miniſter Sacramentorum ordinarius.

108 PRob. I. authoritate Scripturæ, qua docemur, hominibus, iiſque tantum viatoribus hoc providentiæ ſtatu a Chriſto commiſſum eſſe munus miniſtrandi Sacramenta. Certe ad hos dumtaxat erant illa Chriſti verba Matth. 18. *euntes docete omnes gentes, baptizantes* &c. Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem* &c. Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata* &c. Inde Apoſtolus Ephes. 4. *aſcendens*, inquit,

inquit, *Christus in altum--- dedit dona hominibus;* mox vero hæc dona speciatim recenset: *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum & opus Ministerii.* Et 1. Cor. *sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei.* Ac denique ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate; & præterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.*

Prob. II. authoritate Patrum. Pro omnibus sit S. Joan. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio, ubi ait: *His, qui terram incolunt, commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent; iis datum est; ut potestatem habeant, quam DEus neque Angelis datam esse voluit, neque enim ad illos dictum est: quæcunque ligaveritis* &c. Doctrinæ hujus rationem D. Thomas hic qu. 64. A. 7. reddens, *quia,* inquit, *tota virtus Sacramentorum a passione Christi derivatur, quæ est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli* &c. *& ideo ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare, non ad Angelos.* 109

Neque obest, Angelos in ordine Hierarchico (ut docet D. Dionys. de Cæl. Hier. c. 6.) esse superiores Ministros hominibus; sunt enim superiores quoad naturam dumtaxat, & potestatem obeundi plures functiones: non autem etiam quoad potestatem conficiendi Sacramenta ordinariam. Inde, cum S. Augustin. L. 2. contra Epist. Parmen. c. 15. dicit: *quod pertinet ad Baptismi sanctitatem, adest DEus, qui det, & homo, qui accipiat, sive per se ipsum donante DEO, sive per Angelum, sive per hominem;* ex mente D. Thomæ non aliud

vult

vult, quam quod Baptiſmi ſanctitas donetur etiam per Angelum ſuis inſpirationibus in Baptiſmo illuminantem : non vero quaſi per eum ipſe Baptiſmus conſerretur, de lege ſaltem ordinaria.

ASSERTIO II.

Quilibet homo viator, etiam Chriſtianus, non eſt (dempto Baptiſmo) Miniſter Sacramentorum ordinarius.

ASſertio hæc aperte definita eſt in Trid. Seſſ. 7. de Sacr. c. 10. *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem ; anathema ſit.*

Prob. autem I. ex ſacris Literis 1. Cor. 12. Apoſtolus ait : *Quosdam quidem poſuit DEus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c. -- numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ?* &c. Idem ad Epheſ. 4. *ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores &c.* Ex mente igitur Apoſtoli, Eccleſiæ miniſteria non conveniunt omnibus, minus vero ad ea omnes vocantur a DEO ; quomodo ergo omnes Sacramentorum Miniſtri? præſertim, cum eodem Apoſtolo teſte ad Hebr. 5. *nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a DEO tanquam Aaron.* Deinde : proprium Paſtoribus munus eſt Sacramenta miniſtrare ; ſicut proinde per Apoſtolum non omnes ſunt paſtores, ita non omnes Sacramentorum Miniſtri. Inde nec Apoſtoli, quamvis Membra eſſent Eccleſiæ, poteſtatem conſecrandi & abſolvendi habebant prius, quam eis Chriſtus diceret : *hoc facite in meam commemorationem -- accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata &c.*

Fruſtra autem hic quisquam cum Luthero dixerit, cit.

Scri-

Scripturæ locis agi non de ipsa ministerii potestate, sed usu dumtaxat illius; quæ enim ratio ita exponendi textum sacrum? sane, cum a Principe datum Reipublicæ ministrum audimus, ipsam ministerii potestatem illi collatam intelligimus. Et, numquid Aaron Pontificatus potestatem habuit, antequam a DEO vocaretur? numquid & Apostoli? antequam ad eos Christus: *hoc facite in meam &c. quorum remiseritis &c.* nemo sanæ mentis istud asseruerit. Frivolum, ac plane arbitrarium est & illud Lutheri: ministerii sacri potestatem pertinere quidem ad omnes, at usum ejus consensu communitatis, & majorum vocatione ad certos aliquos restringi; quod enim hujus fundamentum? unde communitati ac majoribus authoritas tanta, ut potestatem a Christo omnibus collatam ipsi ad certos dumtaxat restringant?

Prob. II. Traditione, qua certum habemus jam inde ab Apostolorum temporibus ad ætatem usque nostram non fuisse passim a quibusvis ministrata Sacramenta; verum ad id muneris peculiariter delectos quosdam, ac legitima consecratione ordinatos. Constans inde in Ecclesia tam Græca quam Latina sacræ ordinationis usus; constans eorum, qui se, non ordinati, in sacra ministeria ingererent, insectatio; pro invalidis semper pronunciata Sacramenta, quæ forte contigit ministrari per eos, qui Ecclesiastica consecratione in numerum sacrorum ministrorum non fuerunt relati. Atque in hanc rem clara sunt ex Conciliis, & Scriptoribus Ecclesiasticis testimonia, quæ suis locis, cum in particulari de cujusvis Sacramenti Ministro agendum erit, referemus. Intelligenda autem hæc de Sacramentis (ut in Assertione notatum est) dempto Baptismo: hunc enim in casu necessitatis a quolibet homine ministrari posse, perpetua traditione docemur. De Ministro Matrimonii etiam non levis est controversia, at quæ primum L. 8. veniet dirimenda; hic satis sit contra Luthe-

rum evincere, non esse quemlibet Christianum omnium Sacramentorum Ministrum ordinarium.

112 Pro objectis Novatorum resolvendis observandum I. ex illo Apostoli 2. Cor. 3. *qui idoneos nos fecit Ministros novi testamenti*, non recte argui: omnes Christianos esse novi testamenti, proinde & ejus Sacramentorum ministros; hoc enim loco Paulus de se ipso dumtaxat & sociis Apostolis loquitur, ut contextus cit. capitis, imo vel initium ejusdem indicat, ubi, postquam priore capite dicit, se non adulterare verbum Dei, interrogantis in modum ait: *incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut egemus commendatitiis literis ad vos?*

At dicet forte Novatorum quispiam: ad Christianos universim pertinere illa 1. Petri 2. verba: *ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias &c.* & infra: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium &c.* Item Apoc. 5. *fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram &c.* ac rursus c. 20. *erunt Sacerdotes Dei & Christi ejus.*

Non diffitemur istud: dicta hæc omnino sunt universim ad Christianos, eosque nominatim, quos vitæ sanctimonia hoc nomine dignos facit. An vero jam rem confecit sectarius? minime. Scilicet, memoratis locis Sacerdotium sensu minus proprio sumitur; pro eo nempe, quo non verum ac proprium, sed spirituale dumtaxat offertur sacrificium, uti sunt: cor contritum & humiliatum, hostia laudis, incensum & odor bonorum operum ac orationum &c. Hunc sensum verba citata facere ex contextu colligitur. An non enim Petrus cum Sacerdotio conjungit spiritualium hostiarum oblationem? an non idem toto cit. Capite Christianos hortatur ad virtutem, ad conversationem inter gentes bonam, & ad abstinendum a carnalibus desideriis? Eodem sensu Joannem in sua Apocalypsi accepisse Sacerdotium ex cit. Capite patet: neque enim illic alias Beato-

rum

rum hoſtias memorat, quam adorationem, voces benedicentium Dominum, & odoramenta, quæ erant orationes Sanctorum. Adde: loco eodem, non Sacerdotes tantum, ſed & regnum, ac ſuper terram regnaturi dicimur; hoc poſtremum autem ne apud Novatores quidem ſenſum literalem ac proprium habet; cur igitur Sacerdotio illum tribuamus?

Expoſitioni interim huic objici poteſt Tertullianus, qui L. de Exhort. Caſtitatis c. 7. ex illo Apoc. 1. *fecit nos regnum & Sacerdotes Deo*, arguit: etiam laicos eſſe Sacerdotes; differentiam Clerum inter & plebem ab Eccleſia tantum eſſe conſtitutam; ac denique, abſente ſaltem Sacerdote, a laicis poſſe miniſtrari ipſum Euchariſtiæ Sacramentum. Verba Tertulliani cit. loco hæc ſunt: *vani erimus, ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere: nonne & Laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt: fecit nos regnum & Sacerdotes Deo. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos tibi ſolus; ſed ubi tres, Eccleſia eſt, licet Laici.*

Ad hunc Tertulliani locum Reſp. I. argumentum ex eo petitum nihil habere roboris vel propterea, quod Liber cit. e numero eorum ſit, quos in Montani hæreſim lapſus contra Eccleſiam ſcripſit; *fruſtra autem* (ut ipſe Tertull. L. de Præſcr. ait) *veritas apud hæreticos quæritur - - ubi omnia extranea ſunt, & adverſaria noſtræ veritati.*

Reſp. II. Differentiam plebem inter & Clerum tribuere omnino Tertullianum Eccleſiæ authoritati, idque jure: ab ea enim complures Ordinis ſacri prærogativæ ſunt profectæ; at eandem ſimul repetit ab authoritate Divina, cum honorem Ordinis a Deo ſanctificatum ibidem afferat. Sed nec voce *offers* oblationem proprie ſacramentalem concedit Laicis; verum ſolam Liturgiæ imitationem, quam ætate illius, latentibus ob

Tyrannorum sævitiam Sacerdotibus, ab Ecclesia permissam fuisse in solatium laicis ex Hist. Eccl. novimus. Ratio istud dicendi est: tum quod Tertullianus vocem *offerendi* pro nuda quavis oblatione & alibi non raro usurpet, ac nominatim L. de Monog. c. 10. & 11. tum quod pluribus locis Eucharistiæ Consecrationem solis Sacerdotibus esse propriam, ac universim Sacerdotum munera non posse laicis demandari pronunciet. vide L. de Cor. Mil. c. 3. L. de Monog. c. 12. & 41.

Quæcunque interim in præsenti Tertulliani sententia fuerit, parum moramur; potior certe nobis esse debet plurium aliorum Patrum, Ambrosii & Augustini præsertim authoritas. Et Ambros. quidem L. 4. de Sacr. c. 1. ita habet: *unusquisque ungitur in Sacerdotium & in regnum; sed spirituale regnum est, & Sacerdotium spirituale.* August. autem in cit. ex Apoc. locum, *non de solis*, inquit, *Episcopis & Presbyteris dictum est, qui proprie vocantur in Ecclesia Sacerdotes, sed sicut omnes Christiani dicuntur propter mysticum Chrysma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis.*

113 Observandum II. illud Christi de Eucharistia monitum Luc. 22. *Hoc facite in meam Commemorationem*, ad omnes omnino fideles pertinere, at non eadem ratione. Passio nempe Domini commemoranda est aliis Eucharistiæ consecratione; sumptione ejusdem sola aliis. Ita accipienda esse Christi verba docemur ex iis, quæ pro Assertionis probatione n. 110. & 111. allata sunt.

Ex his ipsis fontibus petenda est expositio textus sacri, si quo videatur concedi omnibus promiscue fidelibus potestas prædicandi. Loca id genus præcipua sunt: 1. Cor. 14. *unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, potestis omnes per singulos prædicare.* Et ibid. *quotiescunque manducabitis - - mortem Domini annunciabitis.* Item 1. Petr. 2. *ut virtutes annuncietis ejus, qui vos vocavit de tenebris.*

bris. His nempe & similibus non aliud innuitur, quam quod fideles omnes Deum ac Christum possint prædicare & annunciare per bona opera & actus virtutum, aut etiam piis colloquiis & cohortationibus, quæ in Christianorum cœtibus privatim fiebant. Et sane, si cit. locis sermo sit de potestate prædicationis publicæ, ac Sacerdotibus propriæ, quomodo sibi constabit Apostolus? ut qui alibi diserte dicit divisiones esse gratiarum; item, numquid omnes Doctores? ac denique, quosdam quidem datos esse Apostolos, alios autem Pastores ac Doctores &c.

At, fœminas saltem universim a publicæ prædicationis munere excludendas non esse, urget Lutherus. Citat in hanc rem illud Joël. 2. *prophetabunt filii vestri & filiæ;* & Act. 21. *erant Philippo quatuor filiæ prophetantes.* Addit exempla prophetantium mulierum, ut erat Maria, Moysis Soror Exod. 15. Debora Jud. 4.

Non equidem mirum, a Luthero sollicite agi causam mulierum; patrocinium interim ejus infirmum quis non videat? reclamante Apostolo 1. ad Cor. 4. *mulieres taceant in Ecclesia, non enim permittitur eis loqui.* Frustra igitur eas in suggestum Ecclesiasticum subvehere nititur, ut quibus nullus in Ecclesia locus relictus est, quo non sit, mandato Apostoli, illis tacendum. Neque cit. Scripturæ verbis evincit quidquam: *prophetare* enim, sensu proprio sumptum, est futura prædicere; id quod non ita peculiare esse Sacerdotibus, ut non perinde laicis, ac etiam fœminis a Deo communicetur, ultro concedimus.

De Ministro Sacramentorum extraordinario.

ASSERTIO.

Quilibet homo viator, imo & Beatus, ac etiam Angelus esse potest Minister Sacramentorum extraordinarius.

114 Veritas Assertionis fundatur in ratione ex Argumento D. Thomæ desumpta. Doctor nempe Ang. postquam hic qu. 64. A. 7. dixit, ad homines viatores pertinere potestatem Sacramenta ministrandi ordinariam, mox subjungit: *Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis.* Hæc vero eadem ratio pugnat pro quolibet homine viatore, ac etiam Beato: cur enim his perinde potestatem lege extraordinaria ministrandi Sacramenta conferre Deus nequeat? quodsi autem eam illis conferat, nihil erit, quo minus extraordinarii Sacramentorum Ministri efficiantur.

Atque hoc est, unde Theologum oporteat ferre sententiam de quibusdam Historiæ Ecclesiasticæ exemplis. Ita Niceph. l. 11. c. 22. refert: S. Amphilochium ab Angelis fuisse consecratum in Episcopum: hanc vero Consecrationem Episcopos, qui Iconium ad eum urbi huic præficiendum convenerant, ratam habuisse. S. Antoninus 3. P. Hist. Tit. 24. c. 13. memorat Angelum B. Proculo consecrasse calicem. De S. Joanne Evangelista Missam celebrante sæpius legitur apud Bollandistas, ac nominatim ad 19. Maji in Supplem. Vitæ S. Petri Cælest. & ad 29. Maji. in vita B. Gerardeschæ Pisanæ. In his nempe, & id genus casibus aliis dicendum, Angelos ac Beatos lege extraordinaria & peculiari privilegio ad Sacramentorum Mysteria fuisse a Deo deputatos. Ne-

Neque est, quod hic circa Beatorum animas a corporibus 115 secretas & Angelos obmoveat quispiam : ad Sacramenti videlicet confectionem necessaria esse verba, quæ ab illis proferri nequeant. Quid ita vero ? verba non aliud sunt, quam certa aëris modificatio per motum a vivente impressum causata ; cur vero istud Beatorum animæ & Angeli perinde præstare non possint ac homines ? Non improbabilis certe est Honorati Fabri sententia, Angelos non aliter loqui, quam per hujusmodi motum aëri, aut subtiliori saltem ætheri impressum, ejusque modificationem.

At, inquies, verba hæc diversa sunt ab illis, quæ homines proferimus. Sit ita : diversa sint sensu philosophico propterea, quod a principio procedant dispari ; moraliter attamen & theologice, spectata videlicet ratione Sacramenti, sunt eadem, cum perinde habeant vim significandi effectum Sacramentalem. Ita c. 9. verba *ego te baptizo &c.* seu ab homine, seu ab Angelo aërem modificante efferantur, æque inter homines idonea sunt ad significandam animæ a peccato emundationem, quæ est Baptismi gratia & effectus.

Animadversiones de extraordinariis Sacramentorum Ministris.

I. Ratio Ministerii hujus extraordinarii in Beatis illis, qui 116 vita superstite Ministri erant ordinarii, alia omnino est, ac in cæteris Beatis & Angelis. Illi nempe, cum per mortem & statum beatitudinis non amittant characterem suscepti e. g. Sacerdotii, opus non habent nova ministeriali potestate, verum novo dumtaxat ejus usu ; his contra, dum lege extraordinaria Sacramentorum fiunt Ministri, nova omnino potestas, cum eam in statu viæ non habuerint, conferenda est. Istud sensisse D. Thomam, non obscure colligitur ex ejus verbis hic

Q.

q. 64. art. 7. ubi in hunc modum sibi objicit: *Sancti in Cœlo assimilantur Angelis; sed aliqui Sancti in Cœlo existentes possunt ministrare in Sacramentis: quia character sacramentalis est indelebilis; ergo etiam Angeli possunt &c.* ac deinde ita respondet: *Sancti in Cœlo sunt similes Angelis, quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionem naturæ, ac per consequens, neque quantum ad Sacramenta.* Quæ autem pro Angelis, eadem & pro cæteris Beatis, charactere ministeriali antea non insignitis, est ratio.

117 II. In ipso Cœlo etiam Beati quidam Sacramenta nonnunquam ministrasse, imo & suscepisse sunt visi: ut legere est pluribus locis vel apud Hagiographos Antverpienses. Atque de hoc peculiaris, ac a communi Doctorum sententia recedens opinio est, quam Cl. Papebrochius insinuat ad diem 29. Maji, ubi postquam in vita B. Gerardeschæ Pisanæ c. 4. retulit, visam ab ea in Cœlo V. Deiparam, S. Joanne Evang. Missæ mysteria celebrante, Eucharistiam sumentem, in Annotatis deinde ad hoc ipsum Caput sub lit. C. ita differit.

Cum nullus, quod sciam, SS. Patrum, vel horum doctrinæ innitentium scholasticorum Theologorum, affirmet, Missæ sacrificium vel a Christo, vel a Sacerdotibus sanctis ejus vice fungentibus, continuari & continuandum in Cœlo; nolim ego sustinere, quod ea, quæ hic de Joanne sacrificante & Deipara communicante dicuntur, literaliter sint intelligenda: puto tamen eum, qui hoc opinaretur, nihil opinaturum Scripturæ sacræ, vel statui Sanctorum beato repugnans. Nam Christum post resurrectionem suam, glorificato jam corpore, & comedisse cum Apostolis legimus, & in Emaus Eucharistiam præbuisse discipulis communior sententia est. Sicut autem infra n. 57. dicitur in Ecclesia S. Sabini conspectus (Christus) *a sancta* (Gerardescha) *Missam celebrare; ita in aliorum quoque Sanctorum Vitis visum subinde idem facere invenimus. Tali vero opinione admissa,*

sa,non esset difficile intelligere, quomodo in Cæna Apostolis suis dixerit: non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei ; *& magis ad literam impleretur, quod dicitur :* Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Quia vero Deipara creditur corpore jam glorificato esse in cælis, cur in eo nequiret Eucharistiæ participare? non quidem eodem prorsus modo, quo nos, sed simili fere : & eo, quo Christus post resurrectionem comedebat; quomodo etiam post resurrectionem corporum ad literam impleri poterit promissum Christi*, ut edamus & bibamus super mensam ejus in regno ejus. *Etenim, cum cæteri omnes corporei sensus in beatitudine fruituri sint deliciis sibi congruis, cur non etiam gustus mira, sed vera, nobisque haud intelligibili ratione? Ad Joannem Evangelistam quod attinet, eum post mortem assumptum quoque cum corpore in Cælum, nihil prohibet opinari; quandoquidem multorum est sententia, eorum omnium Sanctorum corpora, quæ moriente Christo surrexisse dicuntur, nunquam ad suos tumulos rediisse, sed cum Christo pariter assumpta in Cælos. Legimus quoque ad* 19. *Maji in supplemento Vitæ S. Petri Cælestini n.*17. *S. Joannem Evang. conspectum in visione celebrare Missam de Dedicatione, cum Ecclesiam S. Spiritus de Magella a Sancto constructam Christus ipse esset consecraturus. Sed quid in ea sententia tenebitur, quam ad c.* 25. *de Vita B. Andreæ Sali* 28. *Maji diximus multorum veterum, atque omnium fere Orientalium esse, necdum scilicet mortuum esse Joannem, sed cum Elia & Enoch secundum Christi adventum & Antichristi persecutionem præstolari? An dicetur, quod, sicut Christi corpus in transfiguratione glorificatum ad tempus postea rediit in statum passibilitatis prioris, ita & ipse nunc quidem corpore glorificato cælesti fruatur beatitudine, postmodum ad exiguum tempus priori humanitatis prioris statui restituendus sit, ac in eo demum moriturus? nihil equidem affirmo; sed si affirmaret aliquis, puto, quod idem posset de*

Elia & Enoch cum proportione affirmare: itaque cessaret apud eum multiplex quæstio de statu illorum in Paradiso, qui sine scrupulo tunc diceretur esse non terrestris ille, in quo conditus est Adam, quemque etiam nunc superesse nulla verosimili ratione creditur a nonnullis: sed cælestis, qualis & in Apocalypsi, & in variis vitis Sanctorum, præsertim S. Lidwinæ describitur, quatenus quidem humanis verbis describi potest. Multo forsitan hæc verosimiliora fuerint, quam quæ de eodem Elia miratus est orbis in Bitterensibus quibusdam Thesibus A. 1682. coram Episcopo loci publice per triduum propugnata, & quidem ut theologice demonstrabilia, imo tanquam proxime accedentia ad fidem.

Hactenus Papebrochii opinio, quam, Theologicæ eruditionis gratia, verbis ipsius retulisse satis habeo, quin de ea pronuntiem; præsertim, cum & vir hic Cl. insinuet dumtaxat illam, non tueatur.

118 III. Malis Angelis etiam perinde ac bonis lege Dei extraordinaria potestatem Sacramenta ministrandi posse conferri docuit Scotus in 4. dist. 6. qu. 1. Nec est, cur in dubium quisquam hanc sententiam vocet: nam (ut cum multis observat Marin) cum nulla Dei perfectione pugnat, quo minus is diabolo hanc potestatem tribuat, ac eum etiam, tanquam creaturam sibi subjectam, ad ejus exercitium cogat. Observanda attamen est regula, quam in hanc rem D. Thomas assignat in supra cit. qu. 64. a. 7. *Si aliquod*, inquit ille, *Sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, illud fore ratum habendum; quia cum Angeli sint nuntii veritatis, sufficienter constaret, id fieri voluntate divina: non fore autem ratum habendum, si exhiberetur a dæmonibus; quia sunt spiritus mendacii.*

Atque istud omnino observatum est ætate Firmiliani Episcopi. Ut enim in ejus epistola ad Cyprianum data, quæ 43. est inter hujus Epistolas, legimus, Baptisma collatum a quadam

dam energumena, quæ multos tum baptizabat, *usitata & legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur*, pro irrito ac nullo habuerunt Episcopi; idque non alia causa, quam quod Exorcistæ cujusdam opera sit compertum, illam non Spiritus S. instinctu, *sed principalium dæmoniorum impetu ferri*; atque adeo non tam illam, quam diabolum Baptisma conferre. Quo igitur Sacramentum a malo angelo ministratum pro rato haberi possit, revelatione divina opus est, qua certi reddamur, eum potestatem ministerii hujus a Deo accepisse, ac rite etiam illa usum esse.

§. II.

An, & qualis in Sacramentorum Ministro requiratur intentio?

UNa e præcipuis Sacramentorum Ministri conditionibus est intentio. De hac quæritur: an, & qualem illam, ut ne suus desit Sacramento valor, in Ministro esse oporteat? Quæstioni huic Lugo, & quidem (Haunoldo teste) primus, adjecit alteram: an videlicet Ministri intentio Sacramenti essentiam intrinsece constituat? quod argumenti genus, frustra cum multis obnitente Dicastillo, Theologi quidam deinde arripuerunt avide, & acri scholarum contentione exagitarunt. Et his quidem nos philosophicæ hujus in arena Theologica pugnæ seu studium, seu gloriam ultro ac volentes cedimus: operam in id dumtaxat collaturi nostram, ut de quæstione prima, quæ tribunalis est Theologici, pronuntiemus. Explicanda est attamen prius intentionis, suis cum divisionibus, definitio: ac etiam, quæ sit in præsenti tam Novatorum, quam Catholicorum sententia, referendum.

Intentionis Definitio & Divisio.

119 I. INtentio generatim est actus voluntatis, quo in finem tenditur per media. Triplicem Schola distinguit: actualem, virtualem, & habitualem. Actualis est, præsens & expressum voluntatis propositum aliquid agendi; conjungitur proinde cum ipsa actione. Virtualis est, ipsa intentio præterita nec revocata, perseverans insuper in aliquo suo effectu, seu virtute, secundum quam ponitur actio prius intenta: ut cum quis ex proposito baptizandi in templum se confert, ritum interim Sacramenti peragens, mente alio abreptus, nihil de Baptismo actu cogitat. Habitualis dicitur, quæ prius posita per id solum moraliter perseverat, quod retractata non sit.

120 II. Intentio, quantum ea ad præsens spectat, est voluntatis actus, quo Minister intendit conficere Sacramentum. Dividitur a nonnullis in externam & internam. Externa dicitur, per quam Minister exterius, & quidem serio, ac in debitis circumstantiis externum Sacramenti ritum ponit: interne attamen statuit non perficere Sacramentum, sed simulare tantum ac fingere. Quia vero hæc simulatio potest esse etiam externa, ita ut simulantis animus prodatur exterius, ac facile a quolibet observetur, ut e. g. in histrione Regis vel Sacerdotis personam agente, congrue idcirco dicitur, externam intentionem universim conjunctam esse cum simulatione vel occulta tantum & latente, ut est in hypocrita: vel externa & patente, ut in mimo, & quolibet irrisore signis externis derisionem internam manifestante. Interna intentio est, per quam externus Sacramenti ritus peragitur cum animo perficiendi Sacramentum. Hæc rursum esse potest vel particularis, vel generalis. Particularis habetur, cum quis vult efficere Sacramentum ita, ut hanc ipsam Sacramenti confectionem distincte intendat. Generalis est, si Sacramentum ministrans intendat facere id, quod facit Ecclesia,

vel

vel quod Christus instituit; atque hæc in eo etiam dari potest, qui Religionis Christianæ mysteria ignorat.

Novatorum de Sacramentorum Ministri intentione Doctrina.

I. Lutheri mens de intentione Sacramentorum Ministri colligitur ex ejusdem L. de Capt. Bab. ubi C. de Bapt. *non dubitem*, inquit, *si quis in Nomine Domini suscipiat, etiamsi impius Minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini: non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum quoddam de quodam Mimo per jocum baptizato.* Idem Ar. 12. ex iis, quos Leo X. proscripsit, hæc habet: *si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.* 121

Et hæc quidem satis declarant, Lutheri sententia nullam in Sacramenti ministro requiri intentionem: ratumque illud ac validum esse, tametsi is divina mysteria palam & aperte derideat, mimorumque instituto adstantium cachinnis, & ludibrio exponat.

II. Calvinum Luthero adjungunt multi; mihi, attentis ejus verbis, paulo mitius ille sensisse videtur. Verba Calvini in Antid. Conc. Trid. Sess. 7. c. 11. sunt: *Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitem, panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi esse corporis & sanguinis Christi pignora.* Censuit ergo, internam Ministri derisionem ac fictionem non officere Sacramento: hoc ipsum tamen, contra quam Lutherus ritu legitimo exterius conferri 122

voluit. Incertum interim eſt, quid ſubſannatione & fictione illa Epicurei interna ſpectaverit: an ſubſtantiam videlicet ipſam Sacramenti, quam fingere is tantum velit, non facere? an effectum dumtaxat Sacramenti? quæ duo omnino diverſa ſunt; prior enim fictio irritum reddit Sacramentum, non item altera.

Kemnitius, tametſi Lutheranus, cum Calvino magis, quam Luthero ſuo duce in præſenti facit; quin, ſi quid verbis ejus deferri poſſit, multo etiam apertius mimicam Sacramenti miniſtrationem rejicit. *Non hoc*, inquit ille, *vult inſtitutio Baptiſmi, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex profeſſo nihil aliud ſit, quam ridiculus luſus, vel mimica ſubſannatio, vel profanatio inſtitutionis cum recitatione verborum: ſed requirit, ut peculiaris inſtituatur actio, & quidem illa actio, quam Chriſtus inſtituit; & hoc ſufficit ad ſervandam inſtitutionem. Quid vero in corde de illa actione ſentiat is, qui adminiſtrat Baptiſmum, hoc ad veritatem, ſeu integritatem Baptiſmi non pertinet*, in Exam. Conc. Trid. P. 2. ad Can. 11. Seſſ. 7.

123 III. De modernis ſeu Lutheranis ſeu Calvinianis, nihil, quod certi dicam, habeo. A ſuæ nempe Sectæ authoribus non putant eſſe nefas recedere; inde, ut in aliis, ſic de Miniſtri intentione variant. At iſtud, mea quidem opinione, rurſum verbis dumtaxat. Rem ſi velint edicere, una eſt omnium, ac ipſorum etiam Anteſignanorum ſententia: Sacramentum perfici, tametſi Miniſter omni careat intentione; eam autem certe, qua velit facere, quod facit Eccleſia, non requirunt. Hunc eorum eſſe, quin & oportere eſſe ſenſum, deducitur ex eo, quod doceant unumquemque ſola fide juſtificari: neque in juſtificationis negotio alias eſſe Sacramentorum partes, quam ut, inſtar verbi divini, ſint ſigna ex ſe quidem vacua, ad fidem attamen excitantia. Id vero ſi ita eſt, ut eſſe volunt, nihil utique ad Sacramenti valorem intereſt, quo illud animo, quove cultu externo celebretur.

Neque

Neque omnino hoc ipſum virus, quod tantillum texerat, penitus occulere potuit Kemnitius; poſteaquam enim loco ſupra cit. Tridentini Canonem 11. impugnavit, in ſubjecto deinde corollario illud denique his verbis detegit: *ex quo intelligitur, quod quemadmodum verbum Evangelii prædicatum ſine ulla intentione, verbum Evangelii eſſe non deſinit, & qui ei aſſentitur, juſtificatur, quantumvis perverſam tam interiorem, quam exteriorem, vel etiam nullam habeat miniſter: ita neque deſinit eſſe Sacramentum, modo applicetur forma materiæ, etiamſi absque intentione recta applicetur; ſed econtra cum perverſa interiori, vel exteriori, vel etiam nulla.*

Communis Catholicorum Sententia.

I. Certum eſt Catholicis omnibus ad perficiendum Sacramentum aliquam in Miniſtro intentionem requiri; nec ſufficere externam, quæ, in ſenſu Lutheri, cum deriſione ac ſimulatione externa conjungatur. Et quamvis altera illa intentione externa, quæ occultam dumtaxat ſimulationem contineat, putent quidam non reddi irritam Sacramenti miniſtrationem; communis interim & paſſim recepta ſententia iſtud rejicit, ac nominatim in Miniſtro requirit internam intentionem, eamque ſaltem generalem, qua velit facere id, quod facit Eccleſia. 124

II. Summa etiam omnium in eo eſt conſenſio: non actuali tantum, ſed & virtuali intentione perfici Sacramenta. Nempe, uti pro hominibus divina hæc myſteria eſſe, ita eodem modo humano miniſtrari Chriſtus voluit; id vero obtinetur virtuali intentione, ut quæ univerſim ad morales & humanas actiones ſufficit. Et vero, cum in actionibus noſtris vel inviti ad alia animo evagemur, neque noſtræ ſit poteſtatis (quod hic notat D. Thomas) in id, contra quod operamur, conſtanter in- 125

intendere: credi omnino nequit, actualem intentionem in Ministro requisivisse Christum, qui, cum hoc sacri ministerii genus hominibus commiserit, eorum utique imbecillitati illud accomodavit; secus perpetuo frustrationis periculo exponerentur Sacramenta.

126 III. Non est idem existimandum de intentione habituali; hæc enim cum neque in se, neque in ulla virtute sua existat, influere nequit in actionem, ita ut ea more humano posita existimetur. Quid quod eadem locum habere possit in amente & ebrio; neutrum attamen cum consilio & libertate operari, actionemque moralem ponere, certum est. Inde recepta apud DD. Catholicos est sententia, sola habituali intentione non perfici Sacramentum. Nec adversatur huic S. Thomas, cum 3. p. qu. 64. A. 8. ad 3. dicit habitualem intentionem sufficere; ut enim ex contextu patet, habitualis nomine revera virtualem illic intelligit. Intentio nempe, quam nunc scholæ *virtualem* compellant, ætate D. Thomæ passim dicta est *habitualis*, ut ostendit Gonet ex D. Bonaventura.

Sacramentum attamen Matrimonii, quod per Procuratorem contrahitur, hinc excipiendum notat Viva. Et ratio est: nam sic contrahens dato Procuratori mandato non amplius habet, quod ipse agat; non est igitur, cur actuali aut virtuali intentione illum instructum esse tum oporteat, dum contractus per Procuratorem peragitur. Idem ob eandem rationem dicendum de sponsis de futuro contrahentibus; quorum Matrimonium purificata conditione valorem suum obtinet, licet ii tum dormiant. Universim igitur in his intentio habitualis sufficit. Atque hæc ad tuendam eorum sententiam, qui contrahentes ipsos esse volunt Sacramenti Matrimonii ministros.

Pecu-

Peculiaris opinio Catharini.

I. Quæ ſub nomine Catharini de externa Miniſtri intentione circumſertur ſententia, quorundam opinione multo jam ante illum in Magiſtro ſententiarum, Petro Cantore, Præpoſito, Roberto Pullano, & multis aliis ſuos habuit patronos: falſo proinde Catharinum ejus Authorem dici, iidem contendunt. Ipſe Catharinus etiam in Opuſculo, quo externam Miniſtri intentionem propugnat, authoris gloriam ſibi omnino non arrogat; quin profitetur, antiquis veſtigiis ſe inſiſtere, & preſſius adhærere. Utut autem iſtud ſe habeat; hodie opinio hæc paſſim attribuitur Catharino; ſeu, quod eam primus in lucem protulerit: ſeu, quod jam obſoletam ſuis e tenebris ad lucem priſtinam revocaverit. Id certum: durante Concilio Tridentino, cujus Seſſioni 7. A. 1547. ipſe interfuit, vulgavit ſupra jam memoratum de intentione Miniſtri opuſculum, quo contendebat, externam Miniſtri intentionem ſatis eſſe ad perficiendum Sacramentum. Neque interim hoc Opuſculo mentem ſuam ita clare aperuit, ut dubitationi locum non reliquerit, quidnam potiſſimum externa intentione illa deſignaret. Inde in exponendo illo duas in partes ſciſſi ſunt Theologi. 127

II. Quidam cum Vaſquez in 3. p. Diſp. 138. n. 20. ac e Recentioribus nominatim Tournely Quæſt. 7. de Sacr. in Gen. Ar. 1. exiſtimant, Catharinum non aliud docuiſſe, quam quod ad perficiendum Sacramentum ſufficiat intentio, qua Miniſter velit peragere externum Eccleſiæ ritum: tametſi nolit Sacramenti effectum, imo nec ipſum ritum externum, ut hic Sacramentalis eſt. Deduci iſtud putant ex cit. Catharini Opuſculo, ubi facta hac hypotheſi, *ponamus*, inquit, *miniſtrum omnia exterius facere, quæ jubet Eccleſia, intus autem aliud ſervare in animo, ita ut intendat deriſorie baptizare*, concludit his verbis: *non alia miniſtri intentio requiritur, niſi ut intendat ex-* 128

terius facere, quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum Baptismi spiritualem effectum, sed satis est, ut intendat facere, quod Ecclesia jubet per Ministros fieri; namque quod illa per Ministros facit, ipsa facere intelligitur. Quid ergo facit Ecclesia per Ministros baptizando? nisi quod legitima utitur materia, adhibens suam verborum formam; hoc igitur si facit Minister, profecto illud facere intendit, si sit mente sanus.

Communior ex adverso Theologorum est opinio, Catharinum voluisse ratum esse Sacramentum, si Minister serio adhibeat ritum ejus externum: quamvis voluntatem Sacramenti irritandi habeat, ac in animo dicat, e. g. *nolo baptizare*, *nolo hunc ritum*, *quem facio*, *esse Sacramentum &c.* modo voluntatem hanc contrariam ita gerat interius, ut nullo eam prodat externo signo. Ratio ita exponendi mentem Catharini est; in cit. enim Opusculo ex proposito quæstionem instituit: an Baptismi Sacramentum valeat, si Minister exterius omnia faciat, quæ jubet Ecclesia, *intus autem aliud servet in animo*, *ita ut intendat derisorie baptizare?* ad istud autem respondens, non aliam ait requiri ministri intentionem, *nisi ut intendat exterius facere*, *quod facit Ecclesia*, ac deinde etiam de solo ritu externo, adhibenda nempe materia & forma loquitur, quin uspiam excludat derisionem & fictionem internam, *qua in animo aliud servet*, seu contrariam voluntatem. Illud etiam isthuc facit, quod hoc sensu Catharini sententiam exponant præcipui ejus Vindices, Hyacinthus Serry in Op. de intentione Ministri c. 5. & Author de Re Sacram. L. 1. qu. 6. cap. 3. Sect. 2. Eandem hoc sensu jam ante propugnavit Contensonius Differt. 2. de Sacram. His e Recentioribus addendi Farvaquez Cap. 6. de Sacr. in Gen. qu. 3. Du-Hamel Differt. 2. c. 4. Juenin qu. 6. C. 2. Ar. 3. & plures alii. Citatur hoc loco etiam Salmeron. Theol. Tridentinus L. 1. Comment. in Epistolas

D.

D. Pauli P. 3. disp. 2. quamquam postremum hunc Tournelius existimet non sine injuria his accenseri; ut qui per intentionem externam non aliud intellexerit, quam quod ex Vasquez de ipso Catharino supra dictum est.

Censura Catharini, ac ejusdem vindiciæ.

I. Hoc altero sensu exposita Catharini doctrina quorumdam censuram subiit. Bellarminus certe L. 1. de Sacr. c. 27. de illa, *quæ opinio*, inquit, *non video, quid differat a sententia Kemnitii & aliorum hæreticorum; nisi quod Catharinus in fine Opusculi subjicit se Apostolicæ Sedi & Concilio; illi autem rident utrumque.* Card. Lugo Disp. 8. de Sacr. Sect. 2. ait, non ita quidem illam aperte comprehensam esse definitionibus Conciliorum, sicut Lutheri errorem, *merito tamen eam censeri ab errore damnato non multum distare.* Ipse Tournely loco supra cit. *si qui sint*, inquit, *inter nostros Theologos, qui Catharini & Salmeronis mentem aliter interpretentur, ac existiment satis esse ad veritatem Sacramenti, quod Minister serio exterius ritum Ecclesiæ observet, tametsi interius nolit illum reipsa facere, sed tantum simulare ac fingere, eos rejicimus, eorumque sententiam ab errore Novatorum damnato vix distare arbitramur.* 129

II. Verum censura hæc in Catharinum lata multis justo acrior videtur. Putant nempe ab omni Novatorum erroris communione exemptum vel ideo, quod intentionis faciendi ritum externum necessitatem admittat; hæretici contra, totum justificationis negotium etiam in Sacramentis attribuentes fidei, eam negent; quod item hi Sacramentum etiam mimice & cum externa irrisione collatum, ratum esse doceant, id quod Catharinus aperte inficiatur. Ad ejusdem vindicias & illud referunt, quod Opusculum suum sub oculis Patrum Tridentinorum, nemine redarguente, vulgaverit; quin illud etiam Romæ 130

An. 1552. Cameræ Apostolicæ typis excusum fuerit. Accedere ajunt Pallavicini authoritatem, qui in Hist. Conc. Trid. L. 9. c. 6. ait: *Catharini sententiam Patribus suspectam non fuisse, nec illis fuisse in animo eam proscribendi*, per Can. nempe 11. Sess. 7. Item L. 12. c. 10. asserit, *conjici posse haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium, Sacramento, quod ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi; & obesse tantum jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.* Addit præterea Cl. Serry in cit. Op. sententiam Catharini An. 1649. Romæ publice propugnatam a Zacharia Pasqualigo in Morali Doctrina disp. 72. Sect. 4. imo in eodem Opusc. cap. 12. jurejurando testatur, Consultores ac Præsides primæ notæ, cum An. 1690. Alexander VIII. damnaret prop. num. 28. semel atque iterum sibi affirmavisse, ea propositione contineri aliud longe a Catharini systemate. Denique, jam inde a Catharini temporibus non deerant unquam Viri doctissimi ac gravissimi, qui sine ulla, de qua quidem sciamus, Ecclesiæ nota sententiæ ejus accederent.

His vero jam attentis, id saltem certum est, supremum Apostolici tribunalis judicium expressis verbis nihil definiisse contra Catharini Doctrinam; ab ejus proinde censura satius esse abstinendum. Male interim illa apud plerosque audit; nec dubitat Cl. Berti Theol. L. 30. c. 16. n. 8. asserere: theses solam intentionem externi ritus adstruentes non solum per Ordinarios locorum, verum etiam per Romanos Censores ac Præsules dispungi; *& cum* (pergit ille) *hoc labente An.* 1741. *die* 7. *Apr. quidam in Archi-Gymnasio Romano in solutione Objectorum ad Art.* 8. *qu.* 64. 3. *p. D. Thomæ eadem opinatione uteretur, commotis Præsidibus, coactum in ipso actu Doctoralis laureæ capessendæ ad communem, receptamque confugere.* Ex proposito Catharini systema impugnarunt Bellarm. & Lugo loc. supra cit. Vasquez item & Suarez in Art. 8. qu. 64. 3. p. D. Thom.

Thom. Gonet Tom. 5. Disp. 6. Ar. 2. Simonet. Tract. 11. de Sacr. in Gen. Disp. 4. Fraſſen Art. 3. qu. 4. Gotti Tom. 13. qu. 7. dub. 4. & cum Berti plures alii: quorum ea ſunt momenta, ut iis contra Catharinum pugnantibus, & ipse manus jungendas cenſeam. At prius Novatorum error eſt refellendus.

Statuitur contra Novatores Sententia.

ASSERTIO.

Ad perficiendum Sacramentum ea requiritur Miniſtri intentio, qua non mimice dumtaxat & illuſorie ritum externum peragat, ſed id revera in animo velit facere, quod facit Eccleſia.

PRob. I. ex ſacris Literis. Juxta Apoſtolum 1. Cor. 4. univerſim Eccleſiæ ac Sacramentorum Miniſtri, *ſunt Miniſtri Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei;* an vero is Chriſti Miniſter, & ejus Myſteriorum Diſpenſator dicendus, qui ſacrum illud opus, quod Chriſtus inſtituit, & quod nomine ejus conferendum eſt, non ſerio, ſed citra mentis propoſitum, imo & mimi inſtar ludicre tractat? ne in humanis quidem iſtud ſuſtineri poteſt. Deinde: ex illis Chriſti ad Apoſtolos verbis: *euntes docete - - baptizantes &c. quorum remiſeritis peccata &c. hoc facite in meam commemorationem &c.* clarum eſt, iis, qui in Eccleſia ſacro funguntur miniſterio, datam eſſe Sacramenta conferendi poteſtatem; cui autem unquam in mentem venit, miniſterii poteſtatem exerceri absque ratione & deliberata voluntate id agendi, ad quod poteſtas collata eſt? minus vero iſtud fit, ſi actio externa, hiſtrionum more, joco ac cum illuſione peragatur. Ita nemo ratam cenſuerit Judicis ſententiam, ſi eam temere, ebrius, dormitans, aut aperte cum irriſione pronunciat.

131

Prob. II. ex Conciliorum & Pontificum definitionibus.
132 Et primum quidem in Concilio Constantiensi An. 1418. Constitutione Martini V. præscribitur, de Wicleſi hæresi suspectum inter alia interrogandum: *num credat, quod malus Sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere baptizet, vere absolvat, & vere conficiat alia Sacramenta?* Decretum Eugenii IV. in Conc. Flor. 1439. pro Armenis datum, *omnia*, inquit, *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus &c. & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Leo X. An. 1520. inter alios Lutheri errores prop. 12. hunc damnavit: *si per impossibile non esset confessus contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.* Concil. Trid. An. 1547. Seff. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.* Idem Seff. 14. Can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat - - anathema sit.* Denique Alexander VIII. A. 1690. proscripsit inter alias hanc prop. num. 28. *valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem actum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.* Ex his vero conficitur, doctrinam, quam in Assertione tuemur, constanter in Ecclesia receptam fuisse; præsertim cum in Concilio Constantiensi non definiatur, sed supponatur.

133 Prob. III. ratione theologica. 1*mo* ritus Sacramenti externus ex se est indifferens ad rationem Sacramenti; est igitur aliquid necessarium, quo ad eam determinetur: hoc nequit es-

ſe materiæ & formæ poſitio, utquæ ipſa eſſe poteſt ſacra vel profana; una proinde voluntas per ritum externum id intendens, quod Chriſtus inſtituit & Eccleſia facit, iſtud præſtat: aut ſi quid aliud eſt, proferant illud ſectarii. 2*do* Miniſtratio Sacramenti peragi debet actu humano; hic vero ſine intentione ſeria non exercetur. 3*tio* niſi ad valorem Sacramenti hæc requiratur intentio, mater ſanitatis cauſa infantem abluens, ac forte pio affectu in hæc erumpens verba: abluo te fili in nomine Patris &c. tametſi nihil de Baptiſmo cogitet, cum tamen reipſa conferet. Idem imo continget, ſi hiſtrio quispiam, ad illudendum Chriſtianis, affuſa Catechumeno aqua verba Baptiſmi inter cachinnos pronunciet. Plura id genus ex Lutheri ſententia ſequi neceſſe eſt; quæ tamen nemo unus, quem ſana mens nondum deſeruerit, admittet.

Neque interim negamus valere Sacramentum, cum Miniſter ſerium in animo propoſitum gerit illud conficiendi, tametſi Sacramenti ritum peragens jocum, aut profanam quamvis aliam actionem exterius ſimulet.

Objecta Novatorum.

OBjiciunt I. ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua legitur Baptiſmus, per ludum, aut etiam illuſorie & mimice collatus, pro rato fuiſſe habitus. 134

Ita Alexander Epiſc. Alexandrinus probavit Baptiſmum, quem Athanaſius, tum puer, ludos inter pueriles catechumenis puerulis contulit, ut referunt Socrates L. 1. c. 15. Sozomenus L. 2. c. 17. & Nicephorus L. 8. Simile huic factum idem Nicephorus L. 3. c. 37. narrat ætate ſua contigiſſe, cum videlicet pueri quidam hebræum puerum per ludum baptizarent, Præſule Conſtantinopolitano Baptiſmum approbante.

In Geneſio imo, Chriſtianorum myſteria coram Diocle-

tiano

tiano circa An. 286. per ludibrium traducente, valuit Baptiſmus; licet hunc ille in theatro illuſorie tantum expeteret: neque is niſi mimice ei conſerretur, ut memorat Surius in Vit. SS. & Ruinartius in Actis Martyrum. Idem legitur de Dioſcoro quodam Architheatro, nugas inter & ludos theatrales Baptismum ſuſcipiente, de quo Auguſtin. Ep. 221.

Reſp. I. generatim ad hæc & id genus facta alia. Quod ſi his caſibus revera valuit Baptismus, miniſtrantes illum cum externa ſimulatione & illuſione mimica conjunxerunt internam intentionem ſerio faciendi re ipſa id, quod faciunt Chriſtiani; id quod quia ex circumſtantiis, aut etiam baptizantium confeſſione innotuit, probatus eſt Baptismus. Cæterum facta hujusmodi ut plurimum aut fabulam olent, aut minus fideliter referuntur. Inde

Reſp. II. in particulari, & primum quidem ad Athanaſii factum. Hoc etſi ultro admittatur, Socrates attamen illud referens non memorat hunc Baptismum ab Alexandro fuiſſe probatum. Ruffinus autem, primus hiſtoriæ hujus Scriptor, probatum quidem aſſerit, at una addit: Alexandrum diligenti interrogatione comperiſſe, ab Athanaſio *omnia ſecundum noſtræ religionis ritum* obſervata; ac etiam habuiſſe eum intentionem faciendi ea, *quæ per Epiſcopum in Eccleſiis geri mos erat.*

A plurimis interim narratio hæc fabulis accenſetur propterea, quod Athanaſius puer eſſe non potuerit Alexandro Epiſcopo. Ut enim (Hieronymo interprete) in Chronico eſt author Euſebius, ante An. 322. Alexander non eſt renunciatus Epiſcopus: Athanaſius autem jam An. 325. Diaconus magnæ doctrinæ fama Concilio Nicæno interfuit, ac altero ſtatim Anno 326. videlicet, Alexander ipſe nominavit eum in Cathedra Alexandrina ſuum Succeſſorem. Ut vero iſta cohærent, ſi Alexandro jam Epiſcopo puer aut impubes Athanaſius? Paulo aliam hic ex Scaligero, Gelaſio Cyziceno, & Eruditis Congr.

S. Mau-

S. Mauri annorum ſupputationem facit Bertius; ex ea ipſa tamen & ille oſtendit factum Athanaſii ſuſpicione laborare. Vide & Criſim Tillemontii de facto hoc hiſtorico in vita Athanaſii Nota 2.

De pueri Hebræi Baptismo ambigua eſt Nicephori narratio. Poſtquam enim (ut ille refert) Præſul Conſtantinopolitanus comperit, puerum hebræum non invitum ſe ſubmiſiſſe ludentium puerorum baptismo, decrevit: *ut etiam in illo, quod deeſſet, juxta myſterii executionem compleretur.* Incertum proinde, num Præſul voluerit baptizari puerum? quod is non invitus eſſet; an confirmari? quod jam rite cenſeret baptizatum a ludentibus puerulis, in ipſo ludo veram baptizandi intentionem habentibus.

In Geneſii hiſtoria, converſio ejus, ludos inter theatrales repentina, vix in dubium revocari poteſt, conſentientibus de ea univerſim Scriptoribus. Sauli nempe inſtar divino lumine eo ipſo tempore, quo ſacra Chriſtiana mimicis ſalibus inſectabatur, colluſtratus, eadem palam profeſſus eſt, ac etiam ſubinde Martyrio conſignavit: fide proinde, & ſanguinis Baptismo ſalutem conſecutus. Quod autem de Baptismo aquæ ei collato memoratur, plurimi inter commenta referunt. Nec abs re iſtud: ante Adonem etenim Seculi IX. Scriptorem nemo Baptismi hujus meminit; qui iſtud deinde præſtiterunt, mirum variant. Ado narrat Geneſium a Chriſtiano Sacerdote in ſcenam inducto baptizatum; Surius id monitu Angeli ab altero mimo factum refert; alii ipſum Angelum volunt fuiſſe Baptiſmi miniſtrum; in Martyrologio Romano ad diem 25. Aug. memoratur converſio & martyrium Geneſii, de Baptismi autem Miniſtro ſiletur; idem eſt apud Baronium ad An. 303.

Dioſcori converſio, ut objicitur, fabuloſa eſt. Nomen *Architheatri* argumento huic occaſionem dediſſe videtur; at Dioſcorus non *Architheater*, ſed *Archiater*, ſeu Protomedicus

 fuit,

fuit, ut ex probatioribus MSS. legunt Eruditi Congreg. S. Mauri. Sed nec nugas inter mimice baptizatus est. Scribit equidem in cit. Ep. Augustinus eum sacra Christiana amplexum *posita nugacitate*: at istud non alio sensu, quam quod votum, quod ægrotante filia de Christi fide Dioscorus conceperat, non prius deinde, quam cœcitate & paralysi a Deo percussus ac monitus, exolverit.

135 Objic. II. PP. quorundam authoritatem. Chrysostomus, ajunt, Hom. in Joan. Sacerdotem comparat asinæ Balaam; una aperte asserit: *neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his, quæ a Deo data sunt, efficiunt; sed Pater & Filius & Spiritus S. omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.* Et Augustinus Tract. 5. in Joan. *non timeo*, inquit, *adulterum, non ebrium, non homicidam; sed columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est, qui baptizat.* Sicut igitur in ebrio non est, minusque fuit in asina Balaam ulla intentio; ita in Sacerdote Sacramentum ministrante nulla requiritur: modo is ad ritum externum peragendum linguam & manus præbeat.

Resp. ad Chrysostomum: eum comparatione Balaam, ac recitatis verbis id spectasse unum, ut ostenderet, Sacramenta, eorumque effectus esse dona Dei, neque illa ministrorum improbitate ac vilitate impediri; inde ibidem subdit: *quidquid enim habet Sacerdos, solius Dei donum est.* Non excludit autem isthic S. Pater intentionem ministri; imo eam vel ideo supponit, quod ibidem Sacerdotes comparet Principum Ministris, quorum per somnum aut jocum dicta aut facta nemo prudens rata dixerit.

Ad Augustinum quod attinet, ejus textus corrupte refertur; pro *ebrium* enim in ipso Augustini Opere legitur *ebriosum*. Mendum hoc irrepsit in quasdam editiones Decreti Gratiani,

in

in quod *de Consecr. dist.* 4. cit. Augustini verba sunt relata. In editione interim Romana Anni 1582. Lugdunensi item Anno 1717. & in altera Rom. 1726. error correctus est. Quid quod Glossa Decreti ibidem addat: *consuetudinem notat hoc nomen, non actum.* Jam vero, tametsi ebrius capax non sit intentionis, posse tamen illam in ebrioso dari, clarum est. Id vero, quod cit. loco vult Augustinus unum, non infringi videlicet valorem Sacramenti Ministrorum improbitate, ultro concedimus. Verum

Instari potest: idem Augustinus L. 7. contra Donat. c. 53. 136 *Si autem*, inquit, *totum ludicre, mimice & jlocalariter ageretur; utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, Divinum Judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.* Non rejicit igitur Augustinus Baptismum ludicre collatum.

Resp. non rejicit equidem, at nec approbat. Nempe nondum istud ætate Augustini expressis verbis definitum erat; hæret igitur dubius, suspendit sententiam, ac ad Divinum Judicium revelationis oraculo cognoscendum provocat. Nunc vero, quoniam hoc ipsum definientis Ecclesiæ oraculo judicium divinum nobis innotuit, quid est, quod amplius ambigamus? Non constat præterea Augustinum de valore ejus Baptismi dubitasse, qui ita ludicre conferretur, ut in Ministro simul desit intentio faciendi, quod facit Ecclesia; cum interim Novatores Baptismum hujusmodi pro rato ac indubitato habeant.

Rejicitur Catharini doctrina, ad mentem Serry exposita.

ASSERTIO.

In Ministro Sacramentorum non sufficit intentio externum dumtaxat Ecclesiæ ritum peragendi; verum ea requiritur, quæ intendat conficere Sacramentum: idque vel sub hoc explicito conceptu, vel saltem confuso, volendo nempe generatim id, quod per ritum Sacramenti externum facit Ecclesia.

ID vero universim contra Catharinum & ejus Patronos hac Assertione volumus: intentionem internam, seu demum ea in sensu n. 120. exposito particularis seu generalis sit, ita requiri, ut si Minister, ritum sacrum exterius peragens, serio ac omnino nolit rem sacram conficere, irritum sit Sacramentum; idque etiam tum, dum propositi hujus interni nullum exterius sit indicium, ac ad speciem serio omnia peraguntur. Ad istud jam comprobandum, tria nominatim sint Argumenta.

137 Argumentum I. ex Decretis Conciliorum. Constantiense & Florentinum, quorum verba n. 132. retulimus, præter materiam & formam, ac proinde ritus externi ministrationem, requirunt *intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.* Id ipsum Concil. Flor. in Decreto Eug. pro Arm. distinctius exprimit eo loco, ubi dicitur, etiam paganum baptizare posse, *dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Idem denique & Tridentinum voluit, Sess. 14. cap. 6. definiens, non perfici Sacramentum, *si Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit;* ubi, inter hæc duo distinguens, per animum *serio agendi*, non aliud intelligere potuit, quam intentionem serio peragendi ritum externum: per animum autem *vere absolvendi*, intentionem faciendi ritum eundem, ut is Sacramentum est; sic etenim dumtaxat sumptus *veram absolutionem* operatur. Ex

Ex his jam ita arguo : ipso satente Catharino, intentio ponendi ritum externum nequit non esse conjuncta cum positione ejusdem ritus ; cum igitur Concilia, præter hanc ritus positionem, nominatim requirunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, requirunt utique intentionem a priore diversam ; diversa autem esse non potest, nisi Minister, ritum externum observans, per eum intendat facere rem sacram, quod ipsum utique facit Ecclesia.

Vindices Catharini satis occurri putant huic argumento, si dicatur, diversa esse : velle quod facit Ecclesia, & velle quod intendit Ecclesia. Nempe in Sacramentis Ecclesia facit ritum externum, per hunc ipsum autem intendit facere rem sacram. Cum igitur Concilia requirant intentionem faciendi dumtaxat, quod facit Ecclesia, satisfit illis, modo Minister velit ritum externum : tametsi per hunc non velit rem sacram, quam intendit Ecclesia.

Verum quid istud est aliud, quam verbis, non sensu Conciliorum pugnare ? Volunt illa intentionem faciendi, quod facit Ecclesia ; quid vero hæc ? an facit ritum externum præcise (ut in scholis loquimur) materialiter, ut nempe is actio est ex se dumtaxat indifferens, aut mere profana ? istud utique nemo dixerit ; quando certum est, in Sacramentis ministrandis Ecclesiam agere nomine Christi, facere itaque actionem a Christo ad fideles sanctificandos institutam, proinde sacram.

Quid ni ergo, inferet Adversarius, necesse est Ministrum etiam velle effectum, quem in Sacramentis cum Christo intendit Ecclesia ? minime equidem ; istud etenim Concilia requirunt nuspiam. Ac universim, ut ex causa sequatur effectus, hunc intendere necesse non est : modo ponatur causa, ex se & virtute sua talis effectus productiva, ut vel in medicina exemplum est.

Satis igitur etiam esse, inquies, poni ritum Sacramenti externum, cum is effectus Sacramentis proprii, seu sanctificantis gratiæ sit causa? ita plane. Addendum & illud attamen: ritum externum causam hujusmodi non esse, nisi ut sacer est; quo itaque ponatur causa gratiæ, ritus Sacramenti externus, non utcunque, sed ut sacer ponendus est, qualem in systemate Catharini esse etiam atque etiam pernego.

Accedat demum huic argumento robur ex prop. ab Alex. damnata mox referenda. Definitur nempe illa, formæ & ritus externi totius observationem, quæ ipsa est Adversariorum intentio, non sufficere ad valorem Sacramenti: verum requiri præterea intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; hinc vero legitima consecutione arguas: Adversariorum intentionem non esse eandem cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, proinde nec idoneam ad perficiendum Sacramentum. Ratiocinium idem institui pōst ex Conciliorum locis supra citatis.

138 Argumentum II. ex definitione Alexandri VIII. qui Anno 1690. 7. Dec. inter propositiones alias & hanc. N. 28. damnavit: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Si propositionis hujus verba cum Catharini Vindicum verbis conferas, congruere omnia illis comperies.

Exemptos se interim illi ab Alexandri fulmine multis contendunt; 1*mo* quidem, quod ea propositio in sensu dumtaxat Lutheri proscripta sit, Serryo (ut dictum est N. 130.) ad Consultores suos provocante; 2*do* quod sententiam Catharini multi, non contradicente Ecclesia, propugnaverint post latam ab Alexandro damnationem, ac hodie etiam propugnent.

Nec mihi quidem ea mens est, ut Viros clarissimos Alexandri censura peti ac designari pronunciem; id volo unum: rem

rem illis esse difficilem, quo se ea expediant. Cur enim (quod ajunt 1mo) Lutheri sententiam iterum, præsertim ambiguo verborum contextu, damnaret Pontifex, quam perspicue jam antea Synodus Tridentina subjecit anathemati? Expendantur deinde cit. propositionis verba: nullus certe illis jocus mimicus, externa illusio nulla, quod in præsenti Lutherani systematis est proprium, memoratur; quin potius per voces, *omnem ritum externum*, supponitur externa actio seria, imo & loci ac temporis adjuncta, quæ Adversarii requirunt. Diserte ad hæc rejicitur voluntas & intentio Ecclesiæ opposita, tametsi eam Minister non prodat exterius, sed *in animo* tantum, *in corde suo*, & *apud se* retineat. An non vero istud ipsum est, quod Catharini Vindices tuendum susceperunt? sed nec Præsulum ac Consultorum, quos Serry appellat, responso sublata est omnis dubitatio. Quid si enim illo designata fuerit Catharini sententia ad mentem Vasquezii exposita? id quod si ita sit, uti esse pronum est, nondum Serry cum suis vadum exiit.

At tot saltem (quod alterum defensionis caput est) Virorum Clarissimorum systema hoc, silente Ecclesia, propugnantium authoritas securum illud facit? ita equidem securum facit, ut censura illud notare privatus nemo audeat; si quid ultra securitatis esse velit Adversarius, reliquum habet, ut validioribus eam affirmet momentis. Illud ex Leonardo Vanroy Tom. IV. & Aurelio Piette Tom. V. certum est, fuisse e Lovaniensibus Theologis nonnullos, qui, cum antea intentionem externam tuerentur, proscripta deinde ab Alexandro memorata propositione, nefas esse existimaverint eandem porro sustinere; ut adeo scriptis etiam editis doctrinam priorem retractaverint. Sed nec iis, qui Serryana etiamnum denique insistunt vestigia, sat tutis ubique esse licet; male illos plerumque audire, quin & theses eorum a locorum Ordinariis ac Censoribus non raro dispungi, jam supra N. 130. memoratum est.

Quid

Quid quod horum aliqui adversum damnatam hanc propositionem mira, nec omnibus probata facilitate, scuti instar illud objiciant: *Gallos Canonistas, multosque alios in Christianis provinciis, non habere tanquam ratum Decretum ullum Transalpinum, nisi ab ipso Papa emanaverit; judicia autem a Romana Inquisitione lata per se, etiam quoad forum internum, Gallos non obligare.* Istud omnino est ad cit. propositionem damnatam primum Jueninii responsum; at minus forte, ut nobis quidem videtur, officiosum. Ut sinamus attamen Doctores hos in suo abundare sensu: hæc ipsa certe opinatio nullo illis nunc quidem est præsidio. Ut enim Transalpinum Decretum sit ratum, a Papa ipso illud emanare volunt; an non vero hoc, quo memorata propositio cum triginta aliis damnata est, a Papa ipso emanarit? commisit equidem earum examen *pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Em. ac Rev. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus*, at suffragiis horum mature consideratis, ut legitur in Decreto, *idem Sanctissimus Pontifex prædictas propositiones proscripsit.*

139 Argumentum III. ex ratione Theologica. Actio Sacramentorum externa ex se est indifferens, tum ut ponatur vel nomine Christi, aut nomine privato cujuspiam: tum ut sit re ipsa Sacramentum potius, quam actio mere naturalis & profana; designandum est itaque aliquid, quod illam speciatim determinet ad actionem nomine Christi ministratam, ac simul ad rationem Sacramenti; istud vero fieri per intentionem internam, qualem nos requirimus, ne ipsi quidem negant Adversarii; hæc igitur & ab illis requiri debet.

Ultima hujus ratiocinii illatio non probatur Adversariis: tametsi enim ultro fateantur, memorata intentione interna ritum externum determinari ad rationem Sacramenti; contendunt attamen istud, quamvis illa desit, aliunde præstari posse. Quid vero est illud? circumstantiæ, ajunt, loci ac tem-

po-

poris ? ut si e. g. ablutio infantis cum invocatione SS. Trinitatis fiat a Sacerdote, in templo, ad fontem Baptismalem, præsente patrino &c. non autem si ea peragatur domi, a matre infantis a corporali sorde mundandi causa &c.

Ac nos quidem, ne nihil concedamus Adversariis, ipsi asserimus, his circumstantiis effici, ut actio hujusmodi externa ab adstantibus pro Sacramentali habeatur, imo & haberi debeat; ut vero etiam re ipsa sit, illud admittere non possumus. Inter forum nempe internum & externum discrimen est; quo in hoc aliquid esse ratum censeatur, satis est, actionem rite fieri exterius: ut idem in priore etiam obtineat, amplius quidpiam requiritur. Ita preces externa cum reverentia fusas suo forum externum comprobat suffragio; hæ ipsæ attamen, si pio animi motu & attentione destitutæ sint, fori interni judicio condemnantur.

Deinde: loci, temporis, ac personarum quarumdam adjuncta ad sacrorum rituum celebritatem ex mente Ecclesiæ pertinent: at non perinde ad ipsam Sacramenti perfectionem, ut quam sine illis etiam haberi novimus, e. g. cum mater nulla urgente necessitate filium domi suæ sine ullo arbitro baptizat. Ipsa quin Concilia cum de iis agunt, quibus Sacramentum perficitur, nominant materiam, formam, & intentionem Ministri: nuspiam autem circumstantias, quas Adversarii obtrudunt.

Huc facit & cit. prop. ab Alex. damnata. Per hanc non datur ad valorem Sacramenti sufficiens determinatio, tametsi a Ministro *omnis ritus externus observetur*; eadem igitur tum etiam non datur, cum adsunt memorata loci ac temporis adjuncta; ut quæ ipsa ad ritum pertinent, neque sine illis *omnis ritus externus observatur*.

Denique: quamvis ex institutione Christi materia & forma, ac eorum externa positio necessaria sint ad Sacramentum, per hanc tamen illa non determinantur sufficienter ad ratio-

nem Sacramenti; minus igitur ad eam ritus Sacramenti externus determinari poteſt per dictas circumſtantias, ſine quibus ſpectata etiam Chriſti inſtitutione, ſuus eſſe poteſt Sacramento valor.

Et hæc ad firmandam Aſſertionem ſatis eſſe exiſtimo; qui plura interim volet, AA. N. 130. laudatos conſulat. Nunc jam & Adverſarii cauſam dicere permittendi ſunt.

Adverſæ partis Argumenta cum reſponſis.

SYſtematis Catharini de Sacramentorum Miniſtri intentione momenta, quæ apud ejus Vindices, præſertim Contenſonium, Jueninium, Serryum, ac Authorem de Re Sacr. utramque efficiunt paginam, ad tria revoco præcipua capita: ſenſum videlicet Eccleſiæ, authoritatem Auguſtini & paucorum quorundam, ac denum rationes quasdam Theologicas. In his ſuum eſſe volunt Adverſarii nervum; hic ſuccidendus proinde: aut accidendus ſaltem.

140 Argumentum I. a ſenſu Eccleſiæ. Hunc vero vel inde ſatis conſtare pars adverſa putat; quod Eccleſia adverſum ſyſtema Catharini nihil unquam definiverit, licet non una ſe ad id obtulerit occaſio; præſertim in Concilio Tridentino, dum de intentione Miniſtri contra Novatores ſtatueretur: ac de ipſa Catharini intentione inter Patres eſſet controverſia.

Reſp. Nos jam ſupra a N. 137. id egiſſe, ut Eccleſiæ definitiones ſyſtemati Catharini eſſe contrarias oſtenderemus ex Concilio Conſtantienſi, Florentino & Tridentino, ac demum prop. 28. ab Alexandro VIII. proſcripta. Quod autem aperte, ac (ut vulgo dicitur) in terminis, contra Catharini intentionem uſque huc Concilia & Pontifices nihil pronunciaverint, in cauſa eſſe potuit: quod opus non ſit Eccleſiam definire ea, quæ raro admodum eveniunt; præſertim ſi nullum inde animarum diſcrimen enaſcatur. Vix autem hujus in præſenti me-

metus esse potest : cum vix, aut raro saltem eveniat, ut cum totius externi ritus ministratione conjuncta non sit interna intentio ; quod si vero de ea prudens emergat dubium, iterato sub conditione Sacramento, periculum omne discutitur. Utut interim ista se habeant ; hoc qualicunque Ecclesiæ silentio a privatorum dumtaxat censuris immunitas obtinetur : nec amplius. Quam infirmum autem istud præsidium ! Verum

Urgebit forte cum Serry aliquis, suum argumento robur inesse, non jam a silentis tantum, sed & loquentis Ecclesiæ oraculo. Nempe I. sæpius in Conciliis contra Donatistas definitum est, Sacramenta *constare propria sanctitate, quæ cujusquam sceleribus pollui non potest, nec ullius perversitate perverti* ; non igitur etiam perversitate Ministri, intentioni Ecclesiæ animo obluctantis. 141

II. In Synodo Rhotomagensi An. 1585. & Aquensi An. 1581. probatus est Baptismus Calvinianorum, quod & hi ritum Ecclesiæ servarent, quamvis baptizandi intentionem excluderent.

III. Sorbona ratum habuit Baptismum a Parocho Massiliensi collatum ; tametsi hic, ut ipse in agone confessus est, Sacramenti ritum serio exterius ministrans, interna intentione dæmoni parvulos devoverit. Eadem probavit ordinationes Petri Lavardini Episcopi Cenomanensis ; quamvis & iste morti proximus testaretur, ritus quidem præscriptos se observasse : at nunquam habuisse intentionem ordinandi.

Resp. ad I. Illationem non esse legitimam. Error Donatistarum in eo fuit : quod censuerint Sacramentum ab improbo & hæretico collatum non valere ; huic oppositum definiverunt Concilia : verum in his nulla unquam intentionis facta mentio.

At vel ideo forte, quod quis hæreticus, multo amplius autem si Judæus vel Atheus sit, habere nequit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia ? minime : alia quippe est mo-

rum ac fidei, alia intentionis perversitas, hæcque ab illa sejungi potest. Verum, qui volent hi facere quod facit Ecclesia, quam non credunt, imo ut impium cœtum execrantur? Distinguenda est apud hos intentio particularis erronea, ab universali altera. Non credunt Ecclesiam, negant in ea verum fieri Sacramentum, atque ita hoc quidem in particulari non intendunt; cur autem cum hoc errore nequeant componere voluntatem, ritus externi ministratione id generatim faciendi, quod facit Christianorum cœtus, qualiscunque demum ille sit? quod si jam hæc voluntas adsit, & particulari erroneæ intentioni prævaleat, verum perficitur Sacramentum.

Resp. ad II. in Rhotomagensi & Aquensi Synodis definitio facta est dumtaxat contra eos, qui dubitabant de valore Baptismi ab hujusmodi hæreticis collati, *eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum*, ut legere est in Actis horum Conciliorum apud Labbé. Quid vero hinc adversum nos? exclusere cit. Synodi necessitatem intentionis ponendi Baptismum propter ejus effectum, qui est remissio peccatorum; neque nos istud requirimus. Quod volumus id unum est: non perfici Sacramentum, nisi Minister intendat facere, quod facit Christi Ecclesia; quæ intentio quia in Calvinianis ac aliis hæreticis non deest, Baptismus eorum hodie etiam ratus habetur: modo a ritu præscripto non discedant.

Resp. ad III. Baptismum Parochi Massiliensis, & ordinationes Lavardini valuisse & ipse censeo: si hi cum sacrilega particulari intentione retinuerunt generalem voluntatem faciendi quod facit Ecclesia, uti retinere certe poterant. Atque hoc ipsum forte Parisinis Theologis innotuit; inde memoratum eorum judicium.

142 Serryus attamen contendit, ne hanc quidem intentionem fuisse in impiis illis ministris. Id si ita est: Sorbonæ, Catharini

ni ſententiam eſſe probabilem exiſtimantis, judicium non aliud forte ſpectabat, quam Baptiſmum & ordinationes dictas non oportere repeti abſolute & palam: verum privatim tantum & ſub conditione, idque conformiter ad ea, quæ infra N. 147. notabimus.

At (urget Serryus) diſerte definitum eſt: nullas omnino eorum Sacramentorum iterationes fieri debere. Ægre iſtud, pace Viri Clariſſimi conceſſerim, dum ipſa definitionis verba ſincere proferat. Concedemus attamen. An jam admotus aries, quo ſtatione cogamur decedere? Sorbonæ multum deferimus; nec plus tamen, quam privatæ Doctorum authoritati. Contra, quam Pariſini Theologi, de caſu poſito cenſuerunt, ac hodie etiam cenſent longe plures alii, imo plurimi, iique virtute non minus ac doctrina conſpicui: idque (ut nobis ob argumenta a N. 137. relata videtur) conformius tam rationi Theologicæ, quam Pontificum & Conciliorum, ipſius proinde Eccleſiæ Decretis; haud ægre igitur feret Cl. Serry, ſi nunc quidem Sorbonæ judicium non ſit nobis oraculum. Non Sorbonæ, ſed Eccleſiæ Sacramentum diximus.

143 Argumentum II. ab authoritate Auguſtini. Ita autem inſtituitur: ex mente S. Doctoris hujus ratum eſt Baptiſma fallaciter datum & acceptum; atqui intentio interna non eſt in Miniſtro Baptiſmum fallaciter dante, ſicut nec in ſubjecto fallaciter illum recipiente; mens igitur Auguſtini erat, valere Baptiſmum ſine intentione interna. Ratiocinium hoc fundant in iis, quæ S. Doctor L. 7. de Bapt. contra Donatiſt. c. 53. diſſerit. Præcipua hujus loci ſunto. Poſtquam complura præmiſit quæſita de Baptiſmo, ac nominatim: an is valeat, ſi cum ſimulatione & fallacia detur vel accipiatur in Eccleſia Catholica aut extra illam? deinde ſubdit: *ſi enim*, inquit, *nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa Eccleſia Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant, cur extra interſit, non video;*

quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit Baptismum; sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Ex hoc Augustini loco enata difficultas eo fere recidit: quid nempe fallaciæ & simulationis nomine intellexerit? id quia S. Doctor disertis verbis non explicat, cit. textus varia est apud Theologos expositio: &, quod hinc consequitur, varia ad argumentum responsa. Duo ex his deligam; ac jam

Resp. I. primam objecti ratiocinii prop. cum distinctione accipiendam esse, nempe: ratum dixit S. Doctor Baptisma datum (de accepto alibi erit agendi locus) fallaciter, ac fallaciæ & simulationis nomine intellexit defectum fidei universim, aut saltem circa ritum vel effectum Sacramenti C. defectum intentionis internæ N. conformiter ad id distinguenda est & subjecta propositio min. ac neganda demum illatio. Sane, si quis conferat Baptismum, nec tamen illum credat esse ritum sacrum a Christo institutum, quo fiat peccati remissio, hunc cum simulatione & fallacia agere jure dixerim; ut quid enim confert, quod falsum, aut inutile saltem putat? fallacia hæc interim componi potest cum intentione generatim faciendi, quod facit Christianorum Ecclesia, quidquid demum illa hoc ritu faciat.

Hoc sensu plurimi cum Lugone Theologi exponunt S. Doctorem; id ut etiam evincat Tournelyus, cit. textus accuratam conficit analysim, ac ex ea, hanc omnino fuisse Augustini mentem, planissime deducit. Nobis pro asserenda illa observasse sufficiat. 1*mo*, controversiam Augustino cum Donatistis in præsenti fuisse in eo, quod hi vellent Baptisma sine fide collatum esse irritum; valere contra illud probat Augustinus; de solo igitur fidei defectu loquitur. 2*do* ex cit. textu ne verbum proferri potest, quod *intentionis* simulationem exprimat.

3*tio*

3*tio* Baptismum fallaciter datum vel acceptum valere probat etiam inde, quia *si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur, aut pœnitendo sanatur;* & infra, *sicut jam præteritis Majorum statutis non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter accipiant &c.* At nullæ hujusmodi pœnæ fuerunt unquam in eos latæ, qui sine intentione darent aut acciperent Baptismum: neque ulla Majorum novimus statuta, quibus probatus fuerit Baptismus sine intentione datus vel acceptus; per *fallaces* itaque intelligit eos, qui simulant fidem, unitatem Ecclesiæ, aut probitatem. 4*to* inter alia hoc loco August. ait: *sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in Ecclesia &c.* infra autem, *quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, ex nobis exierunt &c.* Numquid hic *fallaces* vocat eos, qui, cum sint extra Ecclesiam, simulantes attamen societatem in ipsa Ecclesia accipiunt Sacramenta?

Resp. II. cum Bellarmino: tametsi concedatur, isthic Augustinum loqui de simulatione, quæ intentionem internam excludat, nihil tamen de ea definitive pronunciavit. Certum istud inde est, quod post quæstiones & suas de illis conjecturas expositas, subjungat: *sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt; id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris JESU Christi, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Verumtamen, si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret, ut dicerem, quod ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram, cum ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque, & a quibuscunque illud verbis Evangelicis con-*

se-

secratum, sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent &c.

144 Ex his ipsis autem verbis si porro inferat aliquis: dubitasse saltem Augustinum de valore hujus Baptismi, aut etiam ad probandum illum propendisse. Quid vero tum? detur licet istud cum Vasquezio, Lugone, Estio, & quibusdam aliis; at numquid ex iisdem verbis palam est, sensum suum Concilio subjecisse illum? istud profecto aperte indicat, dum sibi non esse tutum progredi ait in ea sententia, quæ in nullo Concilio terminata est: ac in hoc etiam Concilio sequi se malle aliorum sententias. Cum igitur jam pro internæ intentionis necessitate a duobus Generalibus Conciliis, Florentino nempe & Tridentino, ac etiam Alexandro VIII. pronunciatum sit, quid est, quod adhuc, nisi invito ipso Augustino, ejus opinatio, & sensus quidem incerti illa, nobis obtrudatur?

145 Quo suum interim ab authoritate petitum argumentum urgeant Catharini vindices, Augustino adjungunt Nicolaum I. Innocentium IV. & D. Thomam. Dicunt itaque

I. Ad consulta Michaelis Bulgarorum Regis respondens Nicolaus I. C. 104. definit, ratum esse Baptismum a Judæo collatum, modo præscripta forma sit observata, quin ullam requirat intentionem internam.

II. Innocentius IV. in Comment. ad C. *Si quis puerum.* de Bapt. & ejus effec. aperte ait, valere Baptismum, quamvis Minister non *gerat in mente facere, quod facit Ecclesia;* imo tametsi *contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia;* ubi simul addit, *sed tamen facit, quia formam servat.*

III. D. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. Ar. 2. quæstiunc. 1. ad 2. negat requiri ullam intentionem internam ad perficienda Sacramenta. Verba ejus sunt: *in Baptismo & aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta; & ideo, si forma servatur, nec aliquid exterius dici-*

citur, *quod intentionem contrariam exprimat*, *baptizatus est.* Idem in Sum. p. 3. qu. 64. Ar. 8. ad 2. ad objectionem, rejecto aliorum responso, suum subdit: *& ideo*, inquit, *alii melius dicunt*, *quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ*, *cujus est Minister. In verbis autem*, *quæ profert*, *exprimitur intentio Ecclesiæ*, *quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*, *nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri*, *vel recipientis Sacramentum.* En! altero hoc loco, ajunt, in ipsa verborum Sacramentalium enuntiatione constituit intentionem Ministri.

Resp. ad I. nihil favere Adversariis Nicolai I. rescriptum: neque enim is de intentione, sed de conditione tantum Ministri interrogatus fuit, *an videlicet pro rato habendus sit Baptismus a Judæo vel Pagano datus?* ratum esse igitur pronuntiavit, quin ultra de intentione, aut de ritus externi (quod vellent Adversarii) ministratione *seria* mentionem ullam injiceret.

Resp. ad II. ut de Innocentii verbis judicium ferri possit, integre legendus est cit. loci textus. Ita autem habet: *Non est necesse*, *quod baptizans sciat*, *quid sit Ecclesia*, *quæ baptizat*, *quis baptizatus*, *& unde sit*; *nec quod gerat in mente facere*, *quod facit Ecclesia: imo si contrarium gereret in mente*, *scilicet non facere*, *quod facit Ecclesia*, *sed tamen facit*, *quia formam servat*, *nihilominus baptizatus est*, *dummodo baptizare intendat. Unde si aliquis - - vadat ad Saracenum & dicat*, *baptiza me*, *& doceat eum formam*, *& ille Saracenus baptizat*, *non credens per immersionem aliquid aliud fieri*, *nisi madefactionem*, *& non intendat eum baptizare*, *vel etiam madefacere secundum intentionem petentis Baptismum*, *ut Baptismus operetur*, *quidquid operari potest*; *& ipse baptizans tanquam Minister conferat*, *quod alii baptizantes conferunt*, *licet non credat ipsum posse aliquid operari*, *vere baptizatus est*; *sed si hoc non intenditur*, *non baptizaret.*

Hæc fine præjudicio fi expendantur, pronum erit ftatuere, quam in partem Innocentius fententiam tulerit. Valere Baptismum dicit, quia baptizans *formam fervat*, *dummodo* (quod obfervandum) *baptizare intendat;* formæ igitur & ritus externi pofitionem fejungit ab intentione baptizandi; hancque fimul præter illam requirit. Quid vero eft intentio baptizandi, nifi ea ipfa, quam nos afferimus? In exemplo deinde Saraceni, quo Baptismus ab eo collatus valeat, expreffis verbis declarat neceffe effe, ut is intendat faltem conferre, *quod alii baptizantes conferunt;* addit enim, *fed fi hoc non intenditur, non baptizaret;* voluntas autem conferendi, quod alii baptizantes conferunt, eft utique implicita intentio faciendi, quod facit Ecclefia, ut jam fæpius dictum eft. Duobus his invicem in cit. textu collatis, tantum abeft, ut Innocentius noftræ adverfetur fententiæ, ut eam potius contra Catharini Vindices affirmet.

Neque eft, quod ex Innocentii verbis antilogiam fequi opponant: premit hæc illos magis; nec fcio, ut eam expedient. Nobis id proniffimum eft. Etenim, cum Pontifex dicit in Miniftro non requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclefia, per nos intelligendus eft loqui de intentione explicita, vel intentione faciendi effectum, quem facit Ecclefia: quarum neutram effe neceffariam, & ipfi fatemur. Cum autem requirit intentionem baptizandi: vel conferendi, quod alii baptizantes conferunt, agit de implicita ac generali intentione faciendi, quod facit Ecclefia; atque hæc illa ipfa eft, quam faltem adeffe oportere contendimus. Quæ jam autem in his antilogia? non requiritur intentio explicita, implicita faltem requiritur.

Refp. ad III. Vafquezium difp. 138. exiftimare, D. Thomam omnino nobis adverfari; non eft tamen, cur eum nobis eripi patiamur. Etenim, negat requiri intentionem mentalem, eam nempe, quæ femper actualis fit C. eam étiam, quæ vir-

tua-

tualis ſit ſaltem N. Et profecto niſi iſtud dicatur, pugnabit ſecum ipſo Doctor Angelicus. Nempe cit. qu. 64. Art. 10. in ⊙ ad quæſtionem, *an intentio recta Miniſtri requiratur ad perfectionem Sacramenti?* reſpondet: *dicendum, quod intentio Miniſtri poteſt perverti dupliciter; uno modo reſpectu ipſius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere, & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat.* Sane, propter adjectam particulam *præcipue*, legitima eſt illatio; ergo ex mente D. Thomæ Sacramenti veritas non tum dumtaxat tollitur, cum contraria Miniſtri voluntas exterius manifeſtatur: ſed etiam, cum ea occulta manet, neque ullo externo proditur indicio; neceſſariam igitur & ipſe cenſuit intentionem internam. Deinde, per eundem Doct. Ang. ad perfectionem Sacramenti ſufficit intentio virtualis, ut dictum eſt N. 126. Quomodo autem iſtud? ſi is intentionem Sacramentalem in externi ritus miniſtratione reponat; certe, cum hæc ſemper actualis eſſe debeat, ipſam etiam intentionem ſemper actualem eſſe oporteret. Plura in hanc rem vide paſſim apud Theologos, præſertim Simonet Tract. 11. de Sacr. in gen. Diſp. 4. Ar. 2. §. 4.

Quo itaque Angelici verba ad ſpeciem pugnantia concilientur, cum dicit, *non requiri mentalem intentionem*, aut univerſim ad intentionem ſufficere *expreſſionem per verba ab Eccleſia inſtituta*, hoc ſenſu accipiendus eſt: quod videlicet non requiratur mentalis intentio actualis; quodque intentio Miniſtri neceſſaria ſufficienter per verba & ritus externi poſitionem exprimatur in ordine ad id, ut prudenter dubitari ac formidari non poſſit de intentione Miniſtri interna, ac conſequenter nec de ipſo Sacramenti valore. Quis enim de his, niſi imprudens ac plane temerarius, formidet? ſi videat Miniſtrum ſerio ac graviter totum ex more Eccleſiæ ritum exterius obſervantem. Atque iſtud omnino plane conformiter ad men-

tem Divi Thomæ; cum in cit. ex Sum. Ar. 8. totus in eo ſit S. Doctor, ut oſtendat, anxios non debere nos eſſe de valore Sacramenti, tametſi ad illud perficiendum Miniſtri intentio requiratur.

Cæterum, ſi quis, ultro in Adverſarios liberalis, cit. ex Auguſtino, Nicolao, Innoc. & Doct. Angelico teſtimonia nobis adverſari permittat, ne ſic quidem infirmata eſt Aſſertio noſtra; omnes enim hi floruerunt ante Florentinam & Tridentinam Synodos, quarum, ac præſertim Alexandri VIII. definitio multo certius & apertius nobis favet, quam illa adverſentur. Quid quod illis, qualiacunque demum ſint, poſt hanc ne robur quidem ullum eſſe poſſit.

146 Argumentum III. ex rationibus Theologicis ducitur, quibus, ut ego quidem exiſtimo, vel ex iis, quæ in Aſſertionis probatione ſparſim inſinuata ſunt, non difficulter ſatisfiet. Notanda in hanc rem attamen ſunt prætereа, quæ ſequuntur.

I. Ad perficiendum Sacramentum omnino ſatis eſt, Miniſtrum agere nomine Chriſti, & ſervata ejus inſtitutione Sacramenti actiones ponere; at neutrum ſine intentione interna haberi contendimus. Etenim uti Miniſter ſuo vel Chriſti nomine agere: ſic externa Sacramenti actio, ſacra vel mere profana ac materialiter tantum poſita eſſe poteſt; utriusque proinde determinatio aliunde petenda eſt. Unde vero iſtud? non a circumſtantiis loci ac temporis, ut jam N. 139. probatum eſt; non etiam præter intentionem quidpiam aliud proferri poteſt, ergo &c. Quod vero ex ipſa Chriſti inſtitutione in præſenti requiratur intentio, vel ex Conciliorum ac Pontificum Decretis eſt intelligere; neque enim his utique definitum eſt ad perfectionem Sacramenti neceſſarium eſſe quidquam aliud, quam quod Chriſtus ipſe Sacramenta inſtituens requiſivit.

II. Sacramenti miniſtrationem voluit quidem Chriſtus fieri ad modum actionis humanæ, at non cujuscumque & quomodolibet ſumptæ: verum ejus tantum, quæ, & prout ea

ad

ad forum conſcientiæ internum pertinet. Jam vero, tametſi actio humana pro foro externo ſuum obtineat valorem, quamvis intentione & voluntatis propoſito deſtituta ſit: nemo tamen eam idcirco in foro etiam interno valere dixerit. Inde apud JCtos receptum illud: non omnia, quæ firma ſunt in foro fori, firma perinde eſſe in foro poli. Ita votum, juramentum, Matrimonii, aut quisque alius contractus coram Deo rata non ſunt, nec ligant in foro conſcientiæ interiori, ſi re ipſa voluntas vovendi, jurandi & contrahendi defuit; hæc ipſa attamen, quod exterius ſerio peracta ſint, coram tribunali ipſius etiam Eccleſiæ externo pro ratis habentur. Ratio autem hujus in promptu eſt: univerſim etenim de internis non judicat Prætor, ſeu demum is ſacer, ſeu profanus ſit tantum. Fatemur idcirco & ipſi, Sacramenta ſerio exterius miniſtrata vel ideo valida cenſeri debere in tribunali Eccleſiæ; imo nec facile habenda eſt fides Miniſtro conteſtanti, defuiſſe ſibi intentionem internam; vix etenim hanc ab actione exteriori abeſſe contingit unquam: ac ſi quis eam abfuiſſe putet, animo accuratius excuſſo, fere deprehendet defectum intentionis dumtaxat explicitæ: aut certe ejus, quæ ad finem & effectum Sacramenti dirigitur.

Ex his porro ipſis novum pro Aſſertione noſtra enaſcitur argumentum. Nempe, ut actio quæpiam pro foro externo rata haberi poſſit, neceſſe eſt illam ſerio poni exterius; quo igitur eadem in foro etiam interno obtineat, ſerio ponenda eſt interius, ſeu ſerio interius intendi debet: ſicut enim tribunal externum de externis, ſic internum de internis fert ſententiam.

Atque hoc quidem ſatis jam occupatam exiſtimo objectionem, quam Adverſarii a Judice humano, vel Principis Legato inſtituunt. Valent omnino & hujus Acta, & illius ſententia, licet neuter in animo intendat agere, quod agit exterius: imo quamvis contrario voluntatis propoſito obluctetur. Cur ita vero? quia utriusque actio forum externum non excedit. Sane ab his ad Sacramentorum Miniſtrum non recte argui, faten-

dum eſt ipſi Adverſario. Probantur eorum acta etiam tum, cum per internuncium, ſcripto, vel nutu proferunt ſententiam; certum contra eſt, actionem Sacramentalem non fieri, ſi Miniſter verba, quibus forma Sacramenti continetur, characteribus dumtaxat exaratis, vel ſigno alio exprimat: aut materiam & ritum reliquum per alium miniſtret. Ita nempe diſpar ratio habenda eſt fori externi ab interno.

III. Ordinum collatio non actionibus tantum externis, ſed & Miniſtri intentione perficitur; quamvis enim Epiſcopi functionis hujus principio per Archi-Diaconum edicant, neminem ordinandum, qui alięnæ ſit diœceſeos, excommunicatus &c. miniſterio tamen deinde ſuo defunguntur cum abſoluto voluntatis propoſito omnes ordinandi illos, qui ad recipiendos Ordines accedunt.

IV. Non eſt, quod in ſententia noſtra de Sacramenti veritate angatur quiſpiam. Ratum illud omnino eſſe nequit ſine Miniſtri intentione; verum hanc adſuiſſe eo ipſo ſupponendum eſt, quod externa Sacramenti actio ritu uſitato peracta ſit, nec ulla ſubſit prudens cauſa dubitationis. At, inquies, abeſſe tamen poterat? poterat equidem; nihil attamen in præſenti eſt, quod abſuiſſe illam prudenter opineris. Mirum! anxietates has ab Adverſariis excitari; numquid perinde evenire poteſt, ut miniſter improbus aut ignarus Sacramenti materiam, ac (quod facilius eſt) verborum formam corrumpat? conquieſcit hic interim tenera Adverſariorum conſcientia; cur igitur de intentionis defectu improvidos metus nobis ingerunt? quieſcentibus illis, neque nos quietem animi nobis eripi patiemur.

V. Eadem, quæ paulo ante dicta, metu omni nos abſolvunt, ne forte deficiente Miniſtrorum intentione jam defecerit, aut deinceps deficiat Eccleſia. Neque dicat Adverſarius: poſſe ſaltem fieri, ut Miniſtri Baptiſmi & ordinis careant intentione, atque ita ſubinde fidelis populus & Clerus, ac cum hoc tota deficiat Eccleſia. Argumentatio hæc mere philoſophica eſt:

est: ac si ea nos premi putant Adversarii, & ipsos eadem premi necesse est. An non enim pari jure dixerim? potest fieri, ut Ministri Baptismi & Ordinis vitient materiam vel formam; hoc vero si fiat, evenire subinde potest, ut Clerus & fidelis populus, cumque hoc tota deficiat Ecclesia. Verum ponendi sunt hi metus. Non super fluxas hominum voluntates, sed super firmam ac stabilem Petram ædificavit Christus Ecclesiam suam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Hoc divinæ promissionis oraculo fide certi reddimur, Dei providentia effici, ut ne desint aliquibus saltem Ministris efficaces gratiæ, quibus instructi rite perficiant Sacramenta: sicque nec Ecclesia unquam intereat, nec in ea ullo tempore salutis desiderentur remedia.

Consectarium

Ex hactenus refutata Catharini Doctrina.

I. SI momenta pro Assertione allata alieno a partium studiis animo expendantur, id saltem vel Adversario fatendum est, sententiam nostram esse omnino solide probabilem. Ac, ut jam nihil de aliis dicam, an non istud evincit vel sola authoritas Doctorum & Theologorum, quorum omni ætate pars major illam propugnavit, hodieque propugnat? 147

II. In praxi ac ipso usu tutius est Sacramenta ministrare cum interna intentione, quam sine illa. Etenim consensione omnium valet Sacramentum cum dicta intentione ministratum; valere contra illud negant multi, imo plurimi, si ea in Ministro desit. Indubitatum est præterea, in sententia nostra frustrationis periculo non exponi Sacramentum: sive enim ad valorem ejus intentio hæc necessaria sit, sive ad eum nihil conferat, semper attamen ratum est Sacramentum cum ea collatum; ex adverso, si Catharini opinio, tametsi probabiliter defensa, re ipsa fallat, Minister intentione destitutus non perficit Sacramen-

men-

mentum. Quidni igitur ſententia Catharini, comparate ad noſtram, in praxi ac ipſo uſu eſt minus tuta? Hinc vero

III. Conſequitur, nemini eſſe integrum in miniſtratione Sacramentorum ſequi ſententiam Catharini, relicta altera, quam tuemur. Neque iſtud affirmandum multis, quando conſtat, inter propoſitiones alias & hanc n. 1. ab Innoc. XI. die 2. Martii An. 1679. eſſe proſcriptam: *non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

IV. Si quando caſus ferat, ut Sacramenta, præſertim Baptiſmi & Confirmationis, absque interiori intentione collata fuiſſe innoteſcat, ea omnino, ſub conditione ſaltem, iteranda ſunt. Quæcumque etenim obtineat ſententia, iteratio hujusmodi propter adjectam conditionem nulli obnoxia eſſet ſacrilegii periculo; quod ſi autem reipſa ratum non eſt Sacramentum ſine Miniſtri intentione, uti ſaltem probabile eſt ratum non eſſe, intentio hæc omne diſcutiet diſcrimen, quod ex irrita Sacramentorum miniſtratione enaſci poteſt; ſatisque conſultum erit animarum bono, cui ratione, qua fieri poteſt, meliore conſulendum novimus.

V. Quod ſi jam Catharini ſententiæ ea ſit conditio, ut in praxi illa uti non liceat, clarum eſt, non eſſe (ut ſcholæ dicunt) practice probabilem. Quidni igitur ſuperfluos ac plane otioſos Adverſariorum conatus quiſpiam dixerit? cum in ea re, quæ Sacramenti valorem ſpectat, pro opinione ſpeculative dumtaxat probabili lites excitant, nulli futuras uſui, niſi ut concertationibus ſcholaſticis prorſus non neceſſarium, ac fortaſſis etiam inutile, præbeant argumentum.

Atque hæc Theologiæ Studioſus maturo expendat conſilio; ac tum ipſe, quid de Catharini ſyſtemate cenſendum ſit, apud animum ſuum decernat.

§. IV.

§. III.

An in Sacramentorum Ministro fides sit necessaria?

Controversiæ huic occasionem dedit error Rebaptizantium; hinc disceptatio, quæ in præsenti instituitur, tota fere Baptismum spectat. Quia attamen par est Sacramentorum omnium ratio, dubitari nequit: universim sine fide Ministri perfici Sacramentum, si nominatim Baptismus sine illa perficiatur. Jure igitur quæstio hæc generatim de cujusvis Sacramenti Ministro procedit: an videlicet ratum haberi debeat Sacramentum, quod collatum est a Ministro vera fide destituto, e. g. Hæretico, Schismatico, vel etiam Pagano? si tamen (quod hic supponitur) totus Sacramenti ritus observetur, nec desit requisita intentio. Status controversiæ hujus ut planior fiat, ab origine eum libet repetere.

Origo Controversiæ de Fide Ministri.

I. Multorum, eorumque etiam magnorum Ecclesiæ Luminum Seculo III. doctrina fuit: ab Hæreticis & Schismaticis, quod vera fide destituerentur, Baptismum non conferri valide; iterandum proinde in omnibus, qui ab illis baptizati ad unitatem Ecclesiæ redirent. Et in hoc quidem errore aliis præivisse Tertullianum & Agrippinum Carthaginensium Episcopum una est omnium consensio; ante hos certe in Scriptoribus Ecclesiasticis neminem legas alium. 148

Quis interim horum erroris author dicendus sit, non ita pronum est definire. Tertullianus L. de Bapt. c. 15. postquam dixit: *Circa Hæreticos quid custodiendum sit . . . ad nos editum est;* deinde, quid istud sit, exponens, *Hæretici,* inquit, *nullum habent consortium nostræ disciplinæ . . . non idem Deus est nobis & illis, nec unus Christus, id est, idem;*

ideoque nec Baptiſmus unus, *quia non idem*, *quem cum rite non habeant*, *ſine dubio non habent*. Agrippinus idem ſentiens, coacto Africæ ac Numidiæ Epiſcoporum Concilio, adjecit præterea Decretum, quo ſtatuit, omnes, qui ab Hæreticis baptizati Eccleſiæ ſe redderent, eſſe rebaptizandos. Atque hoc eſſe Decretum, a Tertulliano per verba, *ad nos editum eſt*, deſignatum, cenſent multi Recentiores poſt Dupinum in Geopraphia Sacra Africæ; quorum opinione proin Concilium iſtud fuit celebratum ante An. 200. atque in eo, Agrippino authore, primum error hic procuſus. Ejusdem ex Cypriani verbis ſententiæ fuit Auguſtinus, nam L. 2. de Bapt. c. 7. ait: *Hanc ſaluberrimam conſuetudinem* (non rebaptizandi ab Hæreticis baptizatos) *per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi; verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe*, *quam corrigi*. Clarius multo idem aſſerit Vincentius Lirinenſis, in Commonitorio c. 9. ubi de Agrippino, *qui omnium*, inquit, *mortalium primus contra divinum Canonem*, *contra univerſalis Eccleſiæ regulam*, *contra ſenſum omnium Conſacerdotum*, *contra morem atque inſtituta Majorum rebaptizandum eſſe cenſebat*.

Exiſtimant contra alii cum Harduino, Voſſio & Pagio Concilium ab Agrippino ante An. 215. aut plane 217. non fuiſſe coactum; idque propterea, quod hoc primum tempore, pace Eccleſiæ reddita, convocari potuerint Chriſtianorum conventus, qui prius Imperatorum edictis prohibebantur. Ex horum jam ſententia multi cum Baronio inferunt, Tertullianum non commemoraſſe Agrippini Decretum; verum Agrippinum a Tertulliano in errorem fuiſſe inductum. Vide in hanc rem animadverſionem Baronii ad An. 217. N. 5.

At hinc nova exoritur quæſtio: quid nempe Tertullianus verbis illis, *ad nos editum eſt*, deſignarit? Si conjectare fas eſt: mos vetus in Eccleſia obtinuit, ut ab Hæreticis ordinati per manuum impoſitionem reciperentur. Cerimonia hæc erat dum-

ta-

taxat reconciliationis; quam pronum interim fuit, ut ab ignorantibus propter quamdam similitudinem Ordinatio ipsa putaretur. Error hic subinde facile traduci potuit ad Hæreticorum Baptisma iterandum, idque adeo, ut progressu temporis Majorum authoritate, & falso existimata traditione a quibusdam confirmaretur. Quid jam vetat dicere? Tertullianum in eandem opinionem subinde inductum, cum Hæreticorum Baptisma impugnaret, ad reliqua momenta illam etiam falso putatam traditionem adjecisse, ac ad eam verbis illis, *ad nos editum est*, provocasse. Hæc nostra est opinio; si quis verisimilius quid protulerit, non inviti acquiescemus. Nunc reliqua, quæ controversiæ progressum spectant, persequamur.

II. Non diu suos intra Authores hæsit error. Magnam certe Orientis partem mox pervasit; præsertim, cum sub idem tempus collectæ in Phrygia Asiæ minoris Provincia Iconiensis & Synnadensis Synodi Decretum Agrippini instauraverint, ut testatur Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Ep. ad Cyprian. & Dionysius Alexandr. Ep. 3. ad Philemonem. Eandem tuitus est sententiam memoratus Firmilianus & S. Cyprianus Carthaginensium Episcopus, cum plerisque, non Africæ tantum, sed & Orientis totius Præsulibus. 149

Id prætereundum hic non est: Cl. Tourneminum & Missorium, contra receptam ab omnibus sententiam, negare, Firmilianum & Cyprianum Rebaptizantium errori adhæsisse unquam. Istud ut tueantur, hujus argumenti epistolas, quæ Firmiliano & Cypriano adscribuntur, suppositas & commentitias esse multis contendunt; at non perinde evincunt. Etenim, Firmiliani Epist. inter Cyprianicas 75. tametsi in editione Manutii sit prætermissa, teste attamen Pamelio, Rigaltio, & Joanne Oxoniensi extat in vetustissimis Codicibus & MSS. inde, tanquam genuina inserta est editionibus eorum, ac etiam Morelli, Baluzii & PP. S. Mauri. Minus dubium esse potest de Epistolis Cypriani, quas pro veris receperunt Eusebius in

ſua Hiſt. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Auguſtinus in LL. contra Donatiſtas, Vincentius Lirin. in Commonit. & paſſim denique tam veteris, quam recentis ævi Scriptores. At hæc nos inſinuamus tantum; præcipua adverſus Miſſorii opinionem momenta profert Cl. Berti Theologiæ Suæ L. 31. Cap. 13.

Non deerant etiam ex Hæreticis, qui eundem errorem ſequerentur. Tales C. 63. teſtatur Phylaſtrius, fuiſſe Libellaticos, quos etiam ibidem Montaniſtas vocat: Novatiani, item Donatiſtæ: Ariani, ut ſcribit Auguſtinus de Hæreſ. N. 49. Eunomiani juxta Epiphanium Hær. 76. N. 6. ac ſubinde etiam Anabaptiſtæ quidam, ut videre eſt in Hiſt. Anabapt. Arnoldi Meshovii. Qui errorem hunc attamen præ aliis acrius defendendum ſuſceperunt, inter Hæreticos ſunt Donatiſtæ: e Catholicis autem Cyprianus, multis ac conſtanter propterea Stephano Papæ adverſatus; inde, quo plenior ſit controverſiæ notitia, tam de his, quam de illo ſpeciatim pauca notabimus.

Controverſiæ ejusdem inter Cyprianum & Stephanum I. progreſſus.

150. I. INvaleſcente per Orientem Agrippini opinione, ex Orientalibus etiam nunquam deerant, qui eam penitus rejicerent, aut in dubium ſaltem revocarent. Januarius certe cum aliis Numidiæ Epiſcopis, ne quid temere ageret, S. Cyprianum ſuper ea conſuluit; quod idem non multo poſt fecit & Quintus in Mauritania Epiſcopus. Coactum idcirco Anno 255. a Cypriano Carthagine Concilium, cui unus & triginta Epiſcopi intererant: ac dein An. 256. ibidem alterum multo numeroſius, ex uno videlicet & ſeptuaginta Præſulibus conflatum. Exitus utriusque is erat, ut Cyprianus, præter multa, ut ei videbatur, graviſſima momenta, Agrippini cumprimis ſui Deceſſoris authoritate inductus, pro ejus ſententia

pro-

pronunciaret, omneſque ab Hæreticis & Schiſmaticis baptizatos rebaptizandos decerneret.

Quia vero neque hoc duarum Synodorum Decreto obtinuit, ut non aliqui a ſe diſſiderent, ad reprimendos illos, ſtabiliendamque ſententiam ſuam, ex memorato Carthaginenſi altero Concilio duos Romam ad Stephanum Papam legavit Epiſcopos, qui una cum Epiſtola, quæ eſt 71. inter Cyprianicas, utriusque Synodi Acta deferrent, ab eo, ut quidem ſperabat, confirmanda. Verum ſecus evenit: novitas etenim doctrinæ adeo commovit Stephanum, ut delegatos ad ſe Epiſcopos ne conſpectu quidem ſuo dignaretur; quin & vetuit, ne quis eos vel hoſpitio exciperet: ac demum ad Cyprianum literas acerbitatis plenas dedit, quibus ſententiam ejus ac Decreta improbat, anathematis etiam fulmen, ſi porro rebaptizare pergeret, comminatus.

151 II. Inexpectata Stephani obluctatio & ſeveritas graviter affecit Cyprianum; a ſententia autem adeo non dimovit, ut novum eo ipſo anno, videlicet 256. ſeptem & octoginta Epiſcoporum Carthagine coegerit Concilium, collectisque omnium ſuffragiis, lata jam ante de hæreticis rebaptizandis Decreta rurſum confirmaverit. Ita authoritate Cypriani, cujus & ſanctitatis & doctrinæ fama ingens erat, latius in dies proferebatur error, fruſtra obnitente Stephano. Dedit is quidem, quo malo occurreret, epiſtolam ad Africanos, & alteram ad Orientales Epiſcopos: præter alia iisdem comminatus, ab illorum communione ſe diſceſſurum, ſi in priſtina rebaptizandi ſententia perſiſterent. Verum non profecit induſtria Stephani; obfirmatis animis errorem retinuerunt in Africa, duce Cypriano, pene omnes Mauritaniæ, Numidiæ, & Provinciæ Africæ Præſules: in Oriente vero, præter Firmilianum, Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, & finitimarum regionum quinquaginta ut minimum Epiſcopi. Et quamvis (quod in Epiſtolis ſuis Cyprianus & Firmilianus candide fatentur) tam in Africa

quam Oriente fuerint non pauci, qui Romanæ Ecclesiæ consuetudinem sequerentur; non prius attamen error inter Fideles abolitus est integre, quam *plenario Orbis Concilio*, *quod saluberrime* (a Stephano) *sentiebatur*, *remotis dubitationibus firmaretur*, ut ait S. Augustinus L. 1. de Bapt. C. 7.

Atque hæc sunt, quantum ad præsens, de Cypriano præcipua, ac fere certiora, ut eruitur ex ejus Epistolis, & memorat Augustinus in Libris de Bapt. ac Vincentius Lirin. in suo Commonitorio. Lites, quas in causa Cypriani minutim excitant Eruditi, nostrum hic non est referre, minus ad Crisim exigere. Videri possunt apud Dupinum, Tillemontium, Baronium, Alexandrum Natalem & passim alios Scriptores Ecclesiasticos in Vita Cypriani. Earum interim aliquas, quæ ad propositum nostrum, & cumprimis Cypriani vindicias faciunt, & nos infra §. 4. paucis commemorabimus.

Error Donatistarum,

ac eos inter & Cyprianum discrimen.

152. I. DOnatistæ Sec. IV. circa An. 313. authore Donato, in Numidia a Casis nigris Episcopo, exorti, impia sectæ suæ dogmata Cypriani etiam errore auxerunt. Ob prætensa videlicet Cæciliani Carthaginensium Episcopi crimina corruptam ubique, in Africa dicebant defecisse Ecclesiam, neque nisi in Donati parte remansisse puram: nullum extra hanc esse legitimum Ministrum: nullum proinde etiam Baptisma. Inde, quot quot seu hæretici, seu Catholici eis sese adjungerent, in omnibus Baptisma iterandum censuerunt, ac reipsa iterarunt. Et in hoc quidem adversabantur universalis Ecclesiæ definitioni, quæ jam tum, non in Concilio tantum Arelate An. 314. habito, sed & in Nicæno I. eoque Oecumenico ratum esse voluit hæreticorum Baptisma. In causa Donatistarum, ipso Constantino Imp. urgente, coactum est nominatim Romæ Concilium

lium An. 313. ſub Melchiade Papa, ac dein An. 314. Arelate alterum: condemnatis in utroque, nec tamen fractis. Ad Arcadii certe & Honorii usque tempora pacem Eccleſiæ turbare non deſtiterunt; dum tandem S. Auguſtini invictis conatibus, ac ipſius Honorii Imp. qua edictis, qua potentia militari, impiorum denique edomaretur protervia.

II. Error, ut jam patet, circa fidem Miniſtri idem erat Cypriani & Donatiſtarum, cauſa attamen non eadem. Illum ſententiæ huic bonus zelus adjunxit: quo videlicet antiquam, ut putabat, Eccleſiæ Carthaginenſis traditionem tueretur, ut ipſe teſtatur in ſua n. 73. Ep. ad Jubajanum; illis contra erroris origo & cauſa fuit odium in Cæcilianum conceptum, ſufflaminante illud, & factionem opibus ſuſtentante ambitioſa muliere Lucilla. Errorem ad hæc iſti ſuum pertinaciter retinuerunt etiam poſt ejus ab Eccleſia factam in Arelatenſi & Nicæno Concilio damnationem; cum ex adverſo ætate Cypriani nondum univerſalis Eccleſia oppoſitum definiverat. *Illis temporibus*, inquit Auguſt. L. 1. de Bapt. c. 18., *antequam plenarii Concilii ſententia, quid in hac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet, viſum eſt ei, - - hominem, qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuo baptizari.* Cyprianus denique, in tam ancipiti ſchiſmatis periculo, Eccleſiæ Romanæ & Capitis ejus unitatem inviolate coluit: *nos*, inquit Ep. 73. ad Jubajan. *quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum Collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & dominicam pacem tenemus - - ſervatur a nobis patienter & firmiter charitas animi, Collegii honor, vinculum fidei & concordia Sacerdotii.* Deſiderabantur hæc omnia apud Donatiſtas, uti ſententia, ſic & voluntate ab Eccleſia Romana penitus diviſos, eamque factionum ſuarum motibus varie permiſcentes; inde Auguſt. L. 2. contra eosdem c. 3. *vos*, inquit, *nobis objicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani*

153

priani Concilium : cur authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? En! quam in præsenti errore Cypriani alia, alia Donatistarum conditio. Verum de statu controversiæ jam satis; reliquum est, ut de illa ex sensu Ecclesiæ pronunciemus.

Quæstio proposita resolvitur.

ASSERTIO.

Non est necessaria fides in Sacramentorum Ministro; tametsi is proinde sit hæreticus aut schismaticus, valide conficit Sacramenta.

SEntentiam hanc dogma fidei esse, ut alia absint, satis comprobatur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 7. Can. 4. ita statuit: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Sacramentum, anathema sit.* Quamvis autem hic solius Baptismi fiat mentio, cum tamen Sacramentorum omnium par sit ratio, definitio Tridentini etiam ad reliqua spectare censenda est. Probanda interim est Assertio pluribus argumentis. Itaque

154 Probatur I. Traditione & perpetua Ecclesiæ universalis consuetudine. Certe autem ab Apostolorum temporibus usque ad An. 215. vel 217. quo Agrippinus oppositum decrevit, mos erat Ecclesiæ, redeuntes in sinum ejus hæreticos sola manuum impositione, quin iis conferretur Baptismus, recipere: quod quia nullius Pontificis aut Concilii Decreto inductum est, juxta Augustini & Tertulliani regulam recte creditur, ab ipsis Apostolis profectum esse.

Traditionem porro hanc & consuetudinem vel id evincit, quod Stephanus Papa unam illam Cypriano & ejus Conciliis opposuerit: *Si quis ergo*, inquit, *a quacumque hæresi venerit,*

nihil

nihil innovetur ; nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. Hæc Stephani verba ipse Cyprianus refert in Ep. 74. ad Pompejum. *Intelligebat* nempe, ut loquitur Vincentius Lirin. in Common. c. 9. *Vir sanctus & prudens* (Stephanus scilicet) *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur ; nosque Religionem, non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere ; idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare.*

De hac ipsa, qua Stephanus adversum Cypriani errorem pugnabat, consuetudine ad Donatistas loquens Augustinus L. 2. de Bapt. c. 7. *saluberrimam*, inquit, *consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere, quod pravum est: non iterare, quod datum est ; sanare, quod vulneratum est ; non curare, quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem ; sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et infra c. 9. *consuetudinis*, inquiti, *robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc sola opponebatur nducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.*

Ac omnino, cum pro ingenii ac eloquentiæ ubertate acriter non minus quam facunde errorem suum Cyprianus propugnaret, hoc uno potissimum de illo triumphatum est ; ut enim cit. loco Lirinensis, *quis ergo*, ait, *tunc universi negotii exitus ? quis utique nisi usitatus & solitus ? retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas ;* quod quidem tum primum effectum est, dum quæstionis veritas per Concilium, cujus Augustinus meminit, plenarium fuit declarata, & ad notitiam omnium perducta.

Probatur II. authoritate Conciliorum: quibus simul eadem tra-

traditio ac perpetua Ecclesiæ consuetudo & doctrina ad nostram usque ætatem perdurans comprobatur. Jam inde nempe ab exortu Donatistarum celebrata Concilia constanter definivere, ratum esse Baptisma hæreticorum, si modo ejus forma sit rite observata: proinde baptizatos ab illis, cum ad Ecclesiam redeunt, sine Baptismi iteratione, per solam manus impositionem, vel unctionem, aut pœnitentiam recipi oportere.

Ita Arelatense I. An. 314. Can. 8. *de Afris*, inquit, *qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum: & si perviderint eum in P. F. & Sp. S. baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum S. Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Concilium Generale I. nempe Nicænum I. An. 325. Catharos seu Novatianos, ad Ecclesiam redeuntes, relicto cuique pristino honoris Ecclesiastici gradu, per solam manus impositionem admittit. *De his* (ut habet Can. 8.) *qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Nec obest, in hoc eodem Concilio de Paulianistis, Pauli Samosateni discipulis, rebaptizandis ac reordinandis latum esse Canonem 19. *Si quis confugit ad Ecclesiam de Paulianistis, statutum est, rebaptizari eos omnino debere; si qui vero Clerici erant apud eos, siquidem inculpati fuerint baptizati rursus, etiam ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ.* Discrimen nempe inter memoratos hæreticos erat, *quia*, ut ait Innoc. I. in sua ad Episcopos Macedoniæ Ep. *Paulianistæ in nomine Patris & Filii & Spiritus S. minime baptizabant: & Novatiani iisdem tremendis, venerandisque nominibus baptizant &c.* Idem insinuat Augustinus L. de Hæresibus c. 44. *credendum est*, inquit, *eos* (Paulianistas) *regulam Baptismatis non tenere.*

Concilium Laodicenum, intra An. 360. & 370. Annos ex sen-

ſententia Dupini celebratum, Can. 7. ita ſtatuit: *Eos, qui ex hæreſibus, hoc eſt, Novatianis, ſive Photinianis, ſive Theſſeradecatitis convertuntur - - non admitti, priusquam omnem hæreſim anathematizaverint - - fidei ſymbolo diſcentes, & ſancto Chrismate inunctos, ſic ſancto myſterio communicare.* Canon hic propter inſertos *Photinianos*, qui a Paulianiſtis non differebant, ſubjectus eſt controverſiæ, de qua vide n. 162.

Concilium Generale II. quod eſt Conſtantinopolitanum I. An. 381. Can. 8. definivit, quosdam hæreticos per ſolam unctionem eſſe recipiendos, quales erant Ariani, Macedoniani, Sabbatini, Novatiani &c. alios contra, qui ritum baptizandi debitum non obſervabant, ut Eunomianos, Montaniſtas &c. rebaptizari voluit.

Capuenſe An. 389. vetuit fieri rebaptizationes & reordinationes, ut colligitur ex Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, ubi Can. 48. habetur: *illud etiam ſuggerimus mandatum, quod etiam in Capuenſi plenaria ſynodo videtur ſtatutum, non liceat fieri rebaptizationes, nec reordinationes.*

Arelatenſe II. An. 452. Can. 16. & 17. decrevit, *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere. Bonoziacos autem ex eorum errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chrismate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.*

Atque ex his ſatis certa eſt traditio, ac conſuetudo Eccleſiæ per prima quinque Secula, quorum tribus poſtremis potiſſimum agitata eſt præſens controverſia. Reliqua dein ad nos usque ætate eandem perduraſſe, vel inde diſcimus, quod approbante Concilio Florentino Eugenius, tanquam rem in Eccleſia certam, Decreto unionis pro Armen. §. *primum* inſeruerit: tam paganum, quam hæreticum valide baptizare, *dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.* Idem denique comprobat Synodi Tridentinæ definitio jam principio citata. Pro-

156 Probatur III. ex rationibus Theologicis, quas cumprimis Augustinus magno numero suppeditat in suis contra Donatistas Libris. Harum præcipuas ad duo capita reduco.

Primum est: Sacramenta suum valorem habent ex institutione ac meritis Christi, unde & sensu morali ejus sunt actiones; non est igitur, cur defectus fidei hunc valorem eis adimat, nisi constet fidem in Ministro ita esse a Christo requisitam, ut potestatem, quam acceperat, per hæresim amittat: atqui hoc sufficienter probari nequit, ut mox ex objectis patebit, ergo &c. Certe potestas ministerialis est *gratia* (ut loquuntur Theologi) *gratis data;* cujusmodi dona cum infidelitate & improbitate componi posse novimus vel ex Caipha Joan. 11. & Balaamo Num. 24. prophetantibus. Et sane cur potestas hæc amitti debeat per hæresim, & non per aliam Ministri iniquitatem? Argumentum hoc Augustinus pertractat L. 4. contra Donat. c. 4. ubi, *sicut*, inquit, *urgeri videor*, *cum mihi dicitur: ergo hæreticus dimittit peccata? sic & ego urgeo*, *cum dico: ergo qui cælestia mandata non servat*, *avarus*, *raptor &c. peccata dimittit? si per vim Sacramenti Dei*, *sicut ille*, *ita & ille: si per meritum suum*, *nec ille*, *nec ille.*

Alterum: ratio oppositæ sententiæ, ut August. L. 6. contra Donat. c. 1. refert, præcipua est, quod gratia Sacramentis propria conferri non possit, ministrante illa hæretico vel schismatico; id vero falso asseritur, quod enim hujus fundamentum? Potest Sacramentum in suscipiente operari gratiam, tametsi illud conferens ea destituatur; cur non igitur etiam, si idem fide careat? Certe August. L. 2. contra Ep. Parmen. *omnia*, inquit, *Sacramenta*, *cum obsint indigne tractantibus*, *prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Deinde ratio ab Adversariis objecta, falso supponit, valorem Sacramenti ab ejus effectu sejungi non posse: adultus etenim e. g. Baptismum valide suscipit, tametsi propter obicem peccati, in quo forte perseverat, gratiam Baptismi non percipiat. Idem est de Sacramento Confirmationis, Ordinis &c. Ob-

Obſervationes in objecta Cypriani & Donatiſtarum.

ARgumenta, quibus Cypriani & Donatiſtarum error propugnari poteſt, ad quinque claſſes reducuntur. Petuntur nempe alia ex ſacris Literis, alia ex Traditione, ex Conciliis etiam & Pontificum ſtatutis, tum ab authoritate Patrum. De ſingulis ſeorſim compendio agemus; ex his vero ad rationes etiam Theologicas, quæ opponuntur, haud difficile erit reſpondere.

De Objectis ex S. Scriptura.

I. IN ſacris Literis, ut Auguſt. L. de Unico Bapt. contra Petil. c. 11. obſervat, nihil omnino de fide Sacramentorum Miniſtri clare ac expreſſe ſtatutum reperitur. Inde, quotquot hinc textus opponunt Adverſarii, nihil eis patrocinantur. Ita illud Eccl. c. 34. *qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum: quid proficit lavatio ejus?* nihil ad rem præſentem facit; non enim hic agitur de Baptiſmo Chriſti: verum de ablutione ab immunditia legali, quæ in veteri lege contrahebatur cadaveris contactu. Nec aliud ibi Eccleſiaſticus innuit, quam, legalem ablutionem non profuturam illi, qui poſt eam cadaver rurſum contigerit. 157

At forte adverſatur nobis Scriptura Num. 19. *omnia quæcumque tetigerit immundus, immunda erunt.* Joan. 9. *Deus peccatorem non audit.* 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? - - quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Matth. 7. *Arbor mala non poteſt fructus bonos facere.*

Reſp. ex his & ſimilibus, quamvis recte inferatur: hæreticos, virtute propria & merito ſuo agentes, nihil agere niſi immundum, quod Deus non audiat, ac univerſim malos fructus facere; neque in hoc nobis eſſe partem & communionem cum

illis; non perinde attamen iſtud ſe habet, ſi iidem agant virtute & merito Chriſti, uti agunt cum Sacramenta in perſona Chriſti miniſtrant. Vitium hoc, ut notat Auguſtinus, omnibus pene Cypriani argumentis inerat, quod opus Chriſti cum opere Miniſtri, nullo diſcrimine inter utrumque facto, confunderet. Et ſane, ſi loca Scripturæ citata contra nos faciunt, pari jure ex illis (quod & contra Donatiſtas præſtitit Auguſtinus) argui poteſt, ne a malis quidem flagitioſis miniſtris perfici Sacramenta.

158 II. Hæretici & Schismatici poſſunt virtute & merito Chriſti agere, proinde & Sacramenta miniſtrare: poteſtas enim hæc, ut N. 156. probavimus, non eſt ejusmodi, quæ componi nequeat cum infidelitate.

Neque dicas: Chriſtus Apoſtolis poteſtatem ſacram conferens Joan. 20. ita locutus eſt: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; hoc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* ergo (ut inferebat Cyprianus) ſolis Eccleſiæ membris, qualia fuerunt Apoſtoli: non autem etiam extraneis, ut ſunt hæretici, collata eſt poteſtas.

Reſp. cum Auguſtino primum: illationem hanc perinde fieri poſſe de improbis miniſtris, cum & hi membra ſint Eccleſiæ tantum mortua. Deinde cum eodem S. Doctore dico: extraneis non eſſe datam poteſtatem, ita ut Sacramenta miniſtrare poſſint tam valide quam legitime, Conc. ita ut non poſſint miniſtrare valide, nego. Diſtinguendum nempe eſt inter veros & legitimos Miniſtros. Verus Miniſter eſt, qui poteſtatem habet miniſterii: legitimus, qui illud ſimul ſancte ac fideliter obit. Certe & Apoſtolus hoc ipſum inter Miniſtros diſcrimen facit: cum enim 1. Cor. 4. de Miniſtris Chriſti & Diſpenſatoribus Myſteriorum Dei loquitur, continuo ſubdit: *hic jam quæritur, inter Diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* Ex mente igitur Apoſtoli, diverſa ſunt: eſſe Miniſtrum, & eſſe fidelem ac legitimum Miniſtrum; horum primum Hæreticis etiam

iam concedimus, negamus alterum. Apposite in hanc rem Augustinus L. 5. de Bapt. c. 2. *nos*, inquit, *Baptismum eos* (hæreticos) *non juste & legitime possidere concedimus; non possidere autem, non possumus dicere, cum Sacramentum Dominicum in Evangelicis verbis cognoscimus; Baptismum ergo legitimum habent, sed non legitime habent &c.*

Urgebit aliquis: dum Apostolis collata est potestas ministerii, simul datus est illis Spiritus Sanctus, *accipite*, inquit Christus, *Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.* non habet igitur potestatem, qui non habet Spiritum S. uti est hæreticus.

Resp. textum hunc quoad *Spiritum S.* non posse accipi ad literam vel ideo, quod alias (ut iterum arguit Augustinus) neganda esset hæc potestas etiam improbis, cum & hi Spiritum Sanctum per peccatum excludant. Dicendum itaque cum Chrysostomo & Cyrillo, verba illa facere hunc sensum: accipite potestatem virtute Spiritus Sancti ministrandi Sacramentum, & per hoc remittendi peccata. Hoc sensu certe perinde in hæreticis ac improbis Ministris haberi posse Spiritum Sanctum, nemo inficiabitur.

III. Ex eo, quod ad Eph. 4. dicatur: *unum corpus & unus* 159 *Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium*, non recte intulit Cyprianus, in una ac sola Ecclesia Catholica dari verum Baptisma. Etenim si hæc illatio valeat, fieri eadem rursum potest ad improbos, ut qui perinde eandem spem, ac hæretici fidem, cum Ecclesia non habent. *Sicut enim* (iterum Augustinus L. 5. contra Donat. c. 26.) *dicitur una Ecclesia, unus Baptismus, ita una spes; atqui tamen unum habuere Baptismum, qui unam non habuere spem. Quomodo enim unam spem habebant cum justis illi, qui dicebant, manducemus & bibamus &c. Unum Baptisma*, igitur *unum Corpus* & *una fides* hoc sensu dicuntur: quod sicut unum illud Ecclesiæ verum corpus est, in quo retinetur fides a

Chri-

Christo tradita, quæ una est; sic & verum Baptisma est unum illud, quod Christus instituit, quodque secundum ejus institutionem ministratur.

Observandum attamen: ea ipsa Sacramenta, quæ ab hæreticis extra Ecclesiam conferuntur, pertinere ad Ecclesiam Catholicam, atque ab ea vim suam habere; quatenus videlicet & pro illa sunt instituta, & extra illam positis prodesse nequeunt. Unde & illi, qui per Sacramenta ab hæreticis collata in Spiritu nascuntur, generantur ab Ecclesia Catholica, utente videlicet hæreticis tanquam utero ancillarum, ut sponso suo Christo filios generet: sicut Sara, Lia, & Rachel leguntur jure conjugali filios peperisse per uterum ancillarum, ut de hoc disserit August. L. 1. contra Donat. c. 16.

De Objectis ex Traditione.

160 I. Traditionem & antiquam Ecclesiæ consuetudinem ita, ni fallor, N. 154. & 155. nobis vindicavimus, ut dubitari non possit, certissimum & gravissimum ab ea nos habere contra Adversarios momentum. Et hi interim pro errore suo pugnabant illa. Cyprianus certe Ep. 73. ad Jubajan. *apud nos*, inquit, *non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt & longa ætas, ex quo sub Agrippino convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint &c.* Et Firmilianus in sua ad Cyprianum Ep. quæ inter Cypriani Epistolas est n. 75. *nos veritati*, inquit, *consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus; ab initio hoc tenentes, quod a Christo & ab Apostolis traditum est; nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper isthic observatum sit &c.*

Verum hæc frustra quisquam oggesserit. Etenim 1*mo* Cyprianus & Firmilianus in causa sua judices esse nequeunt: nisi

nisi sententiam, quam proferunt, etiam comprobent. Firmilianus ad Traditionem Apostolicam provocat; at non probat illam. *Non meminimus*, ait, *hoc apud nos aliquando cœpisse*; meminerunt vero hujus initii Augustinus & Vincentius Lirin. supra n. 148. citati, qui illud ad Agrippini ætatem referunt. Ipse imo Cyprianus in cit. Ep. 73. non altius illud repetit, quam ab Agrippini Concilio; ubi mirere, *longam ætatem* ab eo commemorari; cum tamen ab illo Concilio, quod ex Eruditorum calculo non prius quam An. 215. vel 217. cogi potuit, ad An. 256. quo Cyprianus ad Jubajanum scribebat, 39. aut 41. Anni dumtaxat fluxerint. Inde August. L. 4. contra Donat. c. 6. consuetudinem, inquit, illam Cyprianus *paucis ante se annis in Africa reperit*. *2do.* Si certa fuit pro Cypriani partibus Traditio & consuetudo, cur ratione potissimum contra Stephanum agendum censuit: *non est*, inquiebat Ep. 71. ad Quintum, *de consuetudine præscribendum*, *sed ratione vincendum*. *3tio.* Pro sententia opposita Traditionem facere docuit Stephanus, Augustinus, Hieronymus, Eusebius, Vincentius Lirinensis &c. an non autem his cedere debeat Firmiliani & Cypriani authoritas? *4to.* Si antiqua fuit rebaptizandi consuetudo, quomodo ea totum Occidentem latere potuit? cur illa turbati in Africa plurimi Præsules? cur de ea Cyprianus a Januario, Quinto, Pompejo & aliis Episcopis, ad quos hujus argumenti extant Epistolæ, tam solicite consultus? cur ad eam confirmandam necesse erat tot convocare Synodos? *5to.* Antiqua esse non potuit, cui oppositam ea ipsa ætate sequebatur tota per Occidentem Ecclesia: imo multi etiam in Africa & Oriente Episcopi, ut fatetur Cyprianus Ep. 71. ad Quintum, 72. ad Stephanum, & 73. ad Jubaj. Firmilianus vero Ep. ad Cyprianum inter Cyprianicas 75. jam alias sæpius citata. *6to* denique, quomodo doctrina de rebaptizandis Hæreticis a traditione Apostolica profluxisse censenda est, quam deinde in tot

Conciliis etiam Oecumenicis universa Orientis & Occidentis rejecerit Ecclesia?

161 II. Nec est, quod Adversarius ad affirmandam Traditionem provocet ad Canones Apostolicos. Horum omnino 45. ita statuit: *Episcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptisma vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus.* Et Can. 46. *Episcopus vel Presbyter, eum qui vere habet Baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur &c.* Idem habetur Can. sequenti 47. Nihil inquam hinc esse potest Adversario præsidii: universim enim Canones, qui sub nomine Apostolicorum circumferuntur, pro Commentitiis habendi sunt.

Et certe, si ab Apostolis fuissent conditi, 1*mo* referendi utique erant in numerum Librorum Canonicorum novi testamenti; id vero præterquam quod factum sit nunquam, in Concilio insuper Romano septuaginta Episcoporum sub Gelasio Papa pronunciatum est, esse apocryphos, quod ipsum relatum legimus in C. sancta Romana Eccl. dist. 15. 2*do* Eusebius & Hieronymus Apostolorum scripta accuratione summa recensent, de his autem Canonibus altum silent. Ignoti iidem fuerunt veteribus omnibus, a quorum nemine citantur, ne tum quidem, cum usui esse poterant ad componendas controversias. Ita S. Victor Papa in enata Sec. II. de celebrando Paschate controversia non provocavit ad Can. 7. vel ut alii volunt, 5. celebrari cum Judæis Pascha vetantem: quo tamen uno lis tota finem habitura erat. Quid quod 3*tio* nec Cyprianus, nec Firmilianus, neque coacta ab illis Concilia dictorum Canonum meminerint: tametsi ab his firmissimum eorum causæ præsidium accedere potuisset, præsertim cum Stephanus ex adverso Traditionem Apostolicam opponeret. Plura in hanc rem vide apud Dupinum Nov. Biblioth. Tom. 1. & Alexandrum Nat. in Hist. Sect. 1. Cabasutium in Notit. Concil. Tom. 1. c. 4.

Si

Si quæras: cui ætati & authori adſcribendi ſint memorati Canones? cenſeo id non ſatis exploratum haberi. Ab hæreticis cuſos volunt alii: alii ex antiquis particularibus Conciliis indiſcriminatim collectos putant. Mihi videtur veriſimile eſſe, cit. ſaltem tres Canones ortum ducere ab Iconienſi & Synnadenſi Conciliis, ineunte Sec. III. celebratis. Conſulendi & de hoc Dupin. & Alexander Nat.

De Objectis ex Conciliis ac Pontificum Statutis.

I. EX Conciliis opponi poteſt Nicænum I. cujus Can. 19. ita a quibusdam recitatur: *ſi quis confugit ad Eccleſiam de Pauliani ſtis & Cataphrygis, ſtatutum eſt, eos rebaptizari omnino debere;* cum tamen Cataphryges ſeu Montaniſtæ perinde ac Novatiani, quos eadem Synodus Can. 8. ſtatuit non eſſe rebaptizandos, Baptismum conferebant in nomine trium Divinarum Perſonarum, & quidem cum recta fide de SS. Trinitate, ut teſtatur Athanaſius Serm. 3. contra Arianos, ac ipſe etiam, tum jam Montaniſta, Tertullianus L. contra Praxeam c. 17. & 26. 162

Reſp. Canonem cit. cum adjecta voce *Cataphrygis*, non niſi apud Iſidorum Mercatorem legi: ab hoc ipſo proinde corruptum paſſim Eruditi cenſent. Certe græcus Canon, ejusdemque apud Dionyſium Exiguum verſio Paulianiſtarum tantum meminit, ut videre eſt in eodem Can. ſupra n. 155. a nobis relato. Ipſe Innocentius I. in Epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ de Hæreticis a Nicæna Synodo rebaptizari juſſis ſcribens, ſolos Paulianiſtas memorat. At

Inſtabis: indubitati ſunt Canones, Concilii quidem Laodiceni Can. 8. quo Montaniſtæ, ſeu *Cataphryges converſi ſub omni diligentia - - inſtrui & baptizari jubentur;* & Conſtantinopolitani I. Canon 7. idem circa Cataphryges non minus, ac Sabellianos decernens.

Resp. Montanistæ, qui Tertulliani, Athanasii & Nicænæ Synodi temporibus legitima forma Baptismum conferebant, ab hoc subinde, uti & a recta de Trinitatis Mysterio fide desciverunt, Sabellianorum errores secuti sub An. 360. circa quem Laodicena Synodus est habita; inde, una cum illis, cit. Canone rebaptizandi dicuntur. Eadem responsio est ad Constantinop. Concilii Can. 7. quanquam hic subreptitius esse putetur a multis, cum nec in Isidori Mercatoris, nec in Dionysii Exigui Collectione reperiatur.

Ex Concilio interim Laodiceno & alia suboritur dubitatio: nempe Canone 7. quem supra n. 155. recitavimus, non jubet rebaptizari Photinianos, cum tamen hi a Paulianistis non discreparent, quos Nicæna Synodus non voluit recipi, nisi Baptismo in iis iterato. Difficultati huic variis responsis occurrunt Theologi. Illud ex omnibus ut certum conficitur: Synodum Laodicenam aut non fuisse celebratam ante Nicænam; aut nomen Photinianorum in textum irrepsisse, cum præsertim (Binnio teste) in quibusdam editionibus non reperiatur; aut saltem a Photinianis eo tempore Baptismi formam integre fuisse observatam.

163 II. Universim in Pontificum Rescriptis, Constitutionibus, ac Conciliorum etiam Canonibus, quibus Baptisma, Ordinatio, aut quævis alia Sacramenta ab Hæreticis & Schismaticis ministrata pro nullis ac irritis declarantur, fere agitur de eorum tantum effectu; quod si de ipso etiam valore, indubium est, præscriptam ac legitimam formam rite observatam non fuisse.

Ita nominatim Leo I. Ep. 79. ad Nicætam Aquilejens. C. ult. ait, Hæreticos per Sacramenta non dare sanctificationem: nempe, dum ea ministrant pariter hæreticis; aut Catholicis quidem, sed ad recipiendam gratiam indispositis propterea, quod cum hæreticis communicent. Similiter, cum Innocentius I. Ep. 18. ad Alexandrum dicit, Arianorum Baptisma

ſma eſſe ratum, non autem Ordinationem: non loquitur de hujus ſubſtantia ac valore, ſed de uſu tantum ejus, exercitio, ac dignitate; *non videtur*, inquit, *Clericos eorum cum Sacerdotii aut miniſterii cujuspiam ſuſcipi debere dignitate &c.* Ejusdem ſententiæ Decreta aç Pontificum Reſcripta habentur complura non de iis tantum, qui ab Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis: ſed & univerſim illis, qui contra Eccleſiæ leges ordinantur. Dicitur nempe horum Ordinatio eſſe nulla, non modo quoad Sacramenti gratiam, quam ſic ordinati regulariter non conſequuntur: verum etiam quoad Ordinis honorem, jurisdictionem ac exercitium; hæc enim illis, fori etiam privilegio in pœnam excluſis, ab Eccleſia negantur.

Hoc certe ſenſu intelligendus eſt Urbanus II. cum conſultus de Ordinationibus ab Hæreticis factis, Ep. ad Lucium reſpondet eſſe nullas; ibidem enim addit: *cæterum Schismaticorum & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt - - formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur.* Nec obeſt (quod urget Morinus) Daibertum, quem Nezelon Epiſcopus Moguntinus Schismaticus in Diaconum ordinaverat, ab Urbano eſſe reordinatum: reordinatione enim illa ſignificatur ſolum reſtitutio Daiberti in uſum Diaconatus exercitii, a quo ſuſpenſus erat. Clarum iſtud eſt ex Urbani ad Petrum Piſtorienſem & Ruſticum Abbatem Epiſtola, quam refert Gratian. Decreti 2. par. Can. 1. q. 7. c. 24. in hac Pontifex, *Daibertum*, inquit, *ab hæreticis digreſſum, atque utilitatibus Eccleſiæ inſudantem ex integro Diaconum conſtituimus. Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantum integram Diaconii dationem; quoniam qui nihil habuit, nihil dare potuit*, nempe Nezelon Epiſcopatus uſu propter ſchisma deſtitutus.

Idem eſto judicium tam de Photii, Sedis Conſtantinopolitanæ invaſoris, Ordinatione: quam de iis, quas ipſe etiam ſubinde fecerat. Hæ omnino in Concil. Generali VIII. quod erat

Constantinopolitanum IV. Can. 4. declaratæ sunt irritæ; at non alio, quam ut prius in causa Daiberti dictum est, sensu. Verba Canonis sunt: *ut ambitionem - - convellamus, Photium - - nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse, justo decreto declaramus; nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, manere.* Verba *Sacerdotii gradu* satis indicant, de usu hic potestatis & dignitatis Ecclesiasticæ agi; præsertim cum pro causa irritæ ordinationis adferatur Photii ambitio, quæ universim, uti nec alia improbitas, irritam reddit quoad substantiam Sacramenti ministrationem. Facit in hanc rem & illud: 1*mo* quod in Photium & eos, qui ab illo consecrati fuerant, Nicolaus I. jam ante memoratam Synodum tulerit depositionis sententiam, ut legere est in ejus Epist. 7. ad Michaëlem Imper. nemo autem deponitur, nisi valide ordinatus. 2*do* quia rata quoad substantiam censenda est ordinatio, quæ legitima reddi potest per dispensationem; talem autem fuisse Photii ordinationem, docemur ex Nicolai I. Epist. ad Photium, qua ad petitionem ejus ita respondit: *vestræ consecrationi consentire modo non possumus, donec nostri, qui a nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestræ observationis actus, & Ecclesiasticæ utilitatis constantiam, & quo studio circa Catholicæ fidei defensionem vosmet exerceatis; & tunc, si dignum fuerit, ut tantæ sedis Præsulem honorabimus.* 3*tio* denique, quia Joannes VIII. ad preces Basilii Imper. consentientibus Alexandrina, Antiochena & Hierosolymitana Ecclesiis, Photium supplicem pacis publicæ gratia in suam sedem restituit; quin tamen eum, aut ab eo ordinatos de novo consecrari voluerit. Habentur hæc ex Joannis Papæ Epist. ad Basilium, ac etiam aliis, quæ referuntur in Collectione Labbæana occasione Concilii Constantinopol. IV.

Quodsi denique legitima Concilii aut Pontificis authoritate Sacramentum ab hæreticis confectum, quoad ipsum valo-

rem

rem & ſubſtantiam, aliquando pronunciatum eſt nullum, dubitari nequit, præſcriptam ac debitam formam non fuiſſe obſervatam. Id vero intelligendum etiam de illis hæreticis, qui eam leguntur alias obſervaſſe; conſtat enim & hos, pro verſatili ac inconſtanti hæreticorum ingenio, in ſacramentalis ritus miniſtratione variaſſe. Et iſtud quidem jam ſupra n. 160. notavimus de Montaniſtis & Photinianis; hodie autem etiam experimur in Arianis. Inde, licet horum Baptisma ratum habuerit Synodus Oecumenica Conſtantinopol. I. nunc attamen, ex uſu præſertim in regionibus noſtris recepto, ab Arianis baptizati, cum Catholica amplectuntur ſacra, rebaptizantur. Compertum nempe eſt nominatim in Tranſylvania, ſæpius eos formam Baptismi corrupiſſe, licet ad eam integre ac more Catholicorum proferendam Leopoldi I. & Caroli VI. Imperatorum Decretis compellantur.

De Objectis ex Patrum authoritate.

I. Inter Patres, quos Adverſarii objiciunt, diſcernendum eſt ante omnia, qua vixerint ætate; an videlicet ante, vel poſt Concilium Arelatenſe I. aut ſaltem Nicænum Generale I. in quo ex mente Auguſtini (ut veriſimilius videtur) controverſia præſens terminata eſt. 164

Et ante hæc quidem Concilia, præter S. Cyprianum & Firmilianum, multos tam Orientis quam Africæ Epiſcopos, inter quos plerique confeſſionis Chriſti & tolerati pro fide Martyrii gloria illuſtres numerantur, errorem rebaptizantium ſecutos fuiſſe, ambigi non poteſt. His accenſent quidam S. Dionyſium Alexandrinum, quem & putant in ipſa Carthaginenſi Synodo ſubſcripſiſſe Cypriani ſententiæ. Opinionem hi ſuam fundant in authoritate S. Hieronymi, qui lectis integre Dionyſii Epiſtolis, in Catalogo Scriptorum aperte fatetur, illum *in Cypriani & Africanarum Synodorum dogma conſenſiſſe.* Ex earundem con-

contra Epistolarum fragmentis alii Dionysium ab hoc errore vindicatum volunt; præsertim cum in Ep. 3. ad Philemonem scribat, quod Heracla suus Prædecessor censuerit ab Hæreticis venientes, *post multas preces purgatos*, ad communionem admittendos, *nequaquam existimans, iterato Baptismate eis opus esse*. Cujuscumque interim sententiæ Dionysius fuerit, ejus, uti & reliquorum Patrum, qui ante Synodum Nicænam floruerunt, authoritas officere non potest: ætate enim eorum nondum habebatur Ecclesiæ definitio, cui privatorum sensa cedere debent.

II. Ex Patribus, qui post Concil. Nicænum I. vixerunt, 165 opponuntur potissimum SS. Athanasius, Optatus Millevit. Basilius, & Cyrillus Hierosolymitanus. Neque tamen de his in præsenti certa omnia, ut volunt Adversarii. Quantum compendio dici potest, hoc de singulis esto judicium.

S. Athanasius Orat. 2. contra Arianos fidem omnino de SS. Trinitate (ut verisimilius putat Simonet) requirit in Ministro, quo Baptismus quoad ipsam substantiam valide conferatur. Etenim cit. Orat. ait, Baptismum Arianorum esse *inane simulacrum Baptismi veri*, ab hocque ita *alium*, *quemadmodum res creata alia est a Filio DEI*. Deinde ibid. addit: *non qui simpliciter ait Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit & fidem rectam habet &c.* Denique eod. loco, propter defectum fidei, perinde ait invalidum esse Baptisma Arianorum, & Manichæorum, Phrygum & Paulianistarum &c. tametsi nomina ipsa Trinitatis pronuncient; ex Nicæno autem novimus, Paulianistarum Baptismum quoad ipsam substantiam nullũ fuisse. Non desunt attamen, qui cum Vasquez & Bellarmino existiment, Athanasii sententia Arianorum ac aliorum hæreticorum Baptisma solum quoad effectum in adultis irritum fuisse: in valore autem tum defecisse dumtaxat, cum ii, quod in Arianis præsertim proclive erat, a præscripta forma recederent. Hæc interim, fateor, difficile est cum jam dictis conciliare.

S. Opta-

S. Optatum Millevitanum multi putant sententiæ nostræ adversari; idque propterea, quod L. 1. contra Parmenianum Donatistam pro rato habeat Schismaticorum Baptisma, non item hæreticorum. *Vides*, inquit, *hæreticos habere varia & falsa Baptismata - - - vobis vero schismaticis - - hæc negari non possunt, quia nobiscum vera & communia Sacramenta traxistis.* At si hæc conferantur cum iis, quæ L. 5. contra eundem Parm. disputat, verisimilius videtur, Optatum rejicere Baptisma eorum dumtaxat hæreticorum, qui verbis Evangelicis non baptizabant. *In quo*, ait L. laudato, *baptizarentur Gentes, a Salvatore mandatum est; per quem baptizarentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolis: vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* Concludit dein: *ergo nomen est, quod sanctificat, non opus.* Et cur supra L. 1. hæreticorum Baptismata dicit *varia*, nisi quia formæ variæ illa esse supponebat? cur Schismaticorum probat Baptisma, nisi quia *vera & communia Sacramenta*, hoc est veras & communes nobiscum formas ab Ecclesia didicerunt? Rejecit itaque Baptisma hæreticorum, quod existimaverit, non perinde ab iis ac a Schismaticis legitimam formam observari.

S. Basilium frustra contendunt quidam a Cypriani partibus sejungere; ea certe, quæ in Epist. Canonica 1. & 2. ad Amphilochium scribit, satis superque declarant, sententiam Cypriani amplexum fuisse. In his nempe, præsertim Ep. 2. Can. 47. aperte significat: Encratitas, Saccophoros & Apotactitas hæreticos, quamvis in nomine Divinarum personarum apud eos baptismus conferretur, a se quidem rebaptizari, ac rebaptizandos omnino esse: idque, ut ex contextu est colligere, non aliam ob causam, quam quod vera fide destituantur. *Encratitæ*, inquit cit. Can. *& Saccophori, & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de*

illis editus est Canon, etsi diversus - - nos autem una ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & a Romanis alicujus œconomiæ gratia, nostra tamen ratio vires obtineat: quandoquidem est veluti Marcionistarum germen eorum hæresis, nuptias abhorrentium, & vinum aversantium, & Dei creaturam inquinatam esse dicentium, eos in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim: in Patrem & Filium & Spiritum S. baptizati sumus, qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis & reliquarum hæresum.

S. Cyrilli Hierosolymitani, quantum ad præsens facit, locus præcipuus est, Præfatio ejusdem in Catecheses, ubi, *non licet*, inquit, *bis aut ter hoc lavacro uti, ut si forte semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas; si enim semel illo frustraberis, amplius id correctionem non patitur: unus enim Dominus &c. Nam soli hæretici rebaptizantur, si quidem prius illud non erat Baptisma.* Hic sane cum Hæreticorum Baptisma ait nullum, loquitur de substantia; Baptismum enim hunc opponit alteri, quo videlicet aliquis frustratus est, fructum ejus non percipiens, quique de sententia ejus repeti nequit. Præterea cum ibidem S. Pater indistincte de Hæreticis agat, videtur omnium omnino Hæreticorum Baptisma rejecisse, atque ita ejusdem cum Cypriano sententiæ fuisse. Multi attamen istud dici vix posse existimant propterea, quod Cyrillus interfuerit ac etiam subscripserit Concilio Constantinopolitano, quod Can. 7. nullum esse pronunciavit Baptisma hæreticorum dumtaxat eorum, qui formam a Christo institutam corrumpebant. Quanquam, ad excusandum Cyrillum, quid vetat dicere? uti Catecheses, sic & Præfationem in illas conscriptam esse ab eo ante memoratum Concilium; multo ante hoc certe exponendæ fidelibus doctrinæ Christianæ operam dedit, ut qui jam A. 350. ex Catechesium Magistro renunciatus est Episcopus Hierosolymitanus, Synodus autem Constantinopoli-

li-

litana An. 381. celebrata fuit, a qua quinto post Anno, nempe 386. obiit.

III. Mirum videri potest, SS. PP. Athanasium & Basilium, 166 ac forte etiam Cyrillum Hierosol. post Nicæni Concilii definitionem in sententia Cypriani perstitisse. Neque tamen continuo condemnandi sunt; verum existimandum, eos Synodi mentem ac genuinum sensum non satis fuisse assecutos. Cujus causam Fortunatus Venerius putat esse: quod Nicæno Canone res aperte definita non sit, cum de solis Paulianistis statuat, neque nisi ratiocinii ope & per illationem deduci possit, aliorum hæreticorum Baptisma a Synodo esse receptum. Quid quod Athanasii, Basilii ac Cyrilli ætate complures Nicæni Canones fuerint corrupti: quidam etiam penitus ignoti, hæreticis omni studio eos occultare laborantibus. Hæc eadem deservient ad excusandos alios Patres, si qui præterea sunt, qui post Arelatense & Nicænum, aut etiam Constantinopolitanum II. vel alia his posteriora Concilia rebaptizandos universim sine discrimine hæreticos censuerint. Neque autem horum (quicumque demum illi fuerint) authoritate infirmatur Traditio Ecclesiastica, cui potissimum Assertio nostra innititur; non enim privatorum, eorumque paucorum; sed Eccesiæ sententia dogma fidei constituit. Inde apposite Vincentius Lirin. in Common. C. 39. de præsenti controversia agens *hac lege*, inquit, *credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque consensu, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam sibi consentiente Magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverunt, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur; quidquid vero, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas a communis & publicæ generalis sententiæ authoritate secretum sit.*

§. IV.

An S. Cyprianus cum sibi adhærentibus in Sacramentorum Ministro fidem requirens, doctrinam banc ad fidem pertinere censuerit?

EX quæstione juris priore §. agitata, cujus partem Cyprianus facit præcipuam, enascitur facti quæstio: an in sua videlicet de fide Ministri cum Stephano I. controversia Cyprianus cum Firmiliano, & reliquis sibi adhærentibns existimaverit agi de fidei dogmate, an de Ecclesiæ dumtaxat disciplina? Est vero inter hæc discrimen. Fidei dogmatis id omne & solum accensetur, quod verbo Dei scripto vel tradito revelatum ab Ecclesia proponitur omnibus fide divina credendum; atque hoc variari omnino nequit, uti nec divina revelatio. Ad fidem pertinent, quæ neque aperte revelata, neque expressis verbis ab Ecclesia definita sunt; talia attamen esse per legitimam illationem deducuntur. Ad Ecclesiæ disciplinam referuntur illa, quæ ejus administrationem, cultus divini cerimonias, & Christianæ perfectionis praxim spectant; quæque idcirco, uti ab Ecclesia pro fidelium utilitate institui, sic & pro temporum varietate mutari possunt, ac re ipsa sæpius mutata sunt. Certe vel circa Sacramentorum ritus, & pœnitentiæ rigorem aliam veteris, aliam hodiernæ Ecclesiæ disciplinam esse novimus. Ad quam jam horum classem Cyprianus quæstionem suam retulerit, inter Eruditos acriter disceptatur. Mihi, ad causam penitius cognoscendam, necessaria videtur prævia quorundam de Stephano Papa, ac de ipsius controversiæ, ut nunc est, statu notitia. Itaque

167 I. Recepta est passim apud Eruditos opinio, Steph. I. censuisse, quæstionem de rebaptizandis hæreticis ad fidem pertinere, ac eam etiam saltem implicite definivisse. Arguitur istud vel

vel inde, quod in ſuo ad Cyprianum Decreto commemoret Traditionem, quæ ipſa ex fidei regulis eſt una. *Si quis*, inquiebat, *a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur; niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Eruitur idem ex Vincentio Lirin. qui in Commonit. Stephanum cum Collegis ſuis Cypriano reſtitiſſe referens, addit: *dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat.*

Advertendum vero iſthic: Stephanum hac definitione ſua non probaſſe alium hæreticorum Baptiſmum, quam qui conſueta forma, *in nomine Patris &c.* conſecratus fuerit. Etenim circa hæreticos non aliud fieri voluit, *niſi quod traditum eſt;* traditum autem jam tum erat, eum dumtaxat ratum eſſe Baptiſmum, qui *in nomine Patris &c.* & ritu in Eccleſia recepto confertur: inde Synodus Nicæna I. non alia de cauſa Paulianiſtas rebaptizari voluit, quam quod formam Baptiſmi corrumperent. Tota adhæc Cypriani & ejus ſectatorum controverſia fuit, de fide tantum Miniſtri, non autem de forma Baptiſmi; contra eos igitur Stephanus definiens, id ſanxit unum, fidem Miniſtri non obeſſe Baptiſmo. Vel ex his autem patet, audiendum non eſſe Launojum Doct. Sorbonicum, qui Tom. 8. Ep. ad Jacobum Bevilaquam contendit, Stephanum ſine diſcrimine probaſſe Baptiſmum hæreticorum etiam eorum, qui in conferendo illo a ſolita & præſcripta forma diſcederent: atque ita lapſum fuiſſe in extremum errorem alium.

II. Summa eſt Eruditorum in hoc conſenſio, Stephanum Cypriano & ejus adhærentibus comminatum fuiſſe anathematis fulmen; an vero illud etiam re ipſa expedierit? controvertitur. Affirmant Rigaltius, Tillemontius & pauci alii: negant cum Bellarmino Henricus Valeſius, Alexander Natalis, & pars Eruditorum potior. Mihi cum Bellarmino ſentiendum videtur. Nempe Euſebius, S. Hieronymus, & Vincentius 168

 Lirin.

Lirin. tametsi ex proposito scribant de hac controversia, fulminis tamen a Stephano evibrati non meminerunt; quin S. Augustinus pacem ac unitatem utrinque servatam testatur. *Quamvis*, inquit S. Doctor L. 5. de Bapt. c. 25. *commotius, sed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.* Et rursum L. 6. C. 1. *ista quæstio - - disputationibus salva charitate & unitate altercantibus discutiebatur.*

Non diffitemur interim, Firmilianum in sua ad Cyprianum Ep. invehi in Stephanum, quod *pacem rumperet*, quod se *a tot gregibus scinderet &c.* Ipse quin etiam Cyprianus in Ep. ad Pompejum, *unitatis oblitum - - unitatem non tenentem* ait Stephanum. At hæc paulo exaggeratius dicta, ut cum prioribus concilientur, non incongrue referes ad meram comminationem, quod Stephanus videlicet comminatus fuerit, *pacem se rupturum, unitatem non servaturum &c.* Ac re ipsa hic esse verborum illorum sensus videtur; nam & Cyprianus in cit. Ep. per ironiam de Stephano loquens, *dat*, inquit, *honorem Deo, qui sacerdotes Dei veritatem Christi & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat;* ubi non ait *abstinet*, sed *abstinendos putat*, quæ loquendi ratio non latam, sed intentatam dumtaxat excommunicationis sententiam indicat. Huc facit & Dionysii Alex. Epistola, qua, teste Euseb. L. 7. Hist. C. 5. ad Sixtum scribens de ejus prædecessore Stephano hæc commemorat: *antea literas scripserat de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique &c. sese ob eam causam ab illorum communione discessurum.* Similiter & August. L. de un. Bapt. c. 14. *Cum ergo*, inquit, *Stephanus - - hoc facientes - - excommunicandos censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani literæ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* En! uterque comminationis dumtaxat, non latæ sententiæ meminit. Videri de his possunt Bellarm. L. 1. de Concil. C. 10. & Alex. Nat. in Hist. Eccl. Seculi III. Diss. 12.

III.

III. Quæcunque demum Stephani fuerit mens & sententia de præsenti controversia ; jam nunc dubitari nequit, eam ex se non meræ disciplinæ, sed fidei omnino argumentum fuisse. Post tot nempe Conciliorum, ac præsertim apertam Tridentini definitionem certum hodie est omnibus, unum e fidei dogmatis esse : Baptismum ab hæreticis collatum valere, modo ab iis ritus Ecclesiæ & præscripta forma observetur. Reliquum igitur dumtaxat est, Cypriani, cum suis de hæreticorum Baptismo ante Conciliorum Decreta controvertentis mentem expendere. Ac de hac quidem plerique ita sentiunt, ut existiment, Cypriano, Firmiliano, & reliquis tam Africæ quam Orientis Præsulibus id temporis visum esse, de re, non ad fidem, verum ad disciplinam tantum pertinente eos inter & Stephanum agi. Neque omnino diffiteor, gravibus istud niti conjecturis ; in quæstione attamen hac adeo ancipiti plus momenti habere videtur opposita opinio ; inde fit 169

ASSERTIO.

Verisimilius est Cyprianum cum sibi adhærentibus existimasse, suam cum Stephano I. controversiam ad fidem pertinere.

ARgumentum in hanc rem non aliunde firmius ducitur, atque ex ipsis verbis, quibus sensa sua expromebant Cyprianus & Firmilianus : reliquorum enim eadem cum his erat opinio. Jam vero 170

I. In epistolis suis qua Cyprianus, qua Firmilianus sententiam, quam tuebantur, passim appellant *veritatem fidei*, *veritatis & fidei unanimitatem*, doctrinam *fidei congruentem*, *zelo fidei propugnandam &c.* Oppositam contra dicunt esse *errorem Evangelicæ authoritati & Apostolicæ traditioni contra-*

trarium : ejus autem defensores *fidei, veritatis & Ecclesiæ proditores, hæresum assertores, hæreticorum participes &c.*

II. Nominatim in Cypriani epistolis legas : *idem esse Baptisma hæreticorum probare, ac aliquem in Ecclesiam sine Baptismo admittere - - tam certum esse, quod debeant redeuntes ab hæresi baptizari, quam certum est oraculum Christi : nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. itemque hoc alterum : ite, docete omnes gentes &c.* Inde in Ep. ad Jubajan. ad consuetudinem, quam Stephanus opponebat, *quasi*, inquit, *consuetudo major sit veritate, aut non id sit sequendum, quod in melius fuerit a Spiritu S. revelatum - - post revelationem factam, qui in eo, quod erraverat perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat.* In Epistola autem ad Stephanum data, post argumenta in rem suam deprompta, *hæc*, inquit, *ad conscientiam tuam - - pertulimus, credentes etiam tibi pro Religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt.*

III. Firmiliani etiam peculiaris locus est in Ep. inter Cyprianicas. 75. qua respondens Cypriano, *Deo*, inquit, *gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei & veritatis unanimitatem &c.* Contra Stephanum deinde multis ac acerbe invectus, *hoc*, ait, *est servasse unitatem - - & alienum se per omnia fratribus facere, & contra Sacramentum & fidem contumacis furore discordiæ rebellare &c.*

Hæc, atque his non absimilia habentur in cit. Firmiliani Epistola : ac præsertim in iis, quas Cyprianus dedit ad Januarium, Quintum, Stephanum, Pompejum, Jubajanum & Magnum, hoc est, in Cypriani Epistola 70. 71. 72. 73. 74. & 76.

His jam vero attentis tam Firmiliani quam Cypriani verbis, quid ni ita arguere liceat ? Qui asserit quidpiam esse *veritatem fidei, esse tam certum, quam certum est oraculum Christi :*

sti : nisi renatus &c. esse *revelatum a Spiritu sancto*, pertinere *ad fidei veritatem & unanimitatem :* qui item ex adverso oppositam doctrinam ait esse *errorem Evangelicæ authoritati & Apostolicæ traditioni contrarium*, ejusque defensores esse *fidei proditores*, *hæresum assertores*, *contra fidem rebellantes :* hæc, inquam, qui asserit, existimat utique de ipsius fidei argumento, & non de mera Ecclesiæ disciplina sibi esse disceptationem; cum igitur ea ipsa sint Cypriani & Firmiliani asserta, multo verisimilius est, censuisse eos suam cum Stephano controversiam ad fidem, quam ad morum disciplinam pertinere. Ita certe Stephanum censuisse, recepta est passim apud Eruditos sententia; momenta autem, quæ istud de Stephano persuadent, haud graviora sunt illis, quæ jam pro Assertione attulimus. Confer modo dicta cum N. 167.

Respondetur ad Objecta.

171 OBjic. I. Firmilianus cum suis morem rebaptizandi Hæreticos comparabat cum celebratione Paschatis, quæ ad meram disciplinam pertinet; ita enim in Ep. ad Cyprianum, *scire*, inquit, quis potest, quod *circa celebrandos dies Paschæ - - videat* (Stephanus) *esse apud illos* (Romanos) *aliquas diversitates : nec observari*, *illic æqualiter omnia*, *quæ Hierosolymis observantur - - nec tamen propter hoc ab Ecclesia Catholicæ unitate aliquando discessum sit.* Cyprianus præterea, licet statuerit hæreticos ad Ecclesiam redeuntes esse rebaptizandos, si quis tamen sine Baptismo admitteretur, eum ad salutem pervenire posse existimabat Ep. ad Jubaj. 73. ubi, *quid ergo*, quærit, *fiet de his*, *qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt ?* ac dein respondet : *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare*, *& eos - - - ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Hinc vero inferendum videtur, existimasse eos, in præsenti controversia rem agi meræ disciplinæ.

Resp. Illationem non esse legitimam. Ac ad Firmiliani locum quidem quod attinet, confert is omnino causam *Rebaptismi* cum celebratione Paschæ : at non continuo dicendus est collatione hac causam utriusque æqualem facere. Id nempe exemplo Paschatis adducto significabat unum, non omnem diversitatem comminandi anathematis justam esse causam. Alioquin universim, ut aliqua invicem conferri possint, necesse non est, ea in omnibus consentire. Deinde : Cyprianus in Ep. ad Jubaj. controversiam suam comparat ac illustrat exemplis eorum, quæ non disciplinæ, sed fidei sunt; *Baptisma*, inquit, *vobis & hæreticis commune esse non potest, cum quibus - - nec fides, nec Ecclesia communis est, & ideo baptizari eos oportet &c.* Dicendum igitur, aut nos eodem, ac forte potiori jure pro opinione nostra posse argutari; aut certe ex collationibus his firmam illationem non fieri.

Sed nec argumentum ex benigno Cypriani sensu petitum nos urget. Ut enim is hæreticorum Baptisma pro rato non habuerit, novit attamen defectum ejus abunde suppleri posse per *Baptismum flaminis*, perfectæ videlicet charitatis & contritionis actus, qui ut eliciantur, prona est suis gratiis subvenire Dei misericordia, ad quam Cyprianus propterea cit. loco provocabat.

172 Instabis : in sua cum Stephano controversia eo fuit animo Cyprianus, ut cuique sentiendi, quod vellet, libertatem relinqueret : neque ullum, doctrinam a sua diversam secutum, Ecclesiæ communione privaret; non existimabat igitur de re ad fidem pertinente controverti. Ant. est indubitatum; nam in Ep. 72. ad Stephanum, *nos*, inquit, *vim cuiquam non facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus*; in Præfat. autem Concilii Carthagin. III. *Superest*, ad congregatos Præsules ajebat, *ut de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus : neminem*

nem judicantes, *aut a jure communionis aliquem*, *si diversum senserit*, *removentes.* Illatio probatur: in iis, quæ sunt fidei, non habet locum quidvis sentiendi libertas; neque illis, qui fidei adversantur, permittenda est communio, ergo &c.

Resp. C. ant. N. illat. Hujus probat. quoad primum dist. non est locus libertati in iis, quæ sunt fidei, postquam videlicet veritas ad fidem pertinens universalis Ecclesiæ judicio fuerit definita, ac etiam omnibus ad credendum sufficienter proposita, C. si ita definita ac proposita non sit, N. Illud nempe hic observandum: non id nos velle, quasi Cyprianus existimaverit, sententiam suam esse veritatem scripto vel tradito verbo ita revelatam, aut ab universali Ecclesia ita definitam, ut ea omnibus sufficienter proponatur ad credendum: non ignorabat enim de ea inter Orthodoxos disceptari; id contendimus igitur unum, censuisse illum, ex Scripturis & Traditione deduci, id, quod asserebat, fidei esse materiam, & non meræ disciplinæ. In iis autem, quæ non sunt aperte revelata, nec ab Ecclesia expressis verbis definita, ac sufficienter ad credendum proposita, relinqui potest, præsertim si graves intercedant causæ, sentiendi arbitrium. Inde Cyprianus rem cujusque committebat conscientiæ, de qua videlicet quisque rationem esset Domino redditurus: neque volebat bona fide diversum sentientes judicare, aut a jure communionis removere.

Eadem est ad alteram probationis partem Responsio; pro qua facit & exemplum Stephani, ac Sixti, seu Xisti ejus successoris. Uterque sane credidit ad fidem spectare de non iterando Baptismo sententiam; neuter tamen eos, qui contra sentiebant, communione privavit. Etenim Stephanus ultra minas non processit, ut supra N. 168. memoratum est; Sixtum vero cum Orientalibus pacem coluisse fidem facit Dionysii Alexandrini ad illum Epistola, cujus fragmentum refert Eusebius Cæsarien. L. 7. c. 5.

At, inquies, oppositæ sententiæ Patroni dicebantur *fidei proditores*, *hæresum assertores* &c. quomodo vero istud, si suam de rebaptizandis hæreticis doctrinam non existimarunt esse fidei veritatem jam plene definitam, ac ab omnibus fide divina credendam? His omnino nominibus diversum sentientes, præsertim Stephanum compellabat Firmilianus; at non prius, quam comminatione anathematis exulceraretur. In has proinde & similes voces, non quod ita senserit, sed quod impetu ac immoderatione animi tum quidem abriperetur, eum prorupisse vel inde conjicias: quod antea neminem, seu ex Romanis, seu ex suis, diversum sentientem hæresum assertorem aut hæreticum dixerit: quin nec deinceps se ab eorum communione sejunxerit. Ac tum etiam, cum ei hæc verba expressit indignatio, non constat, num *hæresum assertores* eo sensu dici voluerit, quod essent (ut scholæ ajunt) *formales* hæretici, hæresisq: *formalis* assertores. Quid si compellatione hac hæresim dumtaxat *materialem* designaverit? eam autem solum designasse, vel ex iis, quæ modo commemoravimus, multo verisimilius est.

173 Objic. II. Temerarius sit, qui Cyprianum cum suis in hæresim prolapsum asserat; istud vero fieri necesse erat, si quidem in præsenti de re fidei agi existimaverit: præsertim, cum post Ecclesiæ definitionem dubitari non possit, errorem ejus fidei adversatum fuisse; dicendum proinde, ad meram disciplinam, non vero ad fidem controversiam suam retulisse Cyprianum.

Resp. Cyprianum cum suis prolapsum omnino fuisse in hæresim (ut dicitur) *materialem*, hoc est, in errorem, qui ex se revera fidei adversabatur; at ab hæresi *formali* immunis fuit. Hujus nempe notam is dumtaxat incurrit, qui simul agnoscit adversum esse fidei errorem, simul eundem ita agnitum cum pertinacia tuetur. Quam vero ab his alienus Cypriani animus! tuebatur is quidem sententiam, quæ in fide erronea fuit; at talem esse nondum constabat ex definitione Eccle-

siæ.

ſiæ. Imo fide bona exiſtimabat ſe id ſequi, quod eſſet fidei, doctrinam ſuam (falſo licet) perſuaſus in revelatione, traditione, ac momentis graviſſimis eſſe fundatam; paratus interim cognita in oppoſitum veritate, mutare ſententiam, & Eccleſiæ definitioni, ſi quæ daretur, acquieſcere. *Satis oſtendit* (inquit Auguſt. L. 2. de Bapt. Cap. 4.) *facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam, ſi quis ei demonſtraret, Baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab iis, qui foras exierunt., quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati; cui & ipſe* (Cyprianus) *ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur &c.*

174 Inſtabis I. Stephanus Papa in ſuo ad Cyprianum reſcripto controverſiam eam definivit, *ſi quis*, inquiebat, *a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam;* fruſtra igitur aſſeritur, ætate Cypriani nihildum fuiſſe ab Eccleſia definitum.

Reſp. Diſt. ant. Stephanus definivit implicite, ac ita, ut per legitimam illationem deducatur, declaraſſe eum ſententiam ſuam eſſe fidei dogma. Conc. definivit explicite, & definitione ea, qua clare & diſtincte proponeretur eam ſententiam eſſe dogma fidei. N. ant. & illationem. Certum equidem eſt, Stephanum præcepiſſe, ne rebaptizarentur hæretici; at hodierni etiam quidam Theologi in verbis Stephani implicitam dumtaxat definitionem agnoſcunt. Quæcumque interim hæc ex parte Stephani fuerit definitio, Cyprianus certe non exiſtimabat eſſe eam, quæ ſufficiat ad declarandum fidei articulum: idque propterea, quod putaverit, eum non fuiſſe (ut dicitur) *ex cathedra*, ac *definitive* locutum. Ac ſane ipſe Auguſtinus Reſcripto illo Stephani non judicabat eam fuiſſe latam ſententiam, qua haberetur abſoluta Eccleſiæ definitio,

ac nullus jam controversiæ locus relinqueretur ; inde repetitis vicibus commemorat, non prius, quam in Concilio dein de plenario causam hanc fuisse *diligenter pertractatam*, *eliquatam*, *& declaratam*. Ita L. 2. de Bapt. c. 7. aperte ait : *nondum erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata ; sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia &c.* Et ibidem jam supra C. 4. dixerat, sine dubio Cyprianum Ecclesiæ cessurum fuisse, *si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur. - - Quomodo enim potuit ista res, tantis altercationum nebulis involuta* (en ! obscura fuit, non igitur clare definita) *ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret ?* Eodem denique L. Cap. 9. de quæstionis hujus loquens veritate, *non solum*, inquit, *inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii authoritatem, roburque producta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus.*

Si quis porro quærat : quodnam illud fuerit plenarium Concilium, toties ab Augustino commemoratum ? Resp. disceptari de hoc etiamnum inter Eruditos. Launojus cum quibusdam putat esse Arelatense I. Joannes Nicolaus contra cum plurimis pro Nicæno I. acriter depugnat. Id certum est, ab utroque de non rebaptizandis hæreticis latum esse Decretum, ut jam supra N. 155. memoravimus. Nicænum I. attamen ab Augustino intellectum, verisimilius est ; hoc enim ex recepta passim sententia (non perinde etiam Arelatense) pro plenario seu œcumenico habetur : celebratum idem est An. 325. post Cypriani proinde martyrium, quod An. 258. subiit : & antequam nasceretur Augustinus, qui ante An. 355. lucem non aspexit. Utri interim eorum ex mente Augustini hæc gratia revera sit habenda ? nihil, aut parum nostra refert.

In-

Inſtabis II. At videtur Stephanus Decreto ſuo controverſiam explicite definiviſſe ; neque enim præcepit tantum abolendum eſſe hæreticos rebaptizandi abuſum , ſed & contra facientibus fulmen anathematis intentavit ; urget igitur adhuc poſita objectio. 175

Reſp. Definitionem abſolutam ac explicitam , quæ videlicet ad fidei dogma aſſerendum ſufficiat , non recte inferri ex comminatione , imo nec ex ipſa anathematis jam lati ſententia. Conſtat nimirum , nonnunquam communione fidelium privari etiam eos , qui in mera diſciplina Eccleſiæ adverſantur , aut ejus pacem turbant, vel in gravia quædam delicta prolabuntur. Numquid a Concilio Nicæno I. Quartodecimani propterea damnati ſunt , quod 14. Luna, in quamcunque incidiſſet diem , cum Judæis Paſcha celebrarent ? An non in percuſſores Clericorum , raptores mulierum, duello concurrentes &c. latam novimus excommunicationis ſententiam ? Nihil proinde mirum videri debet, ſi eadem intentetur , aut feratur etiam in eos , qui in re ad fidem pertinente , tametſi nondum explicite definita , Eccleſiæ reſiſtunt. Inde nonnullorum eſt opinio , Stephanum in præſenti cauſa nihil omnino, quod ad fidem pertineat , definire voluiſſe : verum hoc unum Decreto ſuo ac comminatione præcaviſſe , ne in praxi de hæreticis admittendis quidquam innovaretur ; ut adeo ratum eſſe hæreticorum Baptiſma ex recepta tum ſententia ſuppoſuiſſe potius , quam definiiſſe videatur. Neque omnino alienus fuit ab hac opinione Auguſtinus : ut enim non ignoraverit Stephani Decretum ac comminationes, exiſtimabat attamen, controverſiam præſentem ante Concilium plenarium , quodque hinc conſequitur, ne ab ipſo Stephano quidem definitam. Recolenda hic , quæ in rem iſtam paulo ante N. 174. ex Auguſtino retulimus. Denique, qualiſcunque illa Stephani definitio in ſe fuerit , abſolutam certe, explicitam , & ad ſtatuendum fidei dogma ſufficientem fuiſſe non exiſtimabat Cypria-

pria-

prianus, ut qui, teste iterum Augustino, si quam talem novisset, indubie cessurus erat, & errorem correcturus. Vide N. 173.

176 Instabis III. Palam est, Cyprianum errasse, cum Stephani Decreto resisteret: igitur hoc explicita & absoluta continebatur definitio.

Resp. Tametsi definitio illa quoad dogma fidei explicita non fuerit, in errorem tamen, qualis nempe cujusvis praecepti transgressione incurritur, cum sibi adhaerentibus prolapsus est Cyprianus; par etenim erat summo Ecclesiae Capiti, in re quantumvis controversa & obscura, praecipienti acquiescere. Hic ipse interim error, *materialis* tantum, an etiam *formalis* fuerit? nostrum judicare non est; remittendum id omne ad tribunal ejus, qui scrutatur corda & renes. Quantum attamen Cypriani animum licet assequi, excusandus videtur per bonam fidem, qua (falso licet) existimabat, pro revelatione, traditione, ac veritate fidei se pugnare. Inde fortasse (quod multi putant) factum, ut in falsa, quoad vixit, opinione persisteret: certe palinodiam eum cecinisse nulla Antiquorum monumenta memorant. Augustinus quidem id a Cypriano praestitum conjectat, nihil attamen constare certi & ipse fatetur Ep. 93. aliis 48. C. 10. *correxisse*, inquit, *istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit &c.* Inde singularis est Baronii opinio, qua ad Annum Christi 258, N. 51. & ad An. 259. N. 1. non Cyprianum tantum, sed & Firmilianum contendit errorem ante obitum posuisse.

Utut interim ista se habeant: Firmilianus certe tanta sanctitatis fama in Oriente vixit, ut a Patribus Concilii Antiocheni II. *Beatae recordationis vir* appellaretur, Fastis etiam Orientalis Ecclesiae Sanctorum subinde adscriptus; Cyprianus autem, si quid labis contraxerat, & Apostolica vivendi ratione, & sanguine pro Christo fuso abunde eluit, ac, ut Augu-

stin.

ſtin. L. 1. contra Donat. c. 18. ait, *charitatis ubertate compenſavit, & paſſionis falce purgavit*, non modo Sanctorum honorem per univerſam Eccleſiam conſecutus: verum meritus etiam, ut nomen ejus, Sacro Canoni inſertum, inter Miſſarum ſolemnia recitaretur.

§. V.

An probitas Miniſtri neceſſaria ſit ad perficiendum valide Sacramentum?

MOnente Iſaia c. 52. *mundamini, qui fertis vaſa Domini*, indubium eſt, ſancta eſſe ſancte tractanda. Nemo inde controvertit, Sacramentorum Miniſtros, quo legitime ac licite ſuo fungantur munere, probos & labis expertes eſſe oportere. Id igitur ſolum in quæſtione eſt: an improbitas Miniſtri impediat valorem Sacramenti ita, ut nullum illud ac penitus irritum reddatur? Ante Aſſertionem exponendus eſt quorundam in præſenti error, qui occaſionem dedit controverſiæ.

Error Hæreticorum circa improbitatem Miniſtri.

177 NOvatiani, qui & Catharos ſeu mundos ſe dicebant, Cypriani ætate, circa An. 255. videlicet, ejus errori conſimilem alium ſpargebant. Is in eo erat, quod negarent Baptiſmum valide perfici ab ullo alio, quam a Catharo, ſeu mundo; quales in ſua dumtaxat ſecta reperiri jactabant. Eundem errorem propugnarunt Seculo IV. Donatiſtæ. Ut enim ſceleri ſuo aliquam pietatis larvam inducerent, Cæciliani in Carthaginenſem Epiſcopum conſecrationem propterea ſe rejicere cauſabantur, quod ea peracta ſit a Felice Aptungitano, quem criminabantur fuiſſe ſub Diocletiani perſecutione ſacrorum Librorum traditorem. Inde, primum quidem generatim docebant,

a nemine improbo Ministro valide perfici posse Sacramentum; tum potestatem hanc publicis dumtaxat, non item etiam occultis peccatoribus ademptam voluerunt. Testis utriusque locuples est Augustin. L. 2. contra Crescon. c. 28. & L. 2. contra Epist. Parmen. c. 13.

Compressis subinde Donatistis, rursum Sec. XII. idem error (ut memorat S. Bernardus Serm. 66. in Cantica) in lucem protractus est ab Hæreticis, qui Apostolici dici voluerunt; hos secuti sunt Albigenses, Bagnolenses, Concordenses, & Waldenses, seu Pauperes de Lugduno. Postremis his, teste S. Antonino P. 4. Tit. 11. C. 7. §. 2. id præterea peculiare fuit, quod Sacramentorum ministrationem, malis Sacerdotibus ereptam, laicis probis attribuerent. Seculo demum XIV. Wicleffitæ & Hussitæ, ac XVI. Anabaptistæ eandem crambem recoxerunt. Omnibus his opposita est Ecclesiæ doctrina, ut jam videbimus.

ASSERTIO.

Improbitas Ministri non officit valori Sacramenti.

178 PRobatur I. Patrum authoritate. Gregorius Nazian. Orat. 40. in Baptisma, Ministros, quorum unus probus, alter improbus est, annulo aureo & ferreo signum idem ceræ imprimentibus comparans, addit: *quamvis enim alius alii probitate vitæ antecellat, eadem tamen Baptismi vis est.* Chrysostomus Hom. 8. in Ep. 1. ad Cor. *nunc autem*, inquit, *per indignos consuevit Deus operari, nihil propter Sacerdotis vitam Baptismatis gratia læditur - - nihil enim homo his, quæ sibi proponuntur, ex se addit; sed id omne divinæ virtutis opus est.* S. Augustinus Tract. 5. in Joan. *Spiritualis virtus Sacramenti ita est, ut lux & ab illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur. Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit; sic quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, si Baptisma Christi erat, Christus baptizavit.* Pluribus hæc

hæc eadem ibidem persequitur : uti & L. 3. contra Donat. C. 10. Accedat denique & Nicolaus I. qui super hac ipsa controversia a Bulgaris consultus in Respons. C. 71. ait: *non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, Sacramenta divina polluere - - - mali bona ministrando se tantummodo lædunt &c.*

Probatur II. Conciliorum Decretis. Constantiense damnavit hanc Wicleffi prop. n. 4. positam, *si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Florentinum in Decreto Eugenii ad perficiendum Sacramentum non amplius requirit, quam res tanquam materiam, verba tanquam formam, & personam Ministri conferentis Sacramentum *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia;* ubi vides in Ministro requiri intentionem : non autem probitatem. Clarissima demum est Tridentini definitio, Sess. 7. Can. 12. ita statuentis: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum, anathema sit.* 179

Probatur III. ratione Theologica prorsus eadem, qua Assertionem §. IV. tuiti sumus n. 156. Nempe, Sacramenta vim omnem mutuantur a Christo, non a Ministro: a quocunque enim, seu probo, seu improbo conferatur e. g. Baptismus, semper nomine ac potestate Christi confertur ita, ut Minister sit instrumentum dumtaxat, Christus vero virtute & authoritate propria baptizet juxta illud Joan. 1. *hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ipsa deinde Sacramentorum gratia, non ex Ministri probitate & meritis, sed virtute ac meritis Christi confertur; cur igitur Ministri demerita & improbitas impediant, quo minus gratiæ effectum Sacramenta operentur? 180

Argumenta, quibus Augustinus nominatim contra Donatistas pugnavit, videri possunt in ejus LL. contra Donat. de Unit. Ecclesiæ, contra Litt. Petiliani, contra Cresconium, contra Epist. Parmen. &c. Fere autem cit. LL. evincere conten-

dit: in Donatiſtarum ſententia admitti oportere non unum, ſed varia Baptismata, pro ratione videlicet probitatis Miniſtrorum; neminem poſſe moraliter ſecurum reddi de valore Baptismi ſuſcepti, cum ne ipſe quidem Miniſter noſſe queat, num odio an amore dignus ſit; imo certum fore unumquemque, Baptisma ſibi miniſtratum omnino eſſe nullum ac irritum, quando hominum nemo eſt ab omni noxa immunis juxta illud 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus &c.* Hoc poſtremum peculiariter urget S. Doctor contra Creſcon. L. 2. C. 28. ubi, poſt alia in hanc rem diſputata, infert: *ut omnino non invenias hominem, a quo baptizeris, ſi omnem peccatorem devitare volueris.* Interjectis deinde quibusdam, *ſi ergo*, inquit, *jam baptizatus es, vellem ſcire, quem repereris, qui contra Joannem Ap. diceret: peccatum non habeo; ſi enim talem reperiſti, quomodo baptizatus es ab eo, qui ſe ipſum decipiebat &c. Si autem, humilitatis non immemor, peccatorem ſe eſſe dicebat: quomodo ſibi - - jus Baptismatis uſurpabat? tu enim dixiſti: ut peccator jus ſibi Baptismatis non uſurpet. Si autem nondum baptizatus es, aut hanc vaniſſimam ſententiam corrige; aut, a quibus baptizeris, Angelos quære.*

Satisfit Objectionibus.

Solemne id Donatiſtis erat, ut ſuam cum Cypriani cauſa eandem facere niterentur; ut adeo tam argumentis, quam exemplo ejus nunquam non pugnarent. Ac ad exemplum quidem quod attinet, minime hoc illis præſidio eſſe poteſt. Etenim, præterquam quod ejus errori adjecerint alium, non eadem etiam fuit Cypriano errandi cauſa quæ Donatiſtis: nec par errorem tuendi ratio, ut indicavimus ſupra n. 153. Inde Auguſtinus, cum alibi, tum ſpeciatim L. 2. contra Creſcon. C. 31. telum hoc retundens, *quid quod*, inquiebat, *etiam B. Cy-*

Cypriani mentionem facere audetis, velut ille auctor sit vestræ divisionis, tantus defensor Catholicæ unitatis & pacis? Primo esto in Ecclesia, quam constat tenuisse ac prædicasse Cyprianum: & tunc aude velut auctorem sententiæ tuæ nominare Cyprianum. Primo imitare pietatem & humilitatem Cypriani: & tunc profer Concilium Cypriani &c. Argumentis, quæ sibi Donatistæ cum Cypriano volebant esse communia, jam supra §. III. a n. 152. responsum est. His nunc speciatim addenda erunt duo; alterum ab authoritate Scripturæ & Patrum: alterum ex factis quibusdam Historicis & Pontificum Decretis.

181 Objectio I. Dei sunt Jer. 3. v. 13. verba: *dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos &c.* igitur Pastores, quales indubie sunt Sacramentorum Ministri, esse oportet secundum cor Dei; quis autem tales dixerit improbos & peccatores?

Resp. dist. illationem: esse eos oportet secundum cor Dei spectata convenientia, quo ministerium videlicet decenter exerceant Conc. spectata etiam necessitate Sacramenti, quasi hujus valor secus sit nullus, Nego. Atque istud plane ad mentem D. Thomæ, qui 3. p. qu. 64. Ar. 5. ad 3. *dicendum*, ait, *aliquid debitum esse in Sacramento dupliciter: uno modo sicut existens de necessitate Sacramenti, quod si desit, non perficitur; sicut si desit debita forma &c. Alio modo secundum aliquam decentiam; & hoc modo est debitum, ut Ministri Sacramentorum sint boni.* Quid quod, cum per Pastores pascimur, ipse Deus nos pascat, uti istud crebro repetit apud Ezech. C. 34. ℣. 13. & seqq. Inde Augustinus L. 3. C. 8. hunc Ezech. locum Cresconio objiciens, infert: *proinde & per Pastores bonos, & per Pastores malos cum verbum suum, Sacramentumque dispensat, ipse* (DEUS) *pascit, quia de se ipso ait: ut sit unus grex & unus Pastor.*

182 Instabis I. Apud Eccl. c. 34. generatim dicitur: *ab immundo quis mundabitur:* & Ps. 140. *Oleum peccatoris non impinguet Caput tuum;* ergo cit. ex Jerem. verba eo sensu acci-

 pien-

pienda videntur, quod Pastores *secundum cor Dei* esse oporteat spectata etiam Sacramenti necessitate & valore.

Resp. I. a laudatis scripturæ textibus facile te expedies, si dicas: non conferri ab immundo mundationem, nec Spiritus unctionem a peccatore, cum hi suo nomine ac virtute propria agunt; secus, si virtute ac nomine Christi operentur: nec tam suum, quam Christi opus peragant. Attamen

Resp. II. neutrum ex cit. locis ad rem præsentem facere. In primo etenim agitur solum de vanitate somniorum & auguriorum, quorum author est Dæmon; ac de hoc ipso deinde subdit Eccl. *ab immundo*, inquit, *quis mundabitur*, & *a mendace quid verum dicetur?* Psaltes autem Regius, ut exponit Augustinus, id voluit unum: melius esse a justo misericorditer objurgari, quam blanda peccatoris adulatione deliniri. *Corripiet me justus* (ita versus est integer) *in misericordia*, & *increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* At

183 Instabis II. Patres in Scripturam commentantes docent, ad ipsam Sacramenti perfectionem requiri in Ministris probitatem; nequeunt igitur ex mente PP. cit. textus eo sensu accipi, quo a nobis exponuntur. Pro Ant. probatione primum laudatur Ambrosius, qui L. de Myst. C. 14. ait, *in aliquibus aquam esse mendacem: ac Baptismum perfidorum non mundare, sed polluere.* Deinde Hieronymus in C. 3. Sophon. erroneum esse dicit putare, Eucharistiam fieri posse verbis Sacerdotis, non vita; solemni oratione, non meritis; & in C. 4. Ep. ad Ephes. negat hæreticos habere verum Baptisma. Demum ipse Augustinus L. 3. contra Donat. C. 18. item L. 5. C. 22. ac denique L. 6. C. 4. sæpius repetit, malos *non dare remissam peccatorum;* eosdem *Baptismum perniciose tradere &c.*

Resp. N. ant. De Ambrosii sententia illud notasse sufficiat; loqui eum illic non de Ministro, sed de suscipiente Baptismum; toto enim illo L. agit de iis, qui initiantur Mysteriis. Extra

omnem

omnem autem dubitationem eſt, adultum perfidum, ſeu fide deſtitutum, Baptiſmo non mundari: pollui imo potius propter perfidiam & ſacrilegium.

Hieronymi etiam authoritas fruſtra opponitur, cum S. Doctor in Dial. contra Luciferianos, Hilarium & Donatiſtas impugnans, multis evincere contendat, valori Sacramentorum non obeſſe Miniſtri improbitatem. Inde in C. 3. Sophon. commentans, Euchariſtiam in ſenſu literali pro ipſa gratiarum actione ſumit, hancque ex parte Sacerdotis ait non fieri per ſola conſecrationis verba; ſi enim improbus ſit, impietate ſua inſultat potius Deo, quam gratias agit. Ex mente præterea D. Thomæ 3. p. qu. 82. Ar. 5. ad 1. *per illa verba* (Hieronymus) *improbat quorundam errorem, qui credebant ſe digne poſſe conſecrare ex hoc ſolo, quod ſunt ſacerdotes, etiamſi ſint peccatores.*

Auguſtinum objici prorſus mirum eſt, ut quem conſtat pluribus Libris ſupra jam N. 180. memoratis acriter ſimul ac copioſe adverſus Donatiſtarum errorem depugnaſſe. Si quando proinde doctrina contraria in verbis ejus aperte continetur, non eſt exiſtimandum, ex ſenſu ſuo illic S. Doctorem loqui; verum ut ex contextu colligitur, arguere tantum contra Donatiſtas ab hæreticis & peccatoribus publicis ad peccatores occultos, a quibus ajebant perfici Sacramentum, non item a prioribus. Exemplum hujus eſt in ejus L. 4. contra Donat. C. 4. ubi, *ſicut*, inquit, *urgeri videor, cum mihi dicitur; ergo hæreticus dimittit peccata? ſic & ego urgeo: ergo qui cœleſtia mandata non ſervat, avarus, raptor - - peccata dimittit?* Poſtremum iſtud non eſſe Auguſtini ſententiam, ſed argumentum dumtaxat, ex ſequentibus verbis clarum eſt; continuo enim, quid ſentiat, ſubjicit: *ſi per vim Sacramenti Dei, ſicut ille, ita ille; ſi per meritum ſuum, nec ille, nec ille.*

No-

Nominatim autem isthic objecta ex cit. LL. tribus verba hoc dumtaxat accipienda sunt sensu: a malo Ministro *Baptismum perniciose tradi*, & *gratiam* ac *peccati remissam non dari* iis, qui ejus malitiæ sunt participes, universimque improbis. Neque omnino de hoc dubitari potest, si quæ S. Doctor in cit. LL. per decursum differit, attendantur. Ita cit. C. 18. L. 3. clare habet: *foris quidem nec ligari aliquid potest nec solvi, ubi non sit, qui aut ligare possit aut solvere; sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem: at ligatur, qui cum columba non habet pacem.* Similiter L. 5. C. 22. *consentimus*, inquit, *Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse: Baptisma autem dare posse, quod quidem illis & dantibus & accipientibus valeat ad perniciem, tanquam tanto munere Dei male utentibus.* Denique & Lib. 6. Cap. 4. ait: *cur non possit etiam malus tradere Baptismum, qui potest habere; & sicut perniciose habet, ita etiam perniciose tradere? non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, sed quia tali tradit;* ubi simul ex adverso statim adjicit: *nam cum malus tradit bono -- inter bonum Sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat.*

184 Objectio II. Jam inde a Seculo VIII. Ordinationes, non ab Hæreticis tantum & Schismaticis, verum a Simoniacis etiam, vel propter gravia crimina suspensis, degradatis aut excommunicatis factæ, pro nullis ac irritis sunt habitæ; nequit igitur ab improbo Ministro Sacramentum Ordinis valide perfici: ab hoc autem ad Sacramenta reliqua est illatio. Ant. probatur ex factis quibusdam Historicis & Pontificum Decretis. Ita

I. Stephanus IV. in Concilio Rom. An. 769. declaravit esse nullas, atque adeo iterandas ordinationes omnes, quas fecit Constantinus post obitum Pauli I. Sedis Romanæ invasor: solio proptèrea Pontificio non multo post depulsus, ac damnatus, ut refert in Actis hujus Concilii Athanasius Biblioth. 1

I.

II. Hincmarus Rhemensis Archi-Ep. rejecit ordinatos ab Ebbone Decessore suo: causatus eum fuisse depositum, neque unquam canonice restitutum. Sententia fuit eadem Concilii Suession. II. sub Leone IV. An. 853. celebrati, quod Art. 5. *decretum est*, ait, *a Synodo, ut quidquid in Ordinationibus Ebbo post damnationem suam egerat, - - irritum & vacuum habeatur.*

III. Leo IX. An. 1049. ad Pontificatum assumptus, quo malo simoniæ, ætate sua nimium invalescenti, mederetur, teste Petro Damiano, simoniacorum ordinationes irritas habuit, easque propterea iteravit. *Id etiam nos* (verba sunt Petri Damiani Opusculo 5. sub medium) *non præteriit, quod nostræ memoriæ Leo IX. Papa plerosque simoniacos & male promotos, tanquam noviter ordinavit.* Et Op. 6. C. 35. eundem Leonem ait *synodalis vigore authoritatis omnes simoniacorum Ordinationes cassasse.*

Resp. dist. ant. memoratæ Ordinationes pro nullis sunt habitæ quoad usum, exercitium, & dignitatem Ordinis C. etiam quoad ipsam Ordinationis substantiam & valorem N. idque de eo saltem loquendo, quod communiter factum novimus; fuisse enim quosdam, qui Sacramentum Ordinis a simoniaco collatum penitus omnino, etiam quoad substantiam, irritum existimarent, infra n. 186. notabimus. Atque hinc, cum a simoniacis vel suspensis ordinati leguntur aliquando *denuo ordinati*, seu reordinati, non est existimandum continuo, verum Ordinationis Sacramentum fuisse iteratum; hoc enim nomine sæpe intelligitur reconciliationis dumtaxat cerimonia: quæ quia speciem ordinationis quandam habuit, dicta est a quibusdam *Ordinatio*. Argumentum in hanc rem est ex Concilio Toletano IV. An. 633. in quo Can. 28. statutum legimus: *Episcopus aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altari de manu Episcopi, ora-*

rium, *annulum*, & *baculum* ; *si Presbyter*, *orarium* & *planetam* ; *si Diaconus*, *orarium* & *albam* ; *si Subdiaconus*, *patenam* & *calicem* : *sic* & *reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant*, *quæ cum ordinarentur*, *perceperunt*. En ! meram reconciliationis cerimoniam : quanta illi attamen cum vera ordinatione affinitas ; ut adeo mirum non sit, Ordinationis nomine quandoque compellatam. Hoc eodem certe nomine Hieronymus dixit S. Jacobum ab Apostolis *ordinatum* fuisse Episcopum Hierosolymitanum, hoc est, solemni cerimonia Ecclesiæ Hierosolymitanæ addictum ; jam enim ante ab ipso Christo cum cæteris Apostolis in Episcopum fuit ordinatus. At hæc generatim tantum ad Objectionem ; statuenda nunc est speciatim opinio de factis Historicis, quibus probatio ulterior conficitur. Itaque

Resp. ad I. Stephanus cum suo Concilio non judicavit ordinationes a Constantino factas esse quoad substantiam irritas, atque adeo vere iterandas : sed quoad honorem dumtaxat gradus Ecclesiastici, & suscepti ministerii usum. Ratio istud asserendi est : nam (teste Anastasio) Chrysma, seu Confirmationis Sacramentum a Constantino collatum Stephanus ratum habuit, nec censuit iterandum ; ad hoc vero non minus, quam ad Ordinis Sacramentum valide ministrandum requiritur character & potestas Episcopalis. Propterea autem non Confirmatio, sed Ordinationes tantum Constantini sunt rejectæ : quod per has fiat destinatio ad certas functiones sacras, quas per Canonum statuta obire nequeunt illegitime ac illicite ordinati, dum ex more Ecclesiæ suis gradibus solemni reconciliationis & benedictionis cerimonia, quæ tum Consecrationis ac Ordinationis speciem habebat quamdam, restituantur. Idem in præsenti sentit Baronius ; hinc ad An. 769. Acta Synodi Romanæ ex Anastasii Bibl. verbis expendens, *quod*, inquit, *ad Episcopos spectat*, *ne eos existimes iterum consecratos* : *sed accepisse dumtaxat more Majorum benedictionis mysterium*,

quod

quod Author (Anastasius) *nominat benedictionis Sacramentum, ritus illos solemnes adhiberi solitos in reconciliatione Schismatici vel Hæretici.*

Resp. ad II. Tam Hincmari, quam Svessionensis Concilii de ordinatis ab Ebbone sententia exercitium dumtaxat, non autem ipsam collati ordinis substantiam spectabat. Colligitur id tam ex verbis Nicolai I. mox recitandis: quam ex Concilii Svession. II. Act. 1. qua Clerici ab Ebbone ordinati Hincmaro fiebant supplices, *misericordiam*, inquiebant, *petimus nobis impendi de ministratione Ordinum Ecclesiasticorum, ad quos a Domino Ebbone quondam provecti, a vestra autem authoritate suspensi sumus.* Cæterum, quæcunque demum Hincmari & Concilii memorati sententia fuerit, approbata ea non est a Leone IV. neque ab hujus Successore Benedicto: quin etiam deinde rescissa penitus a Nicolao I. qui causa tota per Concilium Svessionense III. An. 866. discussa, Clericos ab Ebbone ordinatos suis gradibus ac Ministerio restituendos esse pronunciavit. Scripsit super ea re ad ipsum etiam Hincmarum, *Clerici*, inquit, *qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur - - ante omnia pristinis gradibus & officiis reformati consistant.* Vide Acta Concilii Svessionensis II. & III. apud Labbe Tom. 8. Concil.

Resp. ad III. Mentem Leonis IX. multis videri omnino dubiam: verisimilius attamen est, eum non aliud sensisse ac re ipsa fecisse, quam quod jam de Stephano IV. & Leone IV. dictum est. Adducor ad id opinandum ipsius Petri Damiani verbis: *Leo* (inquit ille) *plerosque simoniacos, & male promotos tanquam noviter ordinavit.* En! non re ipsa, sed *tanquam noviter* ordinavit; neque omnes, sed *plerosque* dumtaxat; agnovit igitur substantiam Ordinis in omnibus, alioquin omnes reordinandi fuerant. Et licet subinde (eodem Petro Dam. teste) *omnes Simoniacorum Ordinationes cassaverit*; deinde tamen (ut iterum notat Dam.) auditis Romanorum que-

relis, *omnes pene Basilicas sacerdotalibus officiis esse destitutas*, antecessoris sui Clementis II. sententiam est amplexus, nempe: *ut quicunque a simoniaco consecratus esset, in ipso Ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum, cui se obtulerat promovendum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis officio ministraret.* Observanda isthic: non querebantur Romani Sacerdotibus se destitutos, sed *Sacerdotalibus Officiis*; simoniace ordinati præterea a Leone recepti sunt *per pœnitentiam*, permissique *in accepti Ordinis officio ministrare.* Igitur non sunt denuo ordinati: verum a Simoniacis acceperant Ordinem, ac in hujus solum Officio ministrare prohibebantur. Quo vero hæc spectant omnia? nisi totam fuisse in præsenti contra Simoniacos actionem, non de substantia Ordinis, sed de ejus executione, ac functionibus. Verum.

185 Instari potest: a nemine in dubium revocatur, Stephanum VII. in Synodo Romana A. 897. definivisse, ordinationes a Formoso Antecessore factas omnino quoad substantiam fuisse nullas, ac proinde iterandas integre: idque propterea, quod Formosus per Joannem VIII. ab Episcopatu depositus, contra Canones, & jusjurandum, quo se obstrinxerat, Pontificium solium inscendisset &c.

Resp. Non esse hujus loci omnia Stephani VII. acta & facta expendere; quantum autem ad præsens, id satis est: ejus contra Formosi ordinationes sententiam, tametsi in Synodo latam, non fuisse definitivam, eam videlicet, quæ esset Pontificis *ex Cathedra*, ut dicimus, loquentis. Quis enim eum assistente Spiritu S. tulisse sententiam dixerit? quem constat ex implacabili in Formosum odio ac vindicta & decrevisse & egisse. *Furore percitus homo* (sunt verba Baronii ad An. 897.) *non quod jure liceret, sed quod exæstuans rabies svasit, implevit.* Crudelia Stephani in Formosum facta ad eund. An. recenset Baronius, ac præter multos alios Sigebertus in Chron.

ad

ad An. 900. Præterea, si paucos Stephano adhærentes demas, omnes alii ratas habuerunt Ordinationes a Formoso factas, qualiscunque demum is fuerit. Easdem probavit Joannes IX. in Concilio Ravennatensi & Romano An. 904. damnatis & abrogatis omnibus, quæ Stephanus contra Formosum, ejusque Ordinationes in Synodo Romana decrevit.

At, inquies, Sergius III. omnia Joannis IX. Acta rescidit: ex adverso confirmavit Stephani in Formosum Decreta. Ita res omnino habet; verum Sergii authoritas hic rursum nulla esse potest. Formoso nempe plurium suffragiis Romanam sedem occupante, depelli ea necesse erat Sergium, quem pars Romanorum aliqua elegerat; eundem Sergium Joannes IX. damnavit, ac a suo gradu in perpetuum dejecit: quid igitur mirum utrique fuisse adversatum? At istud non erat sententiæ definitivæ: verum odii ac ultionis; ut ex immani ejus in Formosum facto liquet, quod legere est nominatim apud Baronium ad An. 908. ubi Em. Annalium Scriptor non dubitavit hæc inserere: *Ab omnibus*, inquit, *Sergius ille non legitimus Pontifex*, *sed conclamatur invasor: quem quidem constat*, *post malum ingressum*, *deterioremque progressum*, *pessimum demum consecutum esse egressum*. Quæ in præsenti sit Bellarmini de Stephano VII. & Sergio III. opinio, videri potest in ejus Controv. Tom. 1. L. 4. de Rom. Pontif. ubi probat eos errasse in quæstione tantum facti, non juris: & malo exemplo, non falsa doctrina.

186 Animadvertendum attamen pro objectionis coronide: Sec. XI. & XII. nonnullos omnino dubitasse, num quoad ipsam substantiam rata foret Ordinatio a Simoniacis data; imo ex Petri Dam. Præfat. Opusc. 6. non obscure colligitur, fuisse aliquos etiam Episcopos, qui Clericos a Simoniacis ordinatos denuo consecraverint, ipso Ordinis Sacramento iterato. At privata horum paucorum authoritas Ecclesiæ sensui non prævalet. Quod si forte Concilia etiam quædam particularia ac Pontifices

Ff 3 hu-

hujusmodi ordinationes censuerint quoad substantiam iterandas, non incongrue dici potest: non supposuisse definitive eas fuisse invalidas; sed de hoc propter ejus temporis in utramque partem disceptationes dubitasse dumtaxat, & quod in hoc Sacramento securius erat, servari voluisse, ut notat Cl. Papebrochius in Conatu Chronico-Hist. ad Catal. Pontif. in Felice II. peculiari Differt. Illud autem, quod Morinus de Sacr. Ordinat. Par. 3. Exercit. 5. & Cabassutius in Not. Concil. Tom. 2. C. 80. contendunt, olim videlicet penitus irritas, ac iteratas fuisse omnes Ordinationes a simoniacis, suspensis, aut excommunicatis factas, istud, inquam, universim sustineri nequit: ut vel ex jam dictis clarum est.

§. VI.

Quæ Sacramentorum Ministros observare necesse est, quo functiones sacramentales licite obeant?

ARgumentum præsens apud Theologos Morales copiosum ac plane diffusum est. Præcipua autem ejus capita hæc fere sunt: an Minister indignus, seu peccato gravi obstrictus, licite conficiat Sacramentum? an indigno illud licite conferat? an in Sacramentorum ministratione sententiam tutiorem sequi necesse habeat? an denique ministrationem eandem aliquando simulare possit? ac de his quidem nos in præsenti ex comuniore DD. sententia compendio notasse præcipua: fontesque, e quibus hæc ipsa uberius peti possint, indicasse suffecerit. Itaque

187 Observandum I. Per se loquendo graviter peccat Minister consecratus aut specialiter deputatus, si cum lethalis culpæ conscientia Sacramentum conficiat. Eruitur istud ex Apostolo, 1. Tim. 3. de Diaconis ait: *hi probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes;* id quod potiori jure ad Sacerdotes pertinet, cum eorum Ministerium sit longe sanctius ac sub-

ſublimius. Ratio præterea eſt: tum quod Miniſtri agant perſonam Chriſti; tum quod in ſui conſecratione vel deputatione ſpeciales accipiant gratias ad digne obeunda ſacra miniſteria; ac denique, quod univerſim ſancta ſint ſancte tractanda. Inde Gregorius Cap. Quæſitum. De temp. Ordinat. decernit, ſub interminatione Divini judicii monendos eſſe improbos, ut, ſi non pœnituerint, *in ſuſceptis Ordinibus non miniſtrent.* Fundantur porro hæc omnia in illo Levit. 21. ad Sacerdotes monito: *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus; incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.*

Dictum autem eſt I. *per ſe loquendo.* Emergunt ſcilicet quandoque caſus, quibus a Miniſtro hujusmodi non incurritur culpa; ut ſi repentina urgeat neceſſitas, quæ non admittat pœnitendi tempus, e. g. cum aliquis jamjam animam agens eſt abſolvendus &c. Nempe hoc, aut ſimili caſu alio, nihil deliberata voluntate a Miniſtro committitur adverſum reverentiam Sacramenti: verum id intenditur unum, ut laboranti proximo, cujus ſaluti deſtinata ſunt Sacramenta, præſenti ſuccurratur remedio.

Dictum eſt II. *Miniſter conſecratus aut ſpecialiter deputatus.* Etenim communior Theologorum eſt ſententia, eum, qui ita conſecratus aut deputatus non eſt, a gravi peccato excuſari propterea; quod ex officio non agat publicum Chriſti & Eccleſiæ Miniſtrum, nec ſpecialibus illis gratiis eum in finem communiatur; ut adeo non ſit tanta illius, ac prioris, inordinatio & irreverentia: nec par proinde obligatio.

Inde, non peccat lethaliter laicus baptizans in neceſſitate: imo nec Sacerdos in eadem Baptiſmum conferens ſine ſolemnitate, tametſi uterque gravis noxæ conſcientiam habeat; nam prior non eſt Miniſter ſpecialiter deputatus, verum hujus dumtaxat defectum ſupplet; poſterior autem etiam in præſenti non agit ut deputatus, ac Miniſter ſolemnitatis, ſed ut Miniſter tantum neceſſitatis.

Ex

Ex adverso, nequit excusari Sacerdos solemniter baptizans in peccato mortali: quamvis enim ad ministrandum Baptisma non sit consecratus (nulla enim ad id specialis datur consecratio) est tamen specialiter deputatus. Similiter nec Sacerdos aut Diaconus in mortali Eucharistiam distribuentes excusari possunt: tametsi enim tum non conficiant Sacramentum, dispensant illud attamen tanquam Ministri ad hoc ordinati & consecrati. Vix tamen unum peccatum excedit plurium hostiarum distributio, cum ea moraliter censeatur esse unus Ministerii actus. Dispar ratio est Sacerdotis pluries in peccato absolventis, ut qui absolutione quavis novum conficit Sacramentum.

Si porro quæras: an ab hujusmodi Ministro liceat saltem petere Sacramentum? Resp. ex communi DD. sententia licite petitur & accipitur Sacramentum a Ministro in peccato gravi constituto, cum id absque notabili incommodo & detrimento differri nequit: neque adest alius Minister. Quid enim obsit, quo minus istud hoc casu liceat? Petitur res ex se bona, eaque, ad quam rite dispositus jus habet. Minister præterea per contritionem potest se reponere ad statum gratiæ; istud si negligat, vitio ejus accidit, non petentis: hic enim se ad id mere permissive habet. Atque omnino hæc ipsa sententia fuit Nicolai I. ut videre est Can. *scisciantibus*. Causa 15. Q. 8.

At, num idem sentiendum de Ministro excommunicato? Resp. in casu Responsi prioris a Ministro excommunicato tolerato perinde peti ac suscipi potest Sacramentum: tametsi enim huic Ecclesiæ legibus vetitum sit, ne se in Sacramentorum administrationem ingerat, non tamen vetantur fideles illam ab eo petere gravibus ex causis. Colligitur istud ex Concil. Constantiensi, quod in Martini V. Constitutione diserte declarat, neminem imposterum teneri ejusmodi excommunicatos vitare in administratione & susceptione Sacramentorum. Non perinde res se habet cum Ministris excommunicatis non toleratis: cum his enim (extra mortis articulum) gravissime prohibemur communicare in Sacramentis.

Hæc

Hæc ex communiore DD. ſententia. Conſuli poſſunt Suarez Diſp. 16. Sect. 4. Lugo Diſp. 8. Sect. 9. Layman L. 5. Tit. 1. La Croix L. 6. Part. 1. de Sacr. C. 2. a n. 87. apud quem & alios citatos reperies.

188 Obſervandum II. Illicitum eſt indigno miniſtrare Sacramentum. Ratio aſſerti petitur ex claro Chriſti mandato Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus &c.* Quid quod fidelem eſſe in diſpenſandis Sacramentis Miniſtrum oporteat, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Præterea miniſtrans indigno cooperatur ejus peccato. Atque hæc intelligenda etiam de Miniſtro privato & non ſpecialiter deputato, e. g. de Laico baptizante.

Excipitur tamen I. ab Aſſertione hac generali peccator occultus, cui publice petenti licite miniſtratur: imo & debet miniſtrari Sacramentum. Occultus nempe peccator jus habet ad famam retinendam; hujus autem jacturam ſubiret, ſi palam a Sacramenti Miniſtro repulſam ferret: inde & Chriſtus maluit JudæEuchariſtiam porrigere, quam eum infamare. Hoc præterea caſu Miniſter poſitive non cooperatur indigne ſuſcipientis Sacrilegio, verum permittit illud dumtaxat, cum impedire nequeat illæſa ejus fama.

Excipitur II. Sacramentum Matrimonii, ſeu demum Parochus, ſeu ipſi contrahentes ſint ejus Miniſtri. Colligitur iſtud ex praxi Eccleſiæ. Novimus etenim a Pontificibus in impedimentis dirimentibus affinitatis aut conſanguinitatis diſpenſari inter ipſas perſonas hæreticas, ac proinde Sacramento indignas. Quin in Provinciis, quas Catholici hæreticis permixti incolunt, aſſiſtente Parocho Catholico ſæpe celebrantur connubia hæreticorum, aut ſaltem inter perſonas, quarum una eſt Catholica, altera vero hæretica: idque conſentientibus Prælatis. Eam vero hujus aliqui reddunt rationem: quod Eccleſia per ſuos Miniſtros in hujusmodi Matrimoniis non ſe habeat poſitive ad Sacrilegium contrahentium, verum permittat illud dumtaxat;

ne videlicet, si ea impediantur, graviora Ecclesiæ & animarum emergant detrimenta.

Different de his copiose Suarez Disp. 17. Sect. 2. & seqq. Escob. L. 8. Aversa qu. 64. Sect. 10. Sanchez de Matr. L. 3. Disp. 36. Lugo de Pœnit. Disp. 32. Tamburin. de Commun. C. 6. & apud Layman de Sacram. Min. passim alii.

189 Observandum III. In Sacramentorum ministratione non licet sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Certum istud est ex Innocentii XI. Decreto, quo damnatur N. 1. hæc propositio : *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Fundamentum autem hujus sententiæ, uti & latæ in cit. prop. damnationis est: quod sententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, sequens exponat Sacramentum frustrationis ac nullitatis periculo ; id quod pugnat cum reverentia, quam Sacramentis & eorum Institutori Christo debemus. Quin idem est etiam adversus charitatem in proximum, qui eo ipso exponitur periculo non recipiendi gratiam Sacramenti.

Excipiendus hinc attamen est casus necessitatis, qua urgente, cum non sit integrum tutiorem sequi sententiam, probabilem ac minus tutam amplecti licet ; ut, qua fieri potest, proximo subveniatur. Hoc ipso autem casu non absoluta, verum conditionata dumtaxat intentione conferendum erit Sacramentum; ita frustrationis periculo satis occurretur.

Neque interim Assertione hac comprehenditur sententia etiam probabilissima, seu moraliter certa ; nam Alexander VIII. inter propositiones alias hanc N. 3. damnavit : *non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Inde, tametsi tutius foret contrito Sacramentum Pœnitentiæ ministrare: quia

pro-

probabilissimum attamen ac moraliter certum est, sufficere attritionem, secure agit, qui attrito absolutionem sacramentalem impertit &c.

Consulendi hic præ aliis Viva Disp. 3. qu. 2. & in Tract. Theol. ad cit. propositiones ab Innoc. XI. & Alex. VIII. damnatas; Cardenas item in Crisi Theol. 2. Differt. 2. & La Croix L. 6. P. 1. de Sacram. C. 2. a n. 104.

190 Observandum IV. Non licet simulare ministrationem Sacramenti. Clara est in hanc rem prop. n. 29. ab Innocentio XI. damnata: *urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Intelligendum autem istud non de formali tantum, sed & materiali simulatione; seu ea, qua Minister absque intentione conficiendi Sacramentum omnem ritum externum ita perageret, ut præsentibus imponere non intendat. Nempe id genus etiam simulatione gravis irreverentia irrogatur Christo & Sacramentis; his quidem, quia sincere non ministrantur: illi autem, quia simulata meritorum Christi dispensatio est ejusdem illusio. Non licet proinde e. g. consecrationis verba simulare, seu absque consecrandi intentione, super panem proferre; tametsi forte hæreticus intentet mortem, si secus fiat.

Neque obest, simulata ministratione non confici Sacramentum; irreverentiæ etenim est vel partes ejus ponere: simulque, ne illæ sint Sacramentum, impedire. Ita adversum reverentiam DEO debitam tum etiam agitur, cum, sine animo Deum in testem vocandi, proferuntur verba juratoria; ut adeo ex communi DD. sententia is etiam pejeret, qui falsum jurat absque animo jurandi.

Non desunt interim graves Theologi, qui velint, non omnem materialem Sacramenti simulationem esse illicitam: uti istud, ac reliqua huc facientia, videre est apud Cardenas in Crisi Theol. Differt. 20. Viva in Tract. Theol. super cit. prop. 29. Gormaz de Sacr. Disp. 5. a N. 347. & alios cit. apud La Croix L. 6. P. 1. de Sacram. C. 2. a n. 149.

DISSERTATIO V.
De Subjecto Sacramentorum.

§. I.
Quis sit subjectum capax Sacramenta recipiendi?

USitato in scholis vocabulo Sacramentorum *subjectum* dicimus eos, qui illa suscipiunt; id quod ut rite ac cum fructu fiat, uti inMinistro,ita ex parte recipientis ordinarie requiritur prævia quædam dispositio. Ac de hoc nunc acturi sumus; prius tamen quæstio præsens, seu ipsa *subjecti* persona est definienda.

ASSERTIO.
Hoc providentiæ statu solus homo viator est subjectum Sacramentorum capax.

191 NEque ullus est hic dubitationi locus, seu institutionis modus, seu Sacramentorum substantia, seu demum eorum finis spectetur.

An enim Christus, Sacramenta instituens, alios quam viatores homines illis designavit verbis: *docete omnes gentes baptizantes eos &c. Hoc facite in meam commemorationem &c. quorum remiseritis peccata &c.* Certe, uti ad viatores Ministros hæc prolata sunt: ita hi ipsi pro viatoribus tantum constituebantur; cum his enim solis agere poterant, his solis Baptisma conferre, Eucharistiam sumendam porrigere, peccantibus culpas remittere &c. Inde Apostolus ad Hebr. 5. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur - - ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis, qui ignorant & errant;* sicut igitur viatoribus proprium est *peccare*, *ignorare*, *errare*: ita pro his solis

ſolis conſtitutus eſt *omnis Pontifex*, *& Miniſtri ac Diſpenſatores myſteriorum Dei, qui offerant dona ac ſacrificia pro peccatis.*

Subſtantiam deinde Sacramentorum in ſignis ſenſibilibus ſitam novimus; hæc vero, uti viatoribus nobis, corpore videlicet præditis, conveniunt: ita quam maxime opportuna, imo & neceſſaria ſunt, quo & ipſi corporei per ſigna ſenſibilia in unum viſibilem Religionis cœtum coadunemur, ad ſpiritualia & cœleſtia erigamur, & inviſibilis gratiæ pignus accipiamus. Appoſite in hanc rem Chryſoſtom. Hom. 83. in Matth. *Si incorporeus eſſes; nuda ipſe dona & incorporea tradidiſſet tibi; quoniam vero corpori conjuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.*

Denique, Chriſtus Sacramentorum inſtitutione id ſpectabat, ut eſſent ſalutis remedia, & noſtræ ſanctificationis inſtrumenta; *per hæc* enim, ut ait Conc. Trid. Seſſ. 7. in Prœoemio, *omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur;* quorum omnium capaces ſunt ſoli homines viatores, ut ignotum eſt nemini.

Conſulto autem dictum eſt in Aſſertione: *hoc providentiæ ſtatu;* nam de lege extraordinaria iſthic non agimus: idem interim & in præſenti non incongrue dixeris, quod ſupra a N. 114. de Miniſtro Sacramentorum extraordinario pronunciavimus.

§. II.

An, & quæ intentio ſit neceſſaria in recipiente Sacramenta?

Recolenda hic ante omnia, quæ ſupra de intentione Miniſtri, præſertim N. 119. & 120. dicta ſunt. Non quæritur autem in præſenti de infantibus & perpetuo amentibus;

 ab

ab his enim ſine intentione, utpote cujus capaces non ſunt, Sacramentum valide percipi vel inde fit certum, quod iis ex conſtanti Eccleſiæ uſu Baptiſmus miniſtretur. Habetur autem iſtud ab ipſa inſtitutione Chriſti, qui cum & hos velit ſalvos, Baptiſmum, tanquam remedium ad ſalutem neceſſarium juxta illud *niſi quis renatus fuerit &c.* ita utique inſtituit, ut & illis conferri poſſit. Reliquum itaque eſt, ut de adultis uſu rationis aliquando præditis, de quibus ſolis controvertitur, ſtatuamus.

ASSERTIO I.

In adultis, quo valide ſuſcipiant Sacramentum, requiritur vera aliqua intentio illud ſuſcipiendi.

Ante probationem advertendum eſt: in Aſſertione requiri intentionem veram. Hoc nomine autem hic intelligitur ipſa intentio interna, qua videlicet adultus feratur non in mere externum ac materialem Eccleſiæ ritum: verum eum tanquam ſacrum ex animo intendat: generatim ſaltem volendo id percipere, quod confert Eccleſia, vel quod ſuſcipiunt Chriſtiani. Atque hæc conformiter ad ea, quibus internam Miniſtri intentionem contra Catharinum Diſſert. IV. §. II. tuiti ſumus. Hoc jam notato

192 Probatur I. Aſſertio ex Pontificum & Conciliorum ſenſis ac Decretis. Et primum quidem clara eſt in hanc rem authoritas Innocentii III. cujus Cap. *Majores* de Bapt. & ejus eff. L. 3. Decret. verba hæc ſunt: *ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti.* Innocentius etiam IV. in cit. L. Decret. T. de Bapt. qu. 10. docet: non baptizari eum, qui ſine conſenſu baptizatur. Paulus V. autem in Rituali Romano, quod ipſe edi curavit, monet: *ſi quis adultus ſit baptizandus, debet ejus voluntas & propoſitum ſæpius explorari, & nonniſi ſciens & volens baptizari.*

zari. De amentibus deinde & furiosis agens, *si dilucida*, inquit, *habeant intervalla - - baptizentur, si velint. Si vero mortis periculum immineat, etiamsi non sint mentis compotes, baptizentur, modo antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint.*

Idem longe ante hos Pontifices in Conciliis statutum legimus. Ita Carthaginense III. An. 397. cap. 34. *Ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Et Arausicanum I. An. 442. Can. 12. *Subito obmutescens prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Eadem habentur in Carthaginensi IV. cap. 76. & Aurelianensi III. Can. 7. Quæ autem ex Pontificibus & Conciliis de Baptismo docemur, eadem potiori jure de aliis Sacramentis intelligenda sunt: dempta attamen Eucharistia, quæ cum in re permanenti consistat, ab invito etiam & inscio potest vere percipi; tametsi omnino perceptio hæc non sit futura sacramentalis, seu ejusmodi, cui effectus gratiæ, huic Sacramento propriæ, respondeat.

193 Probatur II. rationibus Theologicis. Omnium autem præcipua est ipsa voluntas Christi, ita Sacramenta instituentis; uti istud colligimus ex Conciliorum & Pontificum doctrina, ac constanti Ecclesiæ praxi.

Deinde, quod D. Th. qu. 68. Art. 7. in ⊙ insinuat, cum Sacramenta sint efficacia sanctificationis nostræ & salutis instrumenta, congruum plane est, ea nobis invitis non applicari; cum nemo invitus ac contranitens cum Deo amicitiam, quæ ipsa est sanctificatio nostra, ineat: neque salutem consequatur.

Addendum denique in quibusdam saltem Sacramentis, ut est, Baptismus, Ordo & Matrimonium, obstringi nos ad peculiaria quædam officia; nemo autem nisi volens ac consentiens obligationem contrahit. Hoc ipso argumento contra oppositum

tum

tum sentientes usus est Innocentius III. cit. cap. *Majores*, ubi, *sed opponitur*, inquit, *talibus*, *quod qui fuissent inviti & reluctantes immersi*, *saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent; unde ad servandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi. Verum id est Religioni Christianæ contrarium*, *ut semper invitus & penitus contradicens*, *ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur.*

ASSERTIO II.

Intentionem hanc non est necesse esse actualem aut virtualem; sed sufficit habitualis, eaque nonnunquam etiam solum implicita, seu in generali aliquo proposito contenta.

194 ASsertio hæc certa est ex probatione N. 192. allata; Declarandum est dumtaxat in particulari, quænam sint in præsenti de singulis Sacramentis Doctorum sensa. Igitur

I. Baptismus valide suscipitur cum sola intentione habituali, ut patet ex supra cit. Pontificum & Conciliorum Doctrina ac Statutis, ipsiusque Ecclesiæ communi sensu ac usu. Quin Conink, Rhodes, Dicastillo, aliique apud La Croix L. 6. P. 1. de Sacram. C. 3. n. 168. contra Suarez & Lugonem censent, ad validam Baptismi susceptionem probabilius sufficere intentionem implicitam, e. g. contentam in attritione vel contritione universali; cum enim hæc (ut ipsi ajunt) includat votum omnia implendi præcepta, proinde & suscipiendi omnia media ad salutem necessaria, includit eadem voluntatem Baptismi. Inde per hos conferri potest Baptisma moribundo Judæo vel Ethnico, si prudenter præsumatur, eos attritionem vel contr tionem elicuisse, nec retractasse. Consulto additur *moribundo*: Haunoldus enim cum quibusdam docet, extra casum extremæ necessitatis voluntatem illam generalem, in præterita contritione contentam, non sufficere ad intentionem Baptismi

ptismi

ptismi recipiendi e. g. in somno, vel sine solemnitatibus consuetis. Rationem dat: quia, inquit, voluntas illa generalis includit votum Baptismi eo tantum recipiendi modo, quo is licite ac ex usu Ecclesiæ ministrari potest; ita autem non ministratur dormienti, aut sine solemnitate extra casum necessitatis.

II. De Confirmationis Sacramento quoad habitualem intentionem idem est DD. sensus. Implicitam imo etiam, quæ in generali aliquo proposito contineatur, in moribundo sufficere quidam cum Conink & Arriaga volunt: modo propositum hoc prudenter præsumi possit. Implicita interim hæc Confirmationis suscipiendæ intentio non videtur omnino includi in sola attritione vel contritione universali; actus enim hujusmodi ordinarie continent solum voluntatem implendi ea, quæ præcepta sunt, & ad salutem necessaria; qualis non est Confirmationis susceptio.

III. Eucharistia quamvis sine ulla intentione vera percipiatur, perceptione videlicet mere materiali, quo tamen ea sit sacramentalis ac salutaris, habituali saltem intentione opus habet recipiens. Ad eandem vero in moribundis satis est generalis voluntas, qua ex instituto vitæ Christianæ censetur quisque velle in mortis articulo ea sibi conferri Sacramenta, quæ in eo fidelibus Ecclesia ministrare consuevit.

IV. In Sacramento Pœnitentiæ cum quibusdam Platellius in Synopsi Theol. C. 1. §. 4. intentionem actualem vel virtualem requirit; idque propterea, quod actus pœnitentis sint materia hujus Sacramenti: ut adeo uti istos, sic & intentionem in aliqua saltem virtute adesse oporteat. Potior interim Doctorum pars existimat, habitualem etiam intentionem sufficere. Ac huic quidem opinioni Concilii Arausic. I. Can. 12. supra cit. favet; verum de hoc nobis alibi ex proposito agendum erit.

V. Ad Extremæ Unctionis Sacramentum valide percipiendum præsumptam etiam ac interpretativam intentionem sufficere, usus ipse & praxis Ecclesiæ docet.

VI. De Matrimonio eadem est Platellii loco cit. quæ de Sacramento Pœnitentiæ opinio. Universim attamen sustineri nequit: tametsi enim intentio saltem virtualis requiratur tum, dum contrahentium unus parti alteri in corpus suum jus ipse offert, aut de hoc Procuratori dat mandatum; eo tamen deinde tempore, quo pars altera jus oblatum acceptat, ac suum etiam consensum adjicit, prioris partis intentionem satis est esse habitualem, seu non revocatam.

VII. Sacramentum Ordinis cum intentione habituali valide suscipi extra controversiam est; num implicita etiam, & quæ illa sufficiat? disceptatur. Id extra dubium est: voluntate illa generali, qua quis vult implere omnia præcepta, & media salutis necessaria adhibere, non contineri intentionem ad suscipiendos Ordines requisitam.

Atque hæc compendio illustrandæ dumtaxat Assertionis gratia. Ulterior argumenti hujus notitia petenda est ex Theologis Moralibus, qui passim illud copiose pertractant, cum de intentione in subjecto Sacramentorum requisita disserunt, ut videre est apud La Croix L. 6. P. 1. de Sacram. C. 3. Nos ipsi quædam isthuc pertinentia suis locis explicatius dabimus.

Respondetur ad Objecta.

195 OBjicitur ab authoritate I. Can. de Judæis dist. 45. ex Synodo Tolet. 4. desumpto dicitur, Judæos, ad suscipiendum Baptisma coactos, obligari ad servandam legem Christianam; in coactis autem nulla est intentio. Idem videtur censuisse Augustinus, cum Tract. 26. in Joan. ait: *intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens.*

II. Innocentius III. Cap. *Majores* voluntatem dumtaxat oppositam excludit: *tunc ergo*, inquit, *characterem Sacramentalis*

talis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. Eadem opinio fuit D. Thomæ in 4. dist. 61. qu. 1. Ar. 2. quæstiun. 3. ubi dicit, adultos rationis expertes valide baptizari, *nisir contaria voluntas habitu insit.*

Resp. ad I. Canon Toletanus latus est de Judæis, non *simpliciter*, ut loquuntur JCti, sed *secundum quid* coactis; iis videlicet, qui, ex metu quidem intentato, re ipsa tamen vere consenserint in Baptismum: nam *coacta voluntas est voluntas*, ut habet Juris axioma desumptum ex l. 21. §. 5. ff. *quod met. caus.* Eodem interim Canone vetuit Synodus, ne ullus deinceps coactus baptizetur. Sed nec August. nobis adversatur: nam loco cit. agit de Sacramento tantum Eucharistiæ, ut monet Platellius, & colligitur ex verbis: *accedere ad Altare potest nolens &c.* Idem Augustinus, cum L. 7. contra Donatist. C. 53. validum esse dicit Baptismum *fallaciter* susceptum, per fallaciam non excludit consensum, sed dispositionem dumtaxat animi debitam, quam quis simulat.

Resp. ad II. Mens Innocentii colligenda est ex contextu cit. Capituli; ubi cum dormientium & amentium Baptisma probat ea conditione, *si prius Catechumeni extitissent, & propositum Baptismi habuissent*, manifestum est, eum in recipiente requisivisse intentionem saltem præteritam, & non revocatam, quæ ipsa est habitualis. Inde cit. in Objectione verbis supponit jam intentionem præteritam, idque innuit solum, eam sufficere, modo non revocetur per contrariæ voluntatis propositum. Nec officit, quod ad hoc Cap. additum sit: validum esse *Baptismi Sacramentum ab eo susceptum, qui corde dissentit, modo dicat ore se consentire*; Glossa enim hæc Gregorii III. jussu est expuncta.

Eadem ratione exponitur adductus ex D. Thoma locus; præsertim cum S. Doctor intentionem & voluntatem (ut dicimus) positivam in Sacramentorum subjectis aperte requirat pluribus locis, ac nominatim P. 3. qu. 68. Art. 7. imo eo ipso

loco, qui objicitur; nam in Resp. ad 2. *in amentibus*, inquit, *& dormientibus potest esse voluntas contraria habitualis, quamvis non sit actualis: & ideo si ante somnum vel furiam fuerunt contrariæ voluntatis, non recipiunt Sacramentum, quia adhuc illa voluntas habitualiter manet: si autem habuerunt propositum recipiendi Baptismum, & hoc per aliqua signa innotuit, in articulo necessitatis debet eis conferri Baptismus, & suscipiunt Sacramentum.* Hunc D. Thomæ locum pluribus expendit Simonnet Tract. 11. de Sacram. Disp. 5. Art. 2. in Object. 6.

196 Objiciuntur etiam exempla quorumdam, quos invitos, aut etiam ignaros baptizari vel Ordinis Sacramento initiatos legimus. Ita

I. Augustinus L. 4. Confes. C. 4. narrat de quodam Amico suo, qui, malo febrium invalescente, *cum desperaretur, baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus.*

II. Ipse Augustinus in Episcopum Hipponensem reluctans ordinatus est a Valerio, ut refert Possidius in vita S. Augustini C. 4.

III. De Pauliniano S. Hieronymi fratre scribit Epiphan. Ep. ad Joannem Hierosol. *ignorantem*, inquit, *& nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte - - adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut ministraret, valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum & persuadere potuimus - - rursus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum &c.*

IV. Macedonii Ascetæ Ordinatio, per Flavianum Antiochenum Ep. facta, amplius quidpiam habet. Audiatur de illa Theodoretus Cyri Episc. qui in Hist. Monast. C. 13. *postquam*, inquit, *Flavianus - - Pastor est ordinatus - - de montis vertice illum* (Macedonium) *per speciem objectæ accusationis abduxit, & sub sacrificium Altari admovit, cooptavitque in numerum*

rum Sacerdotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicassent (ignorabat enim prorsus quid egissent) primum quidem verbis asperis proscidit universos: deinde arrepto baculo - - Pontificem ipsum & alios insecutus est &c. Ordinationem autem hanc pro rata habitam colligitur ex eo, quod cum (ut narrat idem Theodoretus) altero Dominico rursum a Flaviano vocaretur Macedonius, *ille ad eos, qui venerant, an vobis, ait, non sufficiunt, quæ jam acta sunt, sed iterum me Presbyterum creare vultis? & respondentibus illis fieri non posse, ut bis eadem fiat manuum impositio, non acquievit.* En! tam Macedonius, quam qui ad eum missi fuerant, ac proinde & ipse Flavianus existimarunt, rite ac valide peractam illam Sacerdotii collationem.

Resp. I. generatim ad memorata & his non absimilia exempla. Quodsi aliquando Baptismi aut Ordinis Sacramento initiati sunt ita ignari vel penitus inviti, ut nullum prorsus, ne implicitum quidem consensum præstiterint, ejusmodi susceptionem non fuisse sacramentalem, omnino pronunciandum est. Neque tamen continuo damnandi, qui ita ignaris aut invitis Sacramenta conferebant; tametsi enim erronea, *bona* attamen simul agebant *fide;* seu quod existimaverint valere sic collata Sacramenta; seu supposuerint (quod verisimilius est) consensum jam præteritum in ignaris, in reluctantibus autem etiam præsentem. Ac revera vim hanc aliquando primis illis temporibus necesse erat fieri, quo Ecclesiæ, tot persecutionum & hæresum malis afflictæ, subveniretur. Tum enim, si quando alias, eos esse oportebat Pastores & Antistites, qui in Ecclesiæ fastigium sublati, non tam Ministerii dignitate & potestate, quam eminenti Sanctitate fulgerent. Hi vero tanta erant animi temperantia, ut latere potius, sibique dumtaxat vacare, quam præesse aliis vellent, ac re ipsa implerent illud, quod l. quemquam, Cap. de Episcop. & Cler. habetur: *tantum ab ambitu debet Antistes esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat,*

dat, invitatus refugiat. Urgendi proinde ac compellendi erant exemplo Heri Evangelici, non invitantis tantum, sed & compellentis ad convivium Luc. 14. Vis interim ista ac compulsio eo pertinebat, ut, qui ex animi demissione reluctabantur, votis ac imperio aliorum victi, demum consentirent. Clarum in hanc rem testimonium est ex Augustino, qui Ep. ad Donatum 173. *multi*, inquit, *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur, quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* His generatim notatis, jam in particulari

Resp. II. & quidem ad exemplum I. In amico Augustini præsumebatur Baptismi desiderium, cum (ut verisimilius est) Catechumenus fuerit. Colligitur istud ex cit. Augustini loco, ubi ait amicum illum suum habuisse *veram fidem*, quamvis eam *non germanitus & penitus adolescens tenebat.* Quin ibidem de se ipso refert, quod cum sibi redditum amicum de suscepto Baptismo, tum adhuc Manichæus, videret, is Baptismum sibi collatum non modo probaverit, verum etiam *ita irridentem exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate, ut, si amicus esse vellet, talia sibi dicere desineret.*

Resp. ad II. Augustinus Ordinationi suæ principio reluctatus, in eam deinde consensit, neque nisi consentiens sacris initiatus est. Indicat istud ipse August. in Ep. ad Valerium 21. alias 148. ubi ait repugnantiam suam inde ortam, quod sacrum *ministerium periculosissimum* judicaret. Idem facile conficies ex decursu narrationis cit. Possidii.

Resp. ad III. Ordinatio Pauliniani coacta licet fuerit, nec tamen sine omni ejus consensu. Invitus nempe fuit, non *simpliciter & absolute*, verum *conditionate* tantum & *secundum quid:* ac eo fere modo, quo e. g. Mercator metu naufragii inducitur, ut, invitus quamvis consentiat ad merces in mare projiciendas. Ratio ita sentiendi de Pauliniano petitur ex illis Epiphanii verbis: *valde obnitebatur, indignum se contestans.* Item: *vix ergo*

ergo compulimus eum &c. Tota ergo ejus reluctatio humilitatis erat; ac inductum tandem, ut consentiret, particula *vix* non obscure indicat.

Resp. ad IV. Tournelyus de Sacram. in gen. Qu. 8. Ar. 2. diserte ait, Macedonii Ordinationem non fuisse ratam ac validam defectu consensus requisiti; ac propterea putat post historiam relatam a Theodoreto additum: *scimus sane non laudandam multis visum iri hanc narrationem.*

Simonnetus attamen Tract. 11. de Sacram. Disp. 5. Ar. 2. in Obj. 4. non rejicit Macedonii ordinationem. Existimat nempe *Macedonium non quidem explicite & distincte, sed, quod sufficiebat, implicite & confuse consensisse in ordinationem suam: externam enim illam cerimoniam, quam circa illum exercuit Pontifex, lubens ac volens suscepit, & quidem ut sacram, intentionem suam conformando intentioni Pontificis, seu generaliter & confuse intendendo per cerimoniam illam id, quod intendebat Pontifex eam peragendo.* Addit deinde sub finem responsi: *quod reipsa intenderit* istud Macedonius, *dubitare non sinunt singularis ejus in Deum pietas & observantia erga Prælatum.* Ita Simonnet. cit. loco.

Res tota, ut vides, conjecturis agitur. Jure præterea dubium moveri potest: num implicitus hujusmodi in Ordinationem consensus sufficiat? præsertim propter peculiaria onera sacris Ordinibus adnexa. Inde sententiam meam eo dumtaxat, quod in Resp. I. generatim dictum est, definio. Si quam in partem interim ferendum esset suffragium, Tournelyo mallem, quam Simonnetto in præsenti accedere.

197 Objici demum potest ex ratione Theologica I. Universim Sacramentum perficitur a Ministro, & non a subjecto illud recipiente; inde & Florentinum dicit, Sacramenta tribus perfici, nempe materia, forma, & Ministro intentionem habente; non est igitur, cur ad valorem Sanramenti in ipso etiam recipiente requiratur intentio.

II. In-

§. III.

Quæ diſpoſitio requiratur in ſuſcipientibus Sacramenta?

SAcramenta ſuſcipi poſſunt vel valide tantum : vel cum fructu ſimul, ita ut ſuſcipienti conferatur gratia Sacramento propria. Quæ ad utramque ſuſceptionem generatim neceſſaria ſit diſpoſitio, nunc ſtatuemus: ea, quæ Sacramentis quibusdam peculiaria ſunt, ſuis in particulari locis expedituri. Rurſum autem hic, ut §. priore, de ſolis adultis, rationis uſu præditis agitur.

ASSERTIO I.

Ea diſpoſitio, quæ habetur per intentionem, ſufficit ad valide ſuſcipienda Sacramenta: dempta Pœnitentia.

198 RAtio 1mæ partis eſt: nam intentionem requiri, jam ſupra oſtenſum eſt; præter hanc autem neceſſarium eſſe ex parte recipientis quidpiam aliud, nullo ſufficienti argumento evinci poteſt. Sane, ſi ad aliquod Sacramentum valide percipiendum fides ſaltem, quæ inter actus diſponentes cenſetur prima, requireretur, id eſſet Baptismus; at neque iſtud aſſerendi ullum eſt fundamentum: quin oppoſitum docet praxis Eccleſiæ, quæ ratum habet Baptisma ab hæreticis perceptum. Et Auguſt. præterea L. 3. de Bapt. c. 14. univerſim ait: *nec intereſt, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum - - fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum & perverſam fidem.* Quamvis interim iſthic fidem a neceſſaria diſpoſitione univerſim excludamus, ſupponimus attamen, ſubjectum capax Sacramentorum eſſe neminem, niſi qui prius Baptismo initiatus fuerit; hic enim uti janua eſt, qua Eccleſiam ingredimur:

dimur : ita pariter janua est reliquorum Sacramentorum.

Ratio 2.læ partis est : quia (ut alibi probabitur) Sacramentum Pœnitentiæ ratum esse nequit sine contritione, saltem imperfecta ; hæc vero ipsa fidem, spem, & charitatem præsupponit.

ASSERTIO II.

Ut Sacramenta cum fructu suscipiantur, ea requiritur dispositio, qua excludatur obex gratiæ ; hic si non adsit, in Sacramentis vivorum sufficit intentio, nec præter eam necessarium est quidquam aliud ; aliter se res habet in Sacramentis mortuorum.

199 PRima pars Assertionis a nemine controvertitur : etenim Sacramenti fructus est ipsa gratia, quæ cum suo obice, seu peccato lethali, neutiquam est conjungenda.

Altera pars inde conficitur : quod neque ex SS. Literis, neque ex PP. aut Conciliis evinci possit, ad Sacramenta vivorum cum fructu, seu gratiæ augmento percipienda, præter intentionem & statum gratiæ, requiri quampiam dispositionem aliam, quæ sita sit videlicet in devotione prævia, in actibus fidei, spei &c. Ratio præterea istud afferendi non incongrue petitur ex eo, quod Sacramenta sint causæ necessariæ ; hæ autem subjecto applicatæ, cum nullus se offert obex, virtutem suam exerunt, & effectum producunt. Et de Eucharistia quidem istud vix in dubium ullus vocaverit, cum ad eam utiliter suscipiendam, non amplius requirat Apost. 1. Cor. 11. quam ut *probet se ipsum homo &c.* quæ verba Concil. Trid. Sess. 13. de Euch. cap. 7. declarat ita esse intelligenda : *ut nullus sibi conscius mortalis peccati - - ad Sacramentum Eucharistiæ accedere debeat.* An non autem ab hoc nobilissimo omnium Sacramento ad reliqua legitime arguas?

Partis tertiæ probatio quoad Baptismum speciatim dabitur

tur L. II. idem patebit de Pœnitentia ex L. V. Nunc paucis insinuasse sufficiat: communem esse ex Conc. Trid. Sess. 6. C. 6. DD. sententiam, ad Baptismum cum fructu recipiendum in adulto, præter intentionem, prævias requiri dispositiones per actus fidei, spei, dilectionis inchoatæ, & propositi legem Christianam servandi. De Sacramento autem Pœnitentiæ jam N. superiore dictum est, vel ad valorem ejus necessariam esse fidem, spem &c.

Resolvuntur Objectiones.

OBjectio contra primam Assertionem. I. Concilia quædam in suscipiente fidem requirunt ad valorem Baptismi. Ita Arelatense I. Can. 8. statuit, *ut Afri in Ecclesiam redeuntes denuo baptizentur, si interrogati non responderint Trinitatem.* Et Arelat. II. Can. 27. ait, *Bonosiacos baptizatos in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum Chrismate & manus impositione recipiendos esse.* 200

II. Eadem est quorumdam SS. Patrum sententia. S. Ambros. L. 1. de Spir. S. C. 3. *plenum est*, inquit, *Baptismatis Sacramentum, si Patrem & Filium & Spiritum fatearis; si unum neges, totum subrues;* & infra: *quamvis & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Optatus autem Millevit. L. 5. contra Parmen. postquam dixit, in Baptismo tres esse species, primam videlicet in Trinitate, alteram in credente, tertiam in operante, subjungit: *duas video necessarias - - principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri; hanc sequitur fides credentis.* Denique & August. L. 7. de Bapt. contra Donat. C. 53. asserit, habere eos Baptismum, qui illum *sine simulatione & cum aliqua fide acceperint.*

Resp. ad I. cit. Can. 8. agi de Baptismi dumtaxat forma, non autem de fide baptizati; hinc ibidem additur: *etsi pervi-*

derint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponatur. Mos nempe tum erat, ex Baptizatorum in Trinitatem fide cognoscendi, num Baptismus in nomine Trinitatis collatus fuerit. Alterius vero Concilii Canon id spectabat unum, ut Bonosiacis non prius in Ecclesiam pateret ingressus, quam ejus fidem ex animo palam profiterentur.

Resp. ad II. Ambrosius loquitur de Baptismo tam quoad valorem quam quoad fructum; idcirco vocat *plenum.* Hoc sensu autem, nempe etiam quoad fructum, *plenus* esse nequit in adultis sine fide; quæ si desit, *totum Sacramentum*, quoad hanc videlicet plenitudinem, *subruitur.* Colligitur idem ex subjectis verbis: *vacuum est omne mysterium;* ubi vides, non dici *nullum*, sed *vacuum*, hoc est, fructu.

Optatus etiam fidem credentis in ordine ad fructum dumtaxat Baptismi requirit; hinc ibidem, *quis fidelium*, inquit, *nesciat? Baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem &c. has res unicuique, non ejusdem rei operarius* (Minister) *sed credentis fides & Trinitas præstat.*

Augustinus cit. loco nomine *fidei*, quam simulationi opponit, intentionem intelligit. Idem videre est in ejus ad Bonifacium Ep. 98. alias 23.

201 Objectio adversus Assertionem alteram. I. August. L. 3. de Bapt. C. 14. *interest*, inquit, *plurimum ad salutis viam, quali fide imbutus sit, qui Sacramentum percipit.* Item Trident. Sess. 6. Cap. 6. de suscipientibus Sacramentum ait: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia fidem concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse &c.* Ex mente itaque Augustini & Tridentini, quo Sacramenta prosint ad justitiam & salutis viam, præter obicis gratiæ remotionem & intentionem, alia etiam, saltem per fidem, dispositio est necessaria.

II. Ipsa Sanctitas & dignitas Sacramentorum exigit in suscipientibus reverentiam, quæ non habetur sine actuali devotio-

tione, seu pietatis actibus, ut sunt: fidei, spei &c. Quin nos ipsi supra N. 72. prævias quasdam per actus virtutum dispositiones requisivimus in adultis ad recipiendam Sacramenti gratiam. Ac revera

III. Si ad hanc præter obicis remotionem & intentionem nulla peculiari opus sit dispositione alia, fieri potest, ut quis cum levi aliqua negligentia e. g. Eucharistiam sumens, gratiam Sacramenti obtineat per hanc ipsam sumptionem, qua Sacramento irrogat injuriam, admittitque peccatum saltem veniale. Quis vero istud asserat? nisi una dicat, ipsum peccatum esse posse instrumentum acquirendæ gratiæ. Denique

IV. Qui fieri posset? ut tepidi quidam Sacerdotes, qui in statu gratiæ Eucharistico pane quotidie se se reficiunt, in tepore suo perseverent, si quavis hujusmodi refectione augeatur in illis gratia.

Resp. ad I. tam Augustinus quam Tridentinum cit. locis agunt de Baptismo dumtaxat; de quo cum fructu percipiendo neque nos controvertimus. Si quando tamen seu Concilia seu Patres de aliis etiam Sacramentis idem asserant, intelligendi sunt loqui vel de majore decentia, vel de majore gratiæ augmento: ad quod utrumque prævia quædam per actus virtutum dispositio est omnino necessaria. Quandoque etiam PP. requirunt fidem in sensu tantum negativo, seu carentiam infidelitatis.

Resp. ad II. Reverentia, quam sub gravi culpa Sacramento debemus, habetur per hoc ipsum, quod sine obice suscipiatur; sic enim ex mente Tridentini satisfit Apostoli monito: *probet autem se ipsum homo &c.* Quo hæc ipsa interim reverentia sit major, id omnino præstant prævii virtutum actus. Quam quia cumprimis Eucharistiæ æquum est impendere, ad eam nos solicite hortatur Trident. Sess. 13. Cap. 7. *si non decet*, inquit, *ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe quo magis sanctitas & divinitas Cælestis hujus Sa-*

cramenti (Euchariſtiæ) *Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere debet, ne absque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat.*

Sed nec nos ipſi illo, quod ex N. 72. citatur, nobis adverſamur. Uti nempe illic, ſic & hic in adultis, quo Sacramenta cum fructu percipiant, aliquam diſpoſitionem requirimus. Talis univerſim pro omnibus eſt, intentio & carentia obicis; pro iis autem, quos gravis noxæ conſcientia reos arguit, etiam pœnitentia; hæc ipſa vero, quia ſine fide, ſpe, & charitate haberi nequit, cum his ipſis actibus conjungenda eſt.

Reſp. ad III. Obtineri gratiam per ejusmodi ſumptionem, quæ cum veniali peccato conjungitur C. per ſumptionem, quatenus ea ſic conjungitur, ſeu quatenus eſt peccaminoſa N. Hoc caſu nempe fit, ut ſumptioni Euchariſtiæ ex opere operantis nullus omino fructus reſpondeat; at quia eadem eſt ſufficiens applicatio Sacramenti, quod habet virtutem conferendi gratiam non ponenti obicem, non poteſt non juvare ad gratiam Sacramentalem ex opere operato obtinendam. Nec obeſt, ſumptione illa irrogari Sacramento injuriam; hæc enim cum ſupponatur levis dumtaxat eſſe, obicem gratiæ non ponit.

Reſp. ad IV. cum Suarezio Diſp. 63. Sect. 3. augmentum gratiæ & habituum infuſorum non poſſe experientia cognoſci; neque enim his per ſe ac formaliter pravæ hominis inclinationes franguntur, aut excluduntur leves culpæ, quæ ipſæ ſunt tepor ſpiritus. Potentia quidem ad hæc omnia augetur, at ſimul relinquitur libertas; inde, quia tepidus Sacerdos prævenientes gratias, ad quas frequenti Euchariſtica ſumptione jus acquirit, per culpas veniales impedit, aut collatis non cooperatur, non mirum eſt, quod teporem non excutiat. Cæterum (quod iſthic notat Suarez) Euchariſtiæ efficacia vel in hoc ſe ſatis prodit, quod hujusmodi Sacerdos lethales noxas devitet, ac gratiæ ſtatum conſervet.

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE SACRAMENTORUM CÆREMONIIS.

§. I.

Quid ſint in genere Sacramentorum Cæremoniæ, & quo Authore inſtitutæ?

VAriant Authores in ethymologia nominis *Cæremonia*. Quidam cum Strabone & Valerio Max. originem ejus repetunt a *Cære* Thuſciæ Oppido, quod Livius *receptaculum Romanorum ſacrorum* appellat; alii cum Scaligero ab antiqua voce *cerus*, id eſt, *juſtus &c.* Plurimi cum Auguſtino, Iſidoro, & Vicecomite a *carendo*, quaſi *carimoniam* dici putant propterea, quod veterum cæremoniæ fere cum rerum quarundam *carentia* & abſtinentia fuerint conjunctæ; ita Judæi abſtinebant a ſanguine & ſuffocato, Nazaræi ab uſu vini &c. Utut interim ſit de ethymologia nominis: Latinis illo generatim ſignificantur *Sacra omnia*, proinde & ritus illi, qui in Sacramentorum miniſtratione ex uſu Eccleſiæ adhibentur. De his, præter alios, ex propoſito agit Card. Bona in Tract. de Miſſæ Sacrif. Renaudotius in Collect. Liturg. Orient. BENEDICTUS XIV. feliciter regnans S. P. in erudito de Sacrif. Miſſ. Commentario, ac omnium copioſiſſime Joſephus Vicecomes in ſuis de Ritibus Sacramentorum Operibus. Nos, quæ ad peculiares ſingulorum Sacramentorum cæremonias attinent, infra ſuis locis ſpeciatim dabimus; nunc in genere dumtaxat quædam expedienda ſunt: ac primum quidem Cæremoniarum definitio & inſtitutio.

De-

Definitio Cæremoniarum.

202 CÆremonia ſacra in genere, eſt actus Religionis externus ad Cultus divini majeſtatem & decorem ordinatus. Ut vero iſthic nominatim ſumitur, ſunt ritus quidam authoritate legitima inſtituti ad Sacramenta dignius & decentius miniſtranda, e. g. uſus ſigni crucis, veſtium ſacrarum, incenſi & luminum, unctiones item, aſperſio per aquam, inſufflatio, oratio &c. Ex hac ipſa autem definitione ſatis, ut opinor, vindicatur Eccleſiæ in præſenti doctrina contra Novatorum calumnias. Quis enim vel hinc non videat? non eo nobis (quod illi volunt) cæremonias eſſe loco, ut iis Sacramenti gratiam attribuamus, aut ipſam ejus ſubſtantiam in illis reponamus. Modum eas dumtaxat quemdam ac ordinem dicimus, quo divina myſteria decenter & majore cum reverentia peragantur, ipſaque eorum miniſtratione Fidelium animus ad pietatem erigatur. Ineſt nimirum ſingulis Eccleſiæ cæremoniis myſticus quidam rei ſacræ ac ſymbolicus ſenſus, ut ſuo loco videbimus; hujus igitur per externa rituum ſigna cum admoneamur, quidni opportunum ea ſint Religionis & devotionis ſovendæ, augendæque inſtrumentum?

Earumdem Inſtitutio.

203 NOvitium eſſe in Eccleſia Cæremoniarum uſum putida eſt Hæreticorum calumnia. Quædam certe ea ſunt antiquitate, ut, cum initia earum in nullis Conciliorum aut Pontificum ſtatutis reperiantur, juxta regulam Tertulliani & Auguſtini ab ipſis Apoſtolis traditæ cenſeri debeant. Clarum in hanc rem teſtimonium eſt Tertulliani, qui L. de Cor. Mil. C. 3. & 4. poſt recenſitas quaſdam, præſertim Baptiſmi, Cæremonias, ut eſt renunciatio Dæmoni fieri ſolita, trina immerſio &c. ſubjungit: *harum & hujusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur*

au-

auctrix, *consuetudo confirmatrix*, & *fides observatrix*. Idem testatur Basilius L. de Spir. S. C. 27. *benedicimus*, inquit, *aquam Baptismatis*, & *o[illegible]m unctionis*, *imo ipsum etiam*, *qui Baptismum accepit*, *ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque traditione?*

Neque interim diffitemur esse nonnullos Sacramentorum ritus, quorum origo non ad Apostolos, verum ad Concilia vel Pontifices, ipsamque adeo Ecclesiam referenda est. Ita August. Ep. 54. alias 118. ad Januar. meminit, post Apostolorum ætatem quædam esse in Ecclesiis instituta, *quæ per loca terrarum*, *regionesque variantur*. Consulantur in hanc rem Conciliorum & Pontificum Decreta, vetusta Latinorum Ritualia & Græcorum Euchologia, antiquorum item Scriptorum, Justini, Tertulliani, Cyrilli Hierosol. Augustini & aliorum monumenta; his certe omnibus docemur, jam inde a primis Seculis Ecclesiam ritus quosdam instituisse, alios vero abolevisse, prout videlicet ad Sacramentorum venerationem & fidelium pietatem magis expediebat. Qua in re jure suo usam esse Ecclesiam ne dubitaremus, Concil. Trid. Sess. 21. Cap. 2. declaravit, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse*, *ut in Sacramentorum dispensatione*, *salva illorum substantia*, *ea statueret vel mutaret*, *quæ suscipientium utilitati*, *seu ipsorum Sacramentorum venerationi*, *pro rerum*, *temporum*, & *locorum varietate magis expedire judicaret*. Neque est quod de hoc controvertat quispiam. Novimus Judæorum Synagogam sacros quosdam ritus instituisse, ut sunt nova Festa Judithæ, Estheris & Machabæorum temporibus addita &c. an vero minorem esse dicemus Ecclesiæ potestatem? Ad ejus sane ministerium pertinet: promovere cultus divini Majestatem, Sacramentorum venerationem, fidelium pietatem &c. quid vero illa spectat aliud? cum aut veteres ritus abolet, aut novos instituit.

§. II.

An conveniens sit in Sacramentorum ministratione quasdam cæremonias observari?

NIhil perinde crebrius a Novatoribus audias, atque sugillari Ecclesiæ cæremonias, quas, quod in verbo Dei scripto non reperiantur, velut commenta humana, & fictitium ac superstitiosum Dei Cultum per summam injuriam traducunt. Mirum vero istud vel ideo, quod primævæ Ecclesiæ authoritati plurimum se deferre jactent adeo, ut eam etiam nobis identidem objectare non vereantur. Quid vero illa? an non perinde in Sacramentorum præsertim Baptismi ministratione usa est cæremoniis, & pluribus quidem quam nostra? impudentis sane foret negare istud post clara Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Hierosol. Basilii Mag. Augustini, aliorumque PP. & veteris Historiæ testimonia. Vel hæc igitur tanta authoritas satis momenti adfert ad reprimendam in præsenti Sectariorum licentiam, probandasque sacras cæremonias, quas usu suo prima illa, & (Novatoribus ipsis fatentibus) sancta comprobavit Ecclesia. Sit interim præterea de hoc peculiaris

ASSERTIO.

Convenit omnino Sacramenta ministrari certo ritu, ac quibusdam cum Cæremoniis.

204 ARgumentum in hanc rem est ex Concilio Trident. quod Seff. 22. Cap. 5. de Sacramento Euch. & Missæ Sacrif. agens, *cum natura*, inquit, *hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad usum divinarum meditationum sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam - - instituit, cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disci-*

disciplina & Traditione, quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Eadem legere est in Catech. Rom. jussu Tridentinæ Synodi adornato P. 2. n. 16. ubi hæc habentur: *Ac merito quidem a primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam cæremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipsæ magis declarant, ac velut ante oculos ponunt, & earum rerum Sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis & charitatem excitant &c.*

En ex mente Ecclesiæ cæremoniarum finem! Referuntur videlicet illæ ad majestatem & reverentiam divinis mystériis conciliandam: ad eorum notitiam velut oculis fidelium subjiciendam: ad pietatem denique excitandam & fovendam; ac re ipsa id etiam obtinetur apud eos, qui ad sacrorum rituum apparatum non oculos tantum, sed & animos rite comparatos advertunt, ut fidelium docet experientia. Quid vero his convenientius? quid ad Sacramenta digne ac utiliter ministranda accommodatius?

205 Oppones forte, complures Ecclesiæ cæremonias ex ritibus Judæorum originem ducere: quin earum aliquas Gentilibus ipsis in usu fuisse; superstitione igitur Sacramenta pollui necesse est, si hujusmodi ritu ministrentur.

Resp. illationem non esse legitimam. Nempe, & ipsi Judæorum ritus authorem habuere Deum. Tametsi proinde rejiciendi sint illi, quibus Evangelicæ legis prænunciabantur mysteria, ut erat Circumcisio, cruentum sacrificium, esus a-

gni &c. pie attamen retinentur alii, e. g. usus sacrarum vestium, luminis, incensi &c. quibus exterior cultus divini decentia spectabatur.

At id genus multa Gentiles etiam in suis sacris usurpabant; quid tum vero? an, quia Gentilibus fuere templa, sacrificia, & virgines vestales, impium sit nobis excitare sacraria, offerre sacrificia, sacras Virgines velare? fas erat Ecclesiæ Pantheon & alia ethnicorum delubra in veri Dei cultum convertere: & nefas sit eidem externa quædam rituum signa, quæ illi superstitione sua polluebant, divinis officiis addicere & religioso usu consecrare? Nempe, ad idola referebant Gentiles cultum illum exteriorem: eodem, pravis opinationibus occupati, fœdos mores in suis formabant; atque hoc erat religionis officia inquinare, hoc esse superstitiosos, hoc sacrilegos. Nihil in his Ecclesiæ commune cum illis. Retinuit externa rituum signa: at, simul eadem ad cultum veri Dei, fovendamque in eum religionem retulit, simul omnem paganæ superstitionis & sacrilegii maculam eluit. Momentum his addat Augustinus, in simili contra Faustum L. 20. C. 21. arguens: *sicut non ideo contemnenda vel detestanda est virginitas sanctimonialium, quia & Vestales virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt & sacrificia Gentium. Quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur atque reddatur: sic inter sacrificia Paganorum & Hebræorum multum distat eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata & oblata.*

§. III.

An etiam necesse sit statas Ecclesiæ in Sacramentis ministrandis cæremonias adhibere?

NOn ea est Sacramentorum conditio, ut rata esse nequeant, nisi cum recepto cæremoniarum apparatu ministrentur. Quin

Quin & illud indubitatum est: cum necessitas aut quævis alia urgens causa intercedit, absque piaculo omitti cæremonias. Ita primis Ecclesiæ Seculis, sævientibus in Christianos Tyrannis, in cryptis ac locis abditis fere simplici cultu ac sine ullo apparatu divina Mysteria peragebantur: ac hodie etiam, cum solemni ministrationi urgens casus locum & tempus non relinquit, peraguntur, ut præsertim exemplum est in Baptismo parvulorum vita periclitantium. Id igitur dumtaxat sub quæstionem venit: num in solemni Sacramentorum administratione arbitrarium sit cuique præscriptas ab Ecclesia cæremonias observare vel omittere, aut etiam novas adjicere?

ASSERTIO.

Sacramenta ministranda sunt cum receptis Ecclesiæ Cæremoniis: neque hæ omnino regulariter sine peccato negligi possunt.

Assertio hæc est fidei post expressam Concilii Trid. Sess. 7. C. 13. definitionem, quæ ita habet: *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Adjecta isthic particula *solemni* excludit casum necessitatis; inde in Assertione consulto dictum, *regulariter* sine peccato negligi non posse cæremonias. Has easdem *inviolate* observandas peculiariter Pius V. præcepit Bulla, quæ legitur pro fronte Missalis ac Breviarii: tum & Paulus V. in Bulla Rituali Romano præfixa.

206

Ex his vero pro Assertione & illud enascitur momentum: quod Ecclesiæ, uti alia, sic & usum cæremoniarum potestate a Deo accepta præcipienti sit obsequendum; ut adeo, si contra fiat, pro transgressionis ratione culpa etiam incurratur. Monet nimirum universim Apostolus Rom. 13. *qui resistit potesta-*

ri, Dei ordinationi resistit ; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ac sane nisi hac lege teneamur, integer perstare nequit sacri Ministerii ordo, omnemque Ecclesiasticæ disciplinæ compagem dissolvi necesse erit. Quod si enim vel ipsis Episcopis (nihil ut dicam de aliis) arbitrarium sit ab Ecclesiæ ritibus recedere, veteres quosdam revocare, nunc receptos rejicere, novos inducere : quæ non inde in Ecclesiam perturbatio ? *Ipsa quippe*, ut notat Augustin. Ep. 54. alias 118. *mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Inde ibidem monens Ecclesiæ disciplinam esse observandam, *neque enim*, ait, *disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit.*

207 Opponi potest I. Augustinus, qui paulo ante cit. Ep. de ritibus differens dicit, non recte agi ab illis, qui Religionem, *quam Deus paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt ;* item, quemvis *habere liberas observationes ;* ex mente igitur Augustini, non est ulla cæremonias usurpandi necessitas. Ac revera earum, quas vetus observabat Ecclesia, multæ jam libere omittuntur, e. g. in Baptismo mellis ac lactis degustatio, trina immersio &c. cur autem reliquarum conditio sit potior ?

II. Cæremoniarum usus originem duxit ex necessitate, aut commodo aliquo fidelium ; ut e. g. cum persecutionum metu sacra peragerentur in cryptis, aut obscuris aliis subterraneis locis, necesse erat lumina & incensum adhiberi, quo tetri halitus ac tenebræ depellerentur ; nunc, cum id genus causæ nos non urgeant, quid ni liberum sit usu similium, olim quidem necessario, hodie autem jam superfluo, abstinere ?

Resp. ad I. S. Doctor in laudata Ep. eos dumtaxat insectatur, qui veteris legis cæremonias obtrudunt : aut universim omnes particularium Ecclesiarum ritus observari volunt ; utrumque istud onus esse ait libertati Christianæ adversum. Inde

de primum commendat ibidem sacras cæremonias, quin eas etiam retinendas monet, *exceptis iis, quæ servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant.* Tum in observanda Ecclesiastica disciplina eam statuit regulam, ut quisque suæ Ecclesiæ morem sequatur; *quod enim*, ait, *neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos initur, societate servandum est;* nominatimque de ritibus Eucharistiæ loquens, *faciat ergo quisque*, inquit, *quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.* In reliquis demum, quæ neque universos fideles obligant, nec peculiaria sunt Ecclesiæ propriæ, verum accessoriorum dumtaxat & indifferentium rituum nomine veniunt, *liberas* unumquemque ait *habere observationes.* Quod ad veteres quosdam ritus attinet, omittuntur hodie omnino; at non privatorum authoritate: verum Ecclesia ita definiente, aut tacito saltem consensu approbante.

Resp. ad II. Tametsi cæremoniæ quædam necessitate vel commodi fidelium causa fuissent inductæ: neque tamen idcirco arbitrarium esse quisquam dixerit earum usum, postquam videlicet probatæ sunt ab Ecclesia, ac ex hujus mente mystica in illis rerum spiritualium symbola nobis exhibentur. Rejicitur interim a plurimis opinio Claudii de Vert, qui in peculiari suo de Ritibus Ecclesiæ Opere contendit, cæremoniarum originem a fidelium commodo dumtaxat vel necessitate esse repetendam. Ut enim nihil dicam de aliis, qui Vertii opinationem confutandam susceperunt, ipse hodiernus sacrorum Antistes summus, idemque Eruditorum decus BENEDICTUS XIV. Scriptorem hunc nimium fuisse ausum asserit in Op. de Festis D. N. J. C. & B. M. V. Annot. de Sabbato sancto N. 393. & de Purif. B. M. V. N. 22. Recedit nimirum Vertius a communi Orthodoxorum sententia, quorum vel doctissimi pro indubitato habent, in prima statim Rituum institutione divini cultus decentiam & rerum spiritualium mysteria spectasse Ecclesiam:

tam-

tametsi eorum aliqui nonnunquam & commodo fidelium servierint, ut e. g. luminaria fugandis tenebris &c. Nobis, quia isthic prolixis esse non licet, sufficiat primum retulisse testimonium Tertulliani L. de pallio C. 5. ubi pallium, quod Catechumenis post solitas renunciationes dabatur, symbolum fuisse Christianæ humilitatis asserens, *grande*, inquit, *pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescunt.* Accedat dein & Hieronymi authoritas, qui L. contra Vigilantium luminis in Ecclesia usum propugnans, *quando legendum est*, inquit, *Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum &c.*

§. IV.

Qui sint Sacramentis omnibus communes & magis universales Ecclesiæ ritus?

PEculiares singulorum Sacramentorum cæremonias suis locis speciatim explanabimus; isthic notandæ venient dumtaxat magis communes ac universales, ut sunt: usus sacrarum vestium, luminis, incensi, signi crucis, aquæ lustralis, & linguæ latinæ. Usus singulorum comprobandus erit Veterum testimoniis: tum & mystica significatio exponenda.

De sacris Vestibus.

08 USum sacrarum vestium in primæva Ecclesia fuisse ex Polycrate Ephesi Episcopo docet Eusebius Historiæ suæ L. 3. C. 31. ubi refert, Joannem Evang. adhibuisse Pontificale πέταλον, laminam scilicet aut vittam. Tertullian. etiam L. de Monog. C. 12. meminit *infularum* Pontificalium; Gregorius Nazianz. Orat. 2. *Sacerdotalis stolæ*; ac universim sacrorum vesti-

vestimentorum Cyrillus Hierof. apud Hermiam Sozomenum L. 4. C. 24. Videatur de hoc argumento Honoratus a S. Maria in Animadverf. Crit. Tom. 2. Differt. 6. Uti autem in lege veteri Exodi 28. voluntate Dei Aaron, fic & nunc Sacerdotes *in gloriam & decorem* divini officii facris veftibus ornantur. Eædem fymbolum funt mundæ confcientiæ & virtutum ornatus, quo facra miniftrari oportet. Inde eft Innocentii I. de Myft. Miffæ C. 64. monitum: *attendat Sacerdos ftudiofe, ut fignum fine fignificato non ferat.*

De Luminaribus.

Lumina apud veteres fideles in facris adhibita teftantur, Hieronymus L. 2. contra Vigilant. Gregorius Nazianz. Orat. 4. in Julianum, Gregorius Turon. L. de Gloria Mart. Cap. 5. Gregorius M. Dial. 3. Si qui autem veterum infectantur cereorum accenfionem, id agunt adverfum eos, qui rituum hunc fuperftitionibus fuis profanabant. Ita intelligendus eft Lactantius Divin. Inft. L. 6. & Concil. Eliber. Can. 34. ut ex contextu pronum eft colligere. Eft vero in Ecclefia luminum ufus in fignum luminis fpiritualis feu fidei, & lætitiæ. Hieronymi teftimonium in hanc rem fuffecerit: *quicumque*, inquit L. 2. contra Vigilantium, *accendunt cereos, fecundum fidem fuam habent mercedem.* Et rurfum contra eundem: *cereos non clara luce accendimus, ficut fruftra calumniaris; fed ut noctis tenebras hoc folatio temperemus & vigilemus ad lumen, ne ceci tecum dormiamus in tenebris;* ex quibus poftremis verbis patet, S. Doctorem fenfu myftico loqui, de tenebris videlicet fpiritualibus, in quibus ob errores fuos Vigilantius dormiebat. Denique ibidem Hieron. ait, ad Evangelii lectionem, jam rutilante fole, accendi luminaria: *non utique ad fugandas tenebras, fed ad fignum lætitiæ demonftrandum.* 209

De Thuris incenſo.

210 ANtiquum in Eccleſia thuris adolendi uſum multis demonſtrat Author Op. de Eccl. Hierar. C. 3. ex Act. 3. Concilii Chalcedon. & aliis monumentis, quæ refert Bona L. 1. C. 25. Eundem evincunt vetuſtiſſima thymiamateria, ſeu thuribula; aliquot eorum ex auro puriſſimo una cum aromatis Baſilicæ Lateranenſi a Conſtantino M. Sec. IV. Imper. oblata ſcribit Anaſtaſius Biblioth. in Vita Sylveſtri Sect. 36. Idem docent Ambroſii L. 1. in Lucam N. 28. verba: *utinam*, inquit, *nobis quoque adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus adſiſtat Angelus &c.* Cæremonia porro hæc eſt ſymbolum orationis & earum virtutum, per quas *Chriſti bonus odor* efficimur. Significatur eadem juxta S. Thomam effectus gratiæ: cumprimis autem cultus latriæ Deo, tanquam ſupremo rerum omnium Domino, debitus; inde jam Exodi 30. Deus præcepit, ne thus in alium uſum adhiberetur: *talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* Hinc cum apud Iſaiam Dominus dicit, *incenſum abominatio eſt mihi*, eorum dumtaxat incenſi oblationes aſpernatur, quorum manus *plenæ ſunt ſanguine*, nec quieſcunt *perverſe agere*, ut ibidem ait Propheta, & explicat Gregorius Nazianz. Orat. 3. contra Julianum.

De Signo Crucis.

211 NUllus in Eccleſia antiquior ac magis frequens ritus ſigno Crucis. Certe Tertull. de Cor. Mil. *ad omnem*, inquit, *progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra & menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quocumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſigno terimus.* Vel hinc autem colligas multo amplius iſtud in uſu fuiſſe in ſacris, quod ipſum teſtatur Auguſt. Tract. 118.

in

in Joan. his verbis: *quod ſignum niſi adhibeatur frontibus credentium; ſive ipſi aquæ, qua regenerantur; ſive oleo, quo chryſmate inunguntur; ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Idem in Def. Perp. Fidei Tom. 5. L. 7. C. 6. pluribus oſtenditur ex PP. Græcis & Latinis, ac immemoriali Eccleſiæ tam Occidentalis quam Orientalis conſuetudine. At quo ſpectat, inquies, hæc cæremonia? eo primum, ut Paſſionis Domini memoria in fidelibus excitetur: tum, quo ſacroſancto hoc ſigno adverſum Dæmonum impetitiones nos communiamus; etenim, ut Orig. ait Hom. 6. in Exod. *Dæmones timent Crucem JESU Chriſti, & tremunt, dum illa vident ſignari fideles.*

De Aqua luſtrali.

Aqua luſtralis eſt nobis ſymbolum interioris ablutionis; eademque per Eccleſiæ preces ſanctificata valet ad obtinendas a Deo gratias, & fugandos Dæmones. Teſtimonium in hanc rem eſt Hieronymi, qui apud Hilarionem Tom. 4. P. 2. narrat, aquæ hujus aſperſione diſſipatas Ethnici aurigæ præſtigias. Theodoretus etiam Hiſt. Eccl. L. 5. C. 21. refert, a Marcello Apamenorum Epiſcopo luſtralis aquæ beneficio fugatos Dæmones. Uſum porro ſacræ hujus luſtrationis a traditione Apoſtolica originem habere vel illud argumento eſt, quod primam illius inſtitutionem nuſpiam reperiamus. Demonſtrant iſtud pluribus Baronius ad An. Chr. 132. Num. 3. Bona de Reb. Liturg. L. 1. C. 20. Bellarmin. L. 3. de Cultu SS. C. 7. & alii. Neque eſt, quo Novatores iſthic nobis obtrudant Alexandri I. Decretum; tametſi enim illud a quibusdam pro genuino habeatur, non plus attamen evincit, quam quod Alexander luſtralis aquæ cæremoniam jam ante inſtitutam, authoritate ſua confirmaverit. Non deſunt interim, qui contendant, Decretum hoc non eſſe genuinum, verum ab Iſidoro Merc. ſuppoſitum. Vide cit. AA. 212

De Usu Linguæ Latinæ.

213 JAm a veteri receptus est in Ecclesia Occidentali mos, Sacramenta idiomate latino ministrandi. Hunc ipsum, cum subinde (præsertim quoad Missæ sacrificium) Novatores pro lingua vernacula magnis clamoribus pugnarent, Synodus Trident. peculiari Decreto confirmavit, ut videre est Sess. 22. de Missæ Sacr. Cap. 8. & Can. 9. Eandem ob causam a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* damnata est Quesnelli propositio 86. Ac hunc quidem sancte ac laudabiliter observari, multis evincunt Bellarm de Sacr. in Gen. C. 30. Bona de Reb. Liturg. L. 1. Thomassin. Tom. 1. L. 2. ac præter multos alios nominatim BENEDICTUS XIV. S. P. in Comment. de Sacrif. Missæ Sect. 1. a N. 71.

Nobis in hanc rem vel illud memorasse sufficiat: si lingua vulgari ministranda essent Sacramenta, quanta in Ecclesiam induceretur difformitas, imo & periculum sacra mysteria exponendi deridiculo, ac etiam sæpe frustrationi! Nempe, ut multarum Gentium exemplo docemur, pronissimum est linguam vernaculam mutari, ac id quidem in deterius nonnunquam adeo, ut vocabula a prima significatione non modo desciscant, sed & fœde corrupta risui magis excitando, quam rebus significandis deserviant. Laudabili igitur hoc more consultum est & Ecclesiarum uniformitati, & Sacramentorum venerationi. Inde constans fuit in hoc Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ consensio, ut sicut illa Originariam linguam, nempe Græcam literatam, sic & hæc latinam semper retineret: tametsi tam Orientalium quam Occidentalium pars potior sacras has linguas non intelligeret. Vide de hac Consensione Renaudotium in Collect. Liturg. Orient. Tom. 1. Consulendus hic etiam peculiariter Honoratus a S. Mariâ in Animadv. Crit. Tomo 3. Dissert. 3. & 4.

214 Opponunt Novatores I. cum Fideles plurimi linguæ latinæ-

næ ſint ignari, neceſſe eſt eos privari fructu ſpirituali, quem ex Sacramentorum miniſtratione poſſent percipere. Inde ajunt monuiſſe Apoſtolum 1. ad Cor. 14. *Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit.*

II. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innoc. III. Cap. 9. approbat, ut quælibet Natio lingua vulgari Divina Officia perſolvat.

III. SS. Cyrillus & Methodius, cum Moravos ad Religionem Chriſtianam traduxiſſent, lingua eorum vernacula, nempe Slavica, in Miſſæ ſacrificio, ac reliquis Divinis Officiis uſi ſunt.

Reſp. ad I. Non privari fructu ſuo fideles; tametſi enim ignorent ipſa verba, quæ a Miniſtro proferuntur: norunt tamen, quid divinis Myſteriis ac officiis ſignificetur; de his ipſis nempe erudiuntur a ſuis Paſtoribus, ut conſtituit Trident. Syn. Seſſ. 22. Cap. 8. Nec facit quidquam iſthuc locus ex Apoſt. relatus: agit illic de linguarum dumtaxat dono, quod Corinthiis multis conceſſum fuit, jubetque, ut eo utantur ad ædificationem; ne confuſe ſcilicet ac perturbate ſimul omnes, ſed *ſecundum ordinem* loquantur; *ſi enim*, inquit ibidem, *conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes ſimul linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quod inſanitis?*

Reſp. ad II. Laudatum Concilium agit de Græcis tantum & Latinis, qui eaſdem ſimul incolebant Civitates; his ergo permittit, quin & præcipit, ut Natio quælibet ſua lingua utatur in Divinis Officiis. Concilium nempe hoc ſub id tempus (circa An. 1215.) coactum fuit, quo Byzantium & Hieroſolymæ in poteſtatem Latinorum devenerant; unde neceſſe erat hos Græcis miſceri iiſdem in Urbibus.

Reſp. ad III. Ad promovendam Moravorum converſionem conceſſum id fuit ab Hadriano II. ut refert Æneas Sylvius in Hiſt. Boh. C. 13. & notant Bollandiſtæ ad 9. Martii. Quid vero hinc Novatoribus præſidii? jam ſupra meminimus, pote-

 ſtatem

ſtatem eſſe Eccleſiæ ritus ſtatuendi & mutandi. Cæterum hæc ipſa conceſſio Moravis facta (ceſſante videlicet ejus cauſa) non multo poſt a Joanne VIII. revocata eſt : *audivimus etiam* (ſunt verba ex Ep. Joannis Papæ ad Methodium) *quod Miſſam cantes in barbara, hoc eſt, in Slavica lingua ; unde jam literis noſtris per Paulum Ep. tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua Miſſarum ſolemnia celebrares, ſed vel in latina, vel in græca &c.* Ex quo ipſo ad jam dicta non leve accedit momentum.

LIBER

LIBER II.
DE
Baptismo.

SPeciatim de Sacramentis acturi a Baptismo, qui reliquorum janua dicitur, initium facimus. Argumenti hujus Dissertationes erunt quatuor. I. De Natura & Institutione Baptismi. II. De Effectibus & necessitate. III. De Ministro & subjecto. IV. De Cæremoniis. His fundamenti instar sint Conciliorum ac Pontificum Decreta, quæ in ipso Libri aditu referimus.

CANONES CONCILII TRIDENTINI
ex Decreto Sess. VII. de Baptismo.

I. SI quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

II. Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri JESU Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

III. Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

V. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

VI. Si

VI. Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ Legis Christi servandæ; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt; ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo; anathema sit.

X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, verum, & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse: ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adole-

adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; &, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

DECRETA ALIORUM CONCILIORUM.

Ex *Concilio Florentino.* Materia hujus Sacramenti *(Baptismi)* est aqua vera & naturalis. *Et infra:* Si exprimitur actus *(baptizandi)* qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. *Deinde Baptismi formam esse ait:* ego te baptizo in nomine &c. *ac mox:* non tamen negamus, quin & per illa verba: baptizetur vel baptizatur manibus meis talis servus vel serva Dei in nomine Patris &c. verum perficiatur Baptisma. *Denique:* hujus quoque Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, originalis & actualis. *In Decreto Eugenii IV. ad Armenos*, §. 1.

Ex eodem Florentino. Minister hujus Sacramenti *(Baptismi)* est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. *In Decr. Eug. IV. ad Armen.* §. 1.

Ex eodem Florentino. In casu necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia. *In cit. Decr.* §. 1.

Ex Concil. Arelatensi I. An. 314. *Can.* 8. Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trini-

 tatem,

tatem, baptizetur. *Concilium hoc a quibusdam inter Oecumenica refertur.*

Ex Concilio Constantinopol. I. An. 381. *In Symbolo:* Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.

Ex Concilio Lateranensi IV. An. 1215. *Can.* 1. Sacramentum Baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem.

Ex Concilio Milevitano (huic interfuit S. Augustinus) An. 416. *Can.* 2. Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit. *Concilium hoc tametsi non sit œcumenicum, magnæ attamen in Ecclesia est authoritatis vel ob præsentiam S. Augustini.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ AB ALEXANDRO VIII.

XXVII. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris &c.* prætermissis illis: *Ego te baptizo.*

XXVIII. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo, quod facit Ecclesia.*

DISSERTATIO I.
DE BAPTISMI NATURA ET INSTITUTIONE.

§. I.
Quid sit Baptismus?

Vocabulum *Baptismi* originem ducit a græco verbo βάπτω, vel βαπτίζω; quod quamvis proprie idem sit, ac *mergo*, sæpe

sæpe tamen, latiore saltem significatione, etiam pro *abluo* sumitur. Quod proinde Græcis *βάπτισμα*, nobis est *mersio* vel *ablutio*. Et utroque omnino hoc sensu Baptismi nomen legere est in scriptura, Lucæ 11. Marci 7. Hebr. 9. 10. ac reliquis locis, quibus memorantur Judæorum & Pharisæorum Baptismata, propter quorum frequentiam eos S. Justinus in Dial. cum Triph. *Baptistas* compellat. Quin in iisdem S. Literis, ac apud PP. etiam propter quamdam cum *ablutione* analogiam, vox *Baptismi* pro afflictionum tolerantia, Martyrio, Pœnitentia, aliisque quibusdam rebus significandis usurpatur. Ita Lucæ 12. Christus dixit, *Baptismo autem habeo baptizari*, id est, pati & & morte affici; hinc Theophylactus in hunc locum, *Baptisma autem*, inquit, *mortem suam dixit*. Similiter Marci 1. & Lucæ 3. legitur Joannes *prædicans Baptismum Pœnitentiæ*; quam ipsam Gregor. Nazian. Orat. 39. *lachrymarum Baptisma* vocat. Baptismi demum nomine venit ritus ille sacer ablutionis per aquam, qua cum baptizamur in corpore, spiritu renascimur: quique ipse est Sacramentum illud, quo Christo ac ejus Ecclesiæ initiamur, & Christiani efficimur. Atque de hoc dumtaxat Baptismo in præsenti Libro nobis erit sermo; & primum quidem de ejus definitione.

Definitio Baptismi.

Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.

DEfinitio hæc, quæ ipsa est in Concilii Trident. Catechismo P. 2. de Sacr. Bapt. N. 5. naturam Baptismi rite exponit. Dicitur nempe *Sacramentum regenerationis*; Baptismus etenim est *res sensibus subjecta*, qua ex institutione Christi juxta illud Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* in spiritu regeneramur, ac ex filiis iræ efficimur filii Dei. Quod additur, *per aquam*: materiam Baptismi indicat, aquam videlicet, simulque ejus usum & applicationem, seu ablutio-

 nem,

nem per aquam. Illud demum *in verbo* formam exprimit, quæ habetur per verba: *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Continentur hæc omnia illo Christi Matth. 28. & Marc. 16. *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c. qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Item Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Denique ad Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Quæ apud PP. passim occurrunt Baptismi definitiones, fere naturam ejus integre non exponunt: verum nunc ad solam materiam vel formam, alias ad effectum dumtaxat referuntur. Ita sæpius legas Baptismum dici, *lavacrum aquæ*, *undam genitalem*, *Sacramentum fidei vel Trinitatis*, *signaculum Redemptionis*, *peccati diluvium*, *incorruptionis indumentum &c.* Non infrequenter etiam, ab effectu fidei in Baptismo illuminantis, Sacramentum *illuminationis* vocabatur; idque, apud Græcos præsertim, adeo in usu fuit, ut novos fideles passim dicerent *illuminatos*, Baptismum autem *sancta lumina.* Hoc sensu certe Cyrillus Hierosf. Orationes ad recens baptizatos habitas, *Catecheses illuminatorum* inscripsit: & Gregor. Naz. suis de Baptismo sermonibus, *Orationes in sancta lumina*, nomen indidit.

Ab iisdem PP. & DD. Baptismi nomen sæpe attribuitur Martyrio, & Pœnitentiæ, vel perfectæ charitati; inde enata illa divisio in Baptismum *fluminis*, *flaminis*, & *sanguinis.* Quin a quibusdam dividitur etiam in Baptismum per immersionem, & Baptismum per affusionem vel aspersionem. At hæc omnia nihil officiunt, quo minus juxta Apost. Eph. 4. uti *unus Dominus*, *una fides*, ita pariter sit *unum Baptisma.* Nempe, ut ex infra dicendis patebit, immersio & affusio non reddunt Baptismum quoad substantiam diversum; Martyrium autem & Pœnitentia cum charitate per analogiam dumtaxat aliquam, quod eumdem videlicet effectum operentur, Baptismi nomen obtinuerunt. Hinc D. Thomas 3. p. qu. 66. Art. 11. in Resp. ad 1.

in-

inquit: *alia duo Baptismata* (flaminis nempe & sanguinis) *includuntur* (quoad effectum) *in Baptismo aquæ, qui habet efficaciam ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto: & ideo per hoc non tollitur unitas Baptismi.*

Sectariorum Definitiones rejiciuntur.

COmplures Sectarii Sacramentum Baptismi speciosis admodum, & quæ a nostris vix differunt, verbis definiunt. Si eorum tamen sensum ex principiis illorum æstimes, eo spectant omnes, ut excludatur Sacramenti efficientia, vel inhærens gratia & spiritualis regeneratio, vel saltem Baptismi necessitas. Inde definitiones hujusmodi, eo, quo a sectariis proferuntur sensu, omnino rejiciendæ sunt. Ita nominatim

2 I. Errat Melanchton in loc. suis commun. Baptismum definiens, esse *signum, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam.* Sane hæc omnia & reliquis Sacramentis, quin ipsi etiam prædicationis verbo conveniunt. Supponit præterea, Lutherum sequutus, Baptismum esse nudum signum, quod excitet quidem in baptizato fidem, non perinde tamen ex se operetur regenerationis gratiam.

3 II. Erronea est etiam definitio, quam profert Calvinus L. 4. Instit. C. 15. *Baptismus*, inquit, *est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur.* Nempe, præterquam quod *signum* eodem, quo Lutherus & Melanchton, sensu accipiat, non explicat etiam Baptismum per præcipuum ejus effectum, seu interiorem hominis regenerationem; solius enim in Ecclesiam & inter filios Dei cooptationis meminit, quæ in Baptismo est quid secundarium. Vide, quæ L. 1. N. 5. & 12. adversum Calvini de Sacramento in genere opinionem notata sunt.

4 III. Non minus rejicienda est definitio Socini, L. de Eccl. Tit. de Bapt. & Disput. de Bapt. asserentis, Baptismum esse

adumbrationem remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis apertam professionem, & in ipsius Religionem quamdam initiationem; per quem nihil revera datur, sed tantummodo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam agnitio significetur. Insistit Socinus isthic, ut vides, errori suo, cujus jam supra L. 1. N. 4. & 9. meminimus. Nihil efficere ait Bapismum, verum otiosam dumtaxat esse professionis & initiationis cæremoniam, nudamque remissionis peccatorum dandæ, aut jam datæ tesseram. Erronea hæc esse omnia ex jam dictis patet, ac patebit amplius ex dicendis.

5 IV. Sed & alius Socini error isthic compendio est perstringendus. Ex eo, quod a Patribus Baptismus vocetur *Sacramentum fidei & illuminatio*, ausus est in supra cit. locis comminisci, nomine Baptismi in sacris Literis intelligi *institutionem, doctrinamque Evangelicam.* Inde, Baptisma Joannis non aliud fuisse docet, quam ipsius prædicationem; & illa Christi verba apud Matth. *euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* id significare unum: *ite, docete prædicantes & imbuentes fide &c.* Quid vero doctrina hac sua spectabat Socinus? illud, ut confirmaret errorem alterum, quo Baptismi necessitatem negabat, una asserens: *baptizari aqua* idem esse, ac *fidem Christi palam testari*, quod perinde signo etiam alio fieri potest. Atque hoc est, quod indicat Disp. de Bapt. C. 5. cum ait: *aqua baptizari in nomine Christi nihil aliud est, quam publice Christo nomen dare, ejusque fidem palam testari ac profiteri; ita ut non Christianum ulla ex parte Baptismus efficiat, sed indicet atque declaret.*

Error porro hic adeo manifestus est, ut supervacaneum censeam eum multis impugnare. Quod si enim Joannis Baptismus non aliud fuerit, quam ejus prædicatio, quomodo Hierosolymitæ Marc. 1. *baptizabantur ab illo in Jordanis flumine?* quomodo ipse Joannes dixit ibid. 8. *ego baptizavi vos aqua &c.*

præ-

prædicationi igitur suæ adjecit & ablutionis ritum, a prædicatione diversum. Ad Christi vero Baptismum quod attinet, si hic idem sit cum doctrina, cur Apostolus hæc inter discrimen facit 1. Cor. 1. *non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Cur Eunuchus post acceptam a Philippo fidei doctrinam Act. 11. dixit, *ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Ac sane, si opinio Socini obtineat, manifesta est tautologia in illis Christi verbis: *docete omnes gentes baptizantes &c.* item: *qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* idem enim istud erit, ac dixisse: *docete omnes docentes &c. qui crediderit & crediderit &c.* quis vero hæc nisi impius ausit asserere? Certe vel Socini Sectatoribus multis adeo probata non est hæc opinio, ut ab ea recedendum censuerint, Wolzogenius in C. 28. Matth. Slichtingius in 1. ad Cor. ac præter alios Wolchelius L. 6. de vera Relig. C. 6. ubi Baptismum esse Christianæ professionis symbolum affirmans, nominatim addit: *at per intinctionem in aquam.* Cætera, quæ ad Socini errorem plenius confutandum faciunt, petenda sunt ex iis, quæ infra de Baptismi materia & forma, ejus item necessitate dicturi sumus.

§. II.

Quo tempore Christus Baptismum instituerit?

Fide certum est ex Concil. Trident. Sess. 7. de Sacram. in Gen. Can. 1. Baptismi Authorem esse Christum; de solo itaque institutionis tempore isthic disceptatur, bifariam divisis inter se non modo scholasticis Doctoribus, sed & ipsis Patribus. Non nisi post mortem ac resurrectionem suam Christum instituisse Baptismum, e Patribus docet Tertullian. L. de Bapt. C. 11. Chrysostom. Hom. 28. in Joan. ac probabilius etiam Leo I. Ep. ad Episcopos Siciliæ; e Scholasticis autem, præter Albertum Magnum, Rupertus L. 3. in Joan. Alensis P. 4. de

Sa-

Sacram. qu. 8. Art. 3. Melchior Canus L. 8. de Locis Theol. C. 5. Potior contra tam Patrum quam Scholasticorum pars existimat, institutionem Baptismi factam esse ante mortem Christi. At hos inter rursum in ipso tempore definiendo non convenit. Plurimi cum D. Thoma, Petro Lombardo, Vasquezio, Bellarmino, Marino, Platellio, Tournelyo, Authore de Re Sacram. & Bertio censent, id tum a Christo præstitum, cum in Jordane baptizaretur; cum S. Bernardo & Estio alii eo tempore, quo Christus Nicodemo Joan. 3. dixit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* quidam cum Simoneto post jejunium Christi, cum videlicet Discipulos ad prædicandum & baptizandum mitteret; sunt denique, qui cum Scoto, Gabriele Biel & Suarezio incertum esse dicant institutionis tempus. Mihi tot inter variantes Authorum opiniones, cum postremis sentiendum videtur.

ASSERTIO I.

Verisimilius est, Christum ante mortem suam instituisse Sacramentum Baptismi.

6 PRobatur Assertio. Usus Baptismi Christi fuit ante ejus passionem; quid ni igitur jam erat institutus? Usum autem hunc fuisse docemur ex Joan. C. 3. ubi, *post hæc*, inquit, *venit JESUS & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*, per Discipulos videlicet: nam C. 4. Evangelista subjungit, *quamquam JESUS non baptizaret, sed Discipuli ejus.* Istud vero cit. locis narratur factum ante Joannis incarcerationem, quæ Christi passionem longe antecessit, ut videre est Matth. 14.

At Baptismus hic forte non erat diversus a Joannis Baptismo? ita equidem adversæ sententiæ Patroni; oppositum attamen verisimilius esse censeo. Etenim

I. Ipse Joannes suum inter & Christi Baptismum differentiam

tiam ſtatuit Marc. 1. *ego*, inquit, *baptizavi vos aqua*, *ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto*; & Joan. 1. *hic eſt*, *qui baptizat in Spiritu Sancto*. Quibus verbis innuit, Baptismum Chriſti fuiſſe per Spiritum Sanctum, ejus videlicet operationem: ſuum vero mere per aquam. Inde Auguſtinus Ep. 265. alias 108. ad Seleucian. ex illis Chriſti verbis: *qui lotus eſt &c.* Baptismo, quem Chriſtus ante paſſionem Petro contulit, perfectam attribuit mundationem, quæ non perinde conveniebat Baptismo Joannis. Quid quod ii, quos Joannes baptizavit, ab Apoſtolis Act. 19. rurſum baptizati ſint; nunquam ex adverſo iteratus eſt Baptismus, quem Apoſtoli ante mortem Chriſti conferebant. Audiatur hic Auguſtinus Tract. 5. in Joan. ſuper Act. C. 19. commentans, *dedit*, inquit, *Judas*, *& non baptizatum eſt poſt Judam: dedit Joannes*, *& baptizatum eſt poſt Joannem; quia qui datus eſt a Juda*, *Baptismus Chriſti erat: qui autem a Joanne datus eſt*, *Joannis erat. Non Judam Joanni*, *ſed Baptismum Chriſti etiam per manus Judæ datum*, *Baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte præponimus - - ergo baptizabant Diſcipuli ejus*, *& ibi adhuc erat Judas inter Diſcipulos ejus; quos ergo baptizavit Judas*, *non ſunt iterum baptizati: & quos baptizavit Joannes*, *iterum baptizati ſunt &c.*

II. Euthymius in C. 3. Joan. refert Petrum ab ipſo Chriſto eſſe baptizatum. Idem confirmat Nicephor. L. 2. Hiſt. C. 3. ubi narrat, iſtud ab Evodio fuiſſe ſcripto proditum. Quin Auguſtinus L. 3. de Anima & ejus orig. C. 9. & Ep. ad Seleuc. ſupra cit. ex propoſito id agit, ut credibile ſaltem eſſe evincat, Apoſtolos univerſim manibus Chriſti fuiſſe baptizatos. Hunc ipſum autem Baptismum diverſum fuiſſe a Joannis Baptismate idem S. Doctor Ep. 44. alias 163. ad Eleuſium C. 5. multis contendit: ac cumprimis quidem, quia *non decebat Sponſum* (Chriſtum) *dare Baptismum amici vel ſervi*, Joannis videlicet; deinde, quod per Baptismum Joannis idonei non fuiſſent redditi

ad percipiendam in Cœna ultima Eucharistiam ; tum denique, quod Baptismus Apostolis collatus integre eos mundaverit, uti istud eruit ex illis Christi verbis: *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*, ubi per *lotus* designari censet Baptismum, quo jam tum Apostoli initiati fuerant. Isthinc vero id consequitur: Apostolos, cum in Judæa baptizarent, eumdem, quem a Christo ipsi acceperant, non autem Joannis Baptismum ministrasse ; etenim, ut contra Donatistas arguit S. August. in paulo ante cit. Ep. *quomodo dabant, quod non acceperant?* Conferantur hæc omnia invicem, & vix ullus erit dubitationi locus, verum Christi Baptismum jam ante mortem ejus in usu fuisse ; hoc uno autem Assertionis veritas, ut opinor, satis probata est.

ASSERTIO II.

Non constat certum Baptismi a Christo ante passionem instituti tempus.

7 ARgumentum negativum in hanc rem suffecerit. Nempe in Baptismi institutione necesse erat ejus materiam & formam determinari ; quo autem potissimum ante passionem suam tempore Christus id præstiterit, neque ex sacris Literis, neque ex Traditione certo erui potest.

Non diffiteor equidem Ambrosium L. 2. in Lucam C. 13. Hieronymum in Dial. contra Lucif. Augustinum Serm. 36. de tempore, & quosdam SS. PP. alias eo inclinare, ut institutionem Baptismi referant ad id temporis, quo Christus in Jordane a Joanne baptizatus est ; verum quæ in hanc rem adserunt, conjecturam dumtaxat aliquam conficiunt. Quin complures Patrum eo sensu possunt accipi, quasi videlicet (ut existimat Simmonet) tum Christus mente solum & interius designaverit aquam ad sanctificandos homines per Sacramentum Baptismi a se instituendi ; vel certe (ut rursum notat Simonnet post Suarezium)

rezium) quod in Baptismo illo tanquam figura, a Christo instituendus Baptismus aliqua ratione delineatus ac adumbratus fuerit, materia quidem ejus per exteriorem Christi in Jordanis aqua ablutionem: forma autem per manifestationem SS. Trinitatis, *Patris in voce*, *Filii in homine*, *Spiritus S. in columba*, ut observat August. Tract. 6. in Joannem. Hæc vero omnia, tametsi ultro demus Patrum authoritati, nondum evincunt ipsam institutionem, ad quam utique necessarium erat declarari: ablutionem per aquam cum enunciatione verborum: *ego te baptizo in nomine &c.* deinceps signum fore regenerationis internæ. Vide Suarezium in 3. p. D. Th. Disp. 21. Sect. 2.

8 Aperte hic adversatur nobis, ultro fatemur, D. Thomas 3. p. qu. 66. Art. 2. in ☉. ubi, *cum Sacramenta*, inquit, *ex sui institutione habeant, quod conferant gratiam, tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi effectum suum; hanc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus; unde tunc vere Baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum.* Verum, cum hoc ratiocinium efficacem Asserti probationem non conficiat, fas erit nobis cum Suarezio & Simmoneto in præsenti a Doct. Angelico recedere.

9 Nec magis evincit quidquam illud S. Hilarii in Matth. Christum videlicet, cum baptizaretur, *exempli sui authoritate salutis humanæ Sacramenta consummasse, hominem & assumptione sanctificans & lavacro.* Sane ex hoc, si ad literam accipienda forent verba, pari jure licebit arguere: non Baptismum dumtaxat, sed & alia Sacramenta tum esse instituta, cum Hilarius generatim dicat, Christum *salutis humanæ Sacramenta* consummasse. Consumavit itaque, ac etiam hominem *lavacro* sanctificavit eo sensu, quod exemplum dederit, quo & ipsi subinde adduceremur ad suscipienda sanctificationis nostræ Sacramenta.

His attentis, minus probabilitatis habere Estii sententiam, facile quisque colliget. Jam vero hæc omnia id spectant unum:

quod; tametsi Christus ante mortem suam Baptismum instituerit, non constet nobis attamen de certo institutionis hujus tempore; admittendum interim est, eam prius, aut tum saltem fuisse factam, cum Christus a Discipulis Baptismum in Judæa ministrari voluit.

Adversæ Sententiæ contra Assertionem I. argumenta diluuntur.

10 ARgumentum I. impugnat ipsum Assertionis fundamentum. Nempe, quo eam tuemur, id est potissimum, quod jam ante mortem Christi ministratus fuerit ab Apostolis Baptismus; at Baptismus hic non erat Christi, verum Joannis dumtaxat, ut docet Tertullianus L. de Bapt. C. 11. Joannes Chrysost. Hom. 3. in Joan. Theophylactus in C. 3. Joannis, & alii; nihil igitur a Baptismo illo in rem nostram est momenti.

Resp. N. min. Nec obest cit. Patrum nobis adversantium authoritas; malumus in præsenti controversia sequi Augustinum, cujus opinio cum sacris Literis & ratione magis congruit, ut ex N. 7. facile quisque conjiciet. Ac sane, cum Baptismus Joannis præparatorius & prænunciativus Christi fuerit, vix credibile est eum ab ipso Christo collatum fuisse, nec ab ejus Discipulis, cum & his baptizantibus Christus baptizasse dicatur in Scriptura.

11 Instabis. Apostoli ante mortem Christi non conferebant Baptismum cum invocatione SS. Trinitatis; non erat is proinde Baptismus Christi. Illatio hæc fit legitime, cum sine dicta invocatione, utpote forma, non perficiatur Baptismus Christi. Antecedentis autem propositionis veritatem vel id videtur evincere: quod in Scriptura non legatur ante passionem Christi forma Baptismi tradita, quin nec revelatum Apostolis mysterium SS. Trinitatis. Inde Optatus Milev. L. 5. contra Parmen. Christum per Apostolos baptizasse referens, *sed*, inquit, *nemo tinctus*

tius fuerat in Trinitate; nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum Sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptismatis Filius Dei - - etiam tunc præcepit dicens: ite, docete &c.

Resp. N. ant. Quod pro ejus probatione adfertur, nihil habet ponderis. Etenim, tametsi Scriptura formæ jam tum a Christo traditæ disertis verbis non meminit, traditam attamen ex ea vel ideo rite inferas, quod ejus testimonio verus Christi Baptismus eo tempore in usu fuisse comprobetur. Nempe, monente in Evang. C. 21. Joanne, novimus, non esse minutim scripta omnia, quæ & quando Christus fecit; inde August. in Ep. ad Seleuc. de hoc ipso Baptismo agens, *non omnia*, inquit, *quæ facta sunt, scripta inveniuntur: verumtamen facta esse ex cæteris documentis probantur.*

Si urgeas: ante mortem Christi non fuisse revelatum Apostolis mysterium Trinitatis. Quid ita vero? Consulantur S. Literæ Matth. 16. Joan. 14. & 16. An non iis ante mortem suam de Patre & Spiritu S. loquutus est Christus? an non se Dei Filium dixit? an non Petrus reliquorum nomine Filium Dei vivi eum esse profitebatur? Credi demum non potest Christum, qui fidem Apostolos ante passionem suam edocuit, præcipuum ejus mysterium retinuisse. Vel hæc autem adductam Optati authoritatem in præsenti infirmant; ut adeo ab ejus sententia nunc quidem recedendum existimem. Provocandum est præterea identidem ad rationes pro Assertionis probatione allatas; neque ab illis, seu hæc, seu quæ sequuntur, Responsiones sunt unquam sejungendæ.

Argumentum II. petitur ab Apostolis, qui ante Christi passionem (ut videtur Tertulliano) non acceperunt ejus Baptismum, præsertim cum in sacris Literis nuspiam istud referatur; quis autem existimet Apostolos eum in alios dispensare potuisse Baptismum, quo ipsi nondum initiati fuerant? 12

Resp. tametsi daretur Assertum Adversario, vim suam

consecutio non habet: certum quippe est ex Concilii Lateran. IV. Can. 1. & Florentini Decreto ad Arm. §. 1. valere Baptisma a quocunque, etiam pagano, proinde nondum baptizato collatum. Contra Tertullianum attamen neganda est cum Augustino Antec. propositio: *si dicimus*, inquit ille Ep. ad Seleuc. *Apostolos aqua non fuisse baptizatos, metuendum est, ne graviter erremus &c.* Nec est, quod Scripturæ de hoc silentium rursus oggeratur; etenim, *non omnia, quæ facta sunt* (libet repetere in hanc rem jam supra cit. Augustini ad Seleuc. verba) *scripta inveniuntur, verumtamen facta esse ex cæteris documentis probantur;* ubi statim adjicit: *scriptum est, quando baptizatus sit Paulus; & scriptum non est, quando baptizati sunt alii Apostoli: verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus - - propter illam Domini sententiam: nisi quis renatus fuerit &c.*

13 Instabis: Ex sacris Literis colligi, Apostolos ante passionem Christi non fuisse baptizatos vero ejus Baptismo; hunc enim ipse in Cœlum ascendens deinde eis dandum promisit Act. 1. *Joannes quidem*, inquit, *baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies.*

Resp. ex cit. Scripturæ loco id non evinci: nam nomine Baptismi, quem isthic Christus promittit, ex communi Interpretum & Patrum sensu significatur gratia Confirmationis, quæ die Pentecostes conferenda erat Apostolis, quo imbecilles adhuc, per advenientem Spiritum Sanctum corroborarentur, & virtute ex alto induti Apostolico ministerio pares fierent. *Recte dici potest*, in cit. Christi verba ait Augustinus Ep. ad Seleuc. *quia cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant Apostoli baptizati: non tamen aqua, sed Spiritu Sancto*, eos confirmante. In eadem porro Ep. contendit S. Doctor, omnes Apostolos ipsius Christi manibus fuisse baptizatos; *neque enim*, inquit, *baptizandi ministerium defugeret, ut haberet baptizatos ser-*

servos, per quos cæteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes.

Argumentum III. eo spectat, ut nominatim ostendatur, a Christo primum post passionem & mortem fuisse institutum Baptisma illis ad Apostolos verbis: *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine &c.* quibus & formam Baptismi præscripsit, & potestatem ejus conferendi contulit, ac etiam mandatum dedit; hæc vero ipsa est Baptismi institutio. Ac omnino cum Tertulliano, Chrysostomo & Optato Milev. hujus erat sententiæ S. Leo I. Sec. V. Pontifex in Ep. ad Siciliæ Episcopos C. 3. ubi pro Baptismo in Paschate tantum & Pentecoste administrando ita arguit: *quia ipsa operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris & species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse D. J. Christus, posteaquam resurrexit a mortuis, Discipulis suis - - & formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: euntes docete &c. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse.*

Resp. id, quod ex cit. Christi ad Apostolos verbis arguitur, distinctione occupandum esse: nempe, tum Christus Apostolis potestatem & mandatum generale dedit sub præscripta invocationis SS. Trinitatis forma omnes gentes baptizandi, ita ut legem Baptismi universim ad omnes extenderet, Conc. ita, ut tum primum formam Baptismi statuerit, neque jam prius mandatum speciale dederit, Neg. Certe jam ante mortem Christi tam formam Baptismi constitutam, quam de eo speciale mandatum fuisse, vel inde constat, quod ante illam Apostoli baptizaverint, & Christus Nicodemo edixerit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Inde mandati hujus conscios, jam ante mortem Christi eo obstrictos fuisse, verisimilius est. Generaliter interim & publice non prius lex Baptismi obligabat

bat omnes, quam Christus post Resurrectionem suam Apostolos mitteret ad omnes gentes baptizandas, ac Evangelium solemniter & publice promulgaretur. Promulgationis autem hujus & generalis obligationis tempus ex communiore sententia (nam de hoc, uti inter Augustinum & Hieronymum olim, ita nunc inter DD. quosdam disceptatio est) computatur a die Pentecostes; hoc videlicet primum omnia Legalia ita integre extincta sunt, ut quæ per Christi mortem statim reddita sunt mortua, jam & mortifera universim fierent omnibus, ad quos sufficiens Evangelii notitia perveniret. Si quando proinde post Pentecosten lex vetus a quibusdam observata est, ut cum Paulus Timotheum circumcidit Act. 16. peculiari dispensantis Christi privilegio id factum esse, censendum est. Nec mirum videri debet, ante extinctam legem veterem Baptismi Evangelici institutionem & usum fuisse, quando id de Eucharistia, perinde Legis novæ Sacramento, indubitatum est. Usus præterea hic nondum erat tum universalis ac publicus, verum specialis dumtaxat & privatus: *voluit enim Salvator ad ejus exercitium homines, præcipue in populo Judæorum, assuefieri*, ut notat D. Thom. 3. p. qu. 66. Art. 2. ad 2.

Ad PP. in Objectione laudatos quod attinet; in quæstione hac facti, nec ad fidem pertinente, licebit nobis, ut jam supra fecimus, ab iis recedere, ac potius Augustini authoritati insistere; præsertim cum Leo Papa in cit. Ep. sententiam illam non definiat, sed, supponens dumtaxat eam, argumenti instar inferat.

15 Instabis I. Sacramentorum novæ legis efficacia habetur a Christi passione & morte, quod ipse Augustin. Tract. 15. in Joannem innuit, *de latere Christi Sacramenta Ecclesiæ fluxisse*, asserens; sicut igitur gratiæ operandæ efficacia Baptismo a morte Christi est indita, ita tum primum institutio ejus facta.

Resp. dist. ant. habetur a passione Christi, eaque vel inchoata vel consummata, Conc. tantum consummata, Nego. Consum-

ſummavit illam Chriſtus, cum reipſa paſſus ac mortuus eſt: inchoavit autem per ipſam ejus acceptionem; inde jam ab origine Mundi Agnus occiſus dicitur. Neque alio ſenſu accipienda ſunt Auguſtini verba. Ipſum præterea Euchariſtiæ Sacramentum ante Chriſti paſſionem inſtitutum claro in hanc rem eſt argumento. Ac ut omnis de hoc tollatur dubitatio, notaſſe juverit: paſſionem Chriſti non niſi in genere Cauſæ moralis ſuum in Sacramenta præſtare influxum; hujusmodi autem cauſa ut agat, non eſt ſemper neceſſe eam actu exiſtere, modo jam extiterit, aut extitura prævideatur. Verum adverſus iſtud

16 Inſtabis II. Nullus eſſe poterat Baptismi effectus ante mortem Chriſti; nulla igitur etiam efficacia haberi ab inchoata dumtaxat ejus paſſione & morte. Ant. prob. peculiare Baptiſmo id eſt, quod conferat Spiritus S. gratiam, & baptizato Cœlum aperiat; at ante Aſcenſionem Chriſti *nondum Spiritus erat datus* Joan. 7. neque hominum ulli Cœlum patuit, ergo &c.

Reſp. N. ant. Ad prob. Conc. maj. Neg. min. in ſenſu mox exponendo. Et quoad primam quidem partem audiatur ipſe Auguſtin. L. 83. Quæſtionum qu. 62. *Quæritur*, inquit, *utrum qui baptizati ſunt illo tempore, quo ſcriptum eſt, Dominum per Diſcipulos ſuos baptizaſſe plures quam Joannes, acceperint Spiritum Sanctum; alio enim loco Evangelii dicitur: Spiritus enim nondum erat datus, quia JESUS nondum erat glorificatus. Et facillime quidem ita reſpondetur: quod Spiritus S. latenter dabatur ante Domini glorificationem; poſt manifeſtationem autem Divinitatis ejus manifeſtius datus eſt.* Ex mente itaque Auguſtini cit. loco Joannes loquitur de miſſione Spiritus S. manifeſta, quæ futura erat in Pentecoſte: non autem etiam de privata gratiæ interioris per Spiritum S. largitione, quæ eſt effectus Baptismi. Altera prop. ejusdem pars perinde non urget; tametſi enim Baptismus ante mortem Chriſti collatus non aperuerit Cœlum ita, ut in illud pateret

aditus ante Christi Ascensionem : pro ipso attamen hujus Ascensionis tempore aperuit. Non decebat quippe membra capiti præire in gloria.

§. III.

Quæ sit Baptismi Materia ex institutione Christi?

UNiversim Sacramentorum materia est remota alia, alia proxima. Remotam dicimus rem illam, circa quam Sacramentalis actio exercetur : proximam vero ipsum actum, quo materia remota subjecto applicatur & Sacramenti formæ subjicitur. Quæ in Baptismo ex institutione Christi sit utraque, seorsim nunc definiendum est.

De remota Baptismi Materia.

AQuam esse Baptismi materiam aperte adeo S. Literæ docent, ut dubitationi nullum relinquant locum. Non defuere tamen vel primis Ecclesiæ Seculis, qui, seu falsis quibusdam opinionibus occupati, seu Scripturæ sensu perperam intellecto, & in hoc ab Ecclesia diffiderent. Ac horum quidem errores præcipuos, ac magis certos satis fuerit retulisse ; confutationem eorundem suggerent momenta, quibus Orthodoxæ doctrinæ veritatem subinde tuebimur.

Errores Sectariorum.

DIstinguendæ sunt eorum Classes duæ. Alii quippe aquam rejiciebant penitus: negabant alii eam sufficere, aut etiam ita esse in Baptismo necessariam, ut liquore alio suppleri non possit.

17 In Classe I. ex Tertulliano L. de Bapt. C. 1. & 2. nominandi

di sunt primum Quintiliani docentes Baptismũ non esse ministrandum in aqua propterea, quod simplex ac vilis esset ejus conditio. Errorem eundem amplexi Manichæi, ac etiam Seleuciani & Hermiani, pro causa id reddebant, quod aqua a malo esset principio, ut scribit August. L. de Hæres. Hæresi 46. & 59. His addendi quidam Valdenses, quod notat Ebrardus in Op. contra eosdem C. 6. teste item Euthymio Panopliæ P. 2. Tit. 21. Pauliciani: utrique e secta Manichæorum hæretici.

Quis horum interim omnium fuerit Baptismus, non satis compertum habemus. Bellarminus quidem L. 1. de Bapt. C. 2. ex Euthymio erui putat, Paulicianos Baptismum ministrasse sola pronunciatione verborum; *ego sum aqua viva;* at istud multi ex ipsius Euthymii narratione in dubium revocant. De Flagellantibus etiam Sec. XIII. hæreticis perinde controvertitur; quamvis enim dicerent, *unumquemque baptizari debere proprio sanguine per flagella de corpore excusso:* certum tamen non est, penitus rejectum ab illis aquæ Baptismum, silentibus de hoc Authoribus, ac ipso etiam Gersone, qui peculiari Tractatu Flagellantes impugnat. Certius est, quod de Manichæis Catharis Sec. XII. Sectariis Eckbertus Presbyter Sec. ejusdem scriptor prodidit: propter illa videlicet apud Matth. C. 3. verba, *ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, baptizasse eos in solo igne. Et istud tamen non alio sensu, quam quod baptizandus, seu *catharisandus*, in medio luminum collocatus ab Archicatharo benediceretur; qua cæremonia Baptismum perficiebant.

Præter alios, Jacobitis etiam, præsertim Coptitis attribuitur usus Baptismi per ignem. Tradit istud nominatim Bernardus Lutzemburgensis in Catal. Hæret. L. 2. verbo *Jacobita*, ubi, loco Baptismi aquæ, frontibus baptizandorum ferro candente figuram Crucis eos impressisse asserit. Verum ab errore hoc Jacobitas vindicant eorum Euchologia, in quibus de adustione hujusmodi nihil reperias. Scriptores etiam eorum,

cum Baptismi ignis meminerunt, myſtico dumtaxat ſenſu, ut nos, eum exponunt. Mos quidem illis, uti & Orientalibus aliis erat, infantes in fronte, vel in manu ſigno crucis candente ferro notandi; at hoc non ipſum Baptismum, ſed ritum ejus dumtaxat aliquem fuiſſe oſtenditur in Perp. Fidei Tomo 5. L. 2. C. 4. ubi ſimul moris hujus cauſa eo refertur: ut videlicet Mahometani, qui ſignum crucis refugiunt, prohiberentur, ne Chriſtianorum infantes ſectæ ſuæ per circumciſionem addicerent.

18 Ad Claſſem II. pertinent veteres illi Sectarii, quorum originem a Simone Mago repetit Auth. Rei Sacram. Contendebant hi, Baptismum per aquam quidem, at non ſolam perfici, verum & ignem illi adjungendum eſſe; inde commenti ſunt, ſtatim ac in aquam baptizandus deſcenderet, ignem ſuper aquam apparere, atque per hoc haberi *integrum*, *perfectumque lavacrum*. Meminit horum Anonymus Scriptor in Tract. contra Rebaptizantes, & Martene de Rit. Bapt. L. 1. Art. 14. Marcoſios, a Marco quodam e ſecta Gnoſticorum dictos, aquam Baptismi temperaſſe oleo refert Epiph. Hær. 34. eamdem permiſcebant vino alii, de quibus ſcribit Egbertus Eboracen. in Excerpt. C. 42.

Multo his plures erant, qui in aqua ſola ordinaria miniſtrabant Baptismum; quod ſi tamen ea deeſſet, liquore alio eumdem perfici exiſtimarunt. Ita in aquæ defectu ſub Stephano III. quosdam baptizaſſe vino: ſub Gregorio IX. autem cereviſia, conſtare ex Reſponſis horum Pontificum quidam volunt. Similiter (ſi tamen fides habenda Thomæ Valdenſi L. 2. C. 114.) Armeni quidam defectum aquæ ſupplebant vino, vel lacte. Certius eſt Bezam docuiſſe Ep. 2. ad Tilium, vino, aut quovis liquore alio Baptismum perfici, cum aqua haberi nequit. In caſu eodem ex ſententia Lutheri in Colloqu. ſympoſ. C. 7. *quidquid balnei loco eſſe poteſt, aptum eſt ad baptizandum.* Atque hic error multis Novatoribus communis eſt propterea,

pterea, quod ablutio liquore quovis facta signum esse possit idoneum ad excitandam in baptizando fidem ; quanquam horum non pauci etiam sint, qui, Duce Calvino Inst. L. 4. verba illa, *nisi quis renatus &c.* ad metaphoram detorqueant, ac per *aquam* cordis compunctionem intelligant.

Vide & mirare varias ac absonas, in re una, eaque admodum clara, Sectariorum aberrationes ! partus nempe hi sunt versatilis genii, & ex spiritu privato fidei res æstimantis.

Doctrina Orthodoxa.

TRadit hanc Concil. Florent. in Decreto ad Arm. ubi Eugenius de Baptismo, *materia*, inquit, *hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis.* Et Trident. Sess. 7. de Bapt. Can. 2. *si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. Christi:* nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Ex his jam sequitur

ASSERTIO.

Sola naturalis aqua est remota Baptismi materia.

[19] PRobatur I. ex sacris Literis, quibus docemur, ex institutione Christi sola naturali aqua Baptismum perfici. Loca Scripturæ præcipua sunt. Matth. 28. *Euntes docete - - baptizantes &c.* Quo autem Baptismo? eo utique, qui designatur tam Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* quam ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam - - mundans eam lavacro aquæ.* At quæ isthæc aqua est ? ea certe, qua Christus & Discipuli baptizarunt. Hanc vero naturalem fuisse vel illud comprobat, quod postquam Joan. 3. dictum est : *Venit JESUS & Discipuli ejus in Judæam - - & baptizabat*, continuo addatur : *erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta*

ta Salim, quia aquæ multæ erant illic; perinde igitur Christus per Discipulos, ac Joannes, in aqua naturali baptizavit. At clarissimum in hanc rem testimonium est Act. 8. ubi de Philippo & Eunucho refertur: *dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; & ait Eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? - - & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.*

20 Probatur II. Traditione, perpetua praxi, ac consensione Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ. Patres certe tam Græci quam Latini omnes, qui de Baptismo scripserunt, in sola aqua eum conferri, ac etiam conferendum docent. Vide Justinum Apol. 2. Tertull. L. de Bapt. C. 2. & 4. Origen. L. 5. in Ep. ad Rom. 5. Cyrillum Hierosf. Catech. 3. Chrysost. Hom. 24. in Joan. Augustinum denique in pluribus locis, cujus vel illud Tract. 15. in Joan. suffecerit: *tolle aquam, non est Baptismus.* Huc faciunt Pontificum & Conciliorum Decreta, quibus oppositum sentientes damnationi subjiciuntur. Evincunt idem vetusta Græcorum Euchologia & Latinorum Ritualia; nullum enim horum reperias, quo non præscribatur ritus ablutionis per aquam. Consulatur de his Martene in Tract. de antiqua Eccl. Discipl. & Author Perp. Fidei Tom. 5. ubi una C. 4. ostendit, apud Græcos & Orientales solam aquam naturalem esse materiam Baptismi, atque in hanc rem e Recentioribus eorum Scriptoribus citat Simeonem Thessalonic. Jeremiam Patriarcham Constantinop. Gabrielem Philadelphum, Gregorium Protosyncel. & Syrigum contra Calvinianos nominatim disputantem.

Respondetur ad Objecta.

21 OBjicitur I. ex S. Literis. Joannes Bapt. apud Matth. C. 3. de suo & Christi Baptismo agens, *ego quidem*, inquit, *baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est - - ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni;* non constat igi-

igitur Baptismus Christi aqua, ut adeo hæc pro materia illius arbitrarie statuatur.

Resp. cit. Joannis Bapt. postrema verba ex sensu PP. & Ecclesiæ non esse intelligenda de Baptismi materia. Libet de hoc audire Catechismum Concilii Trid. qui P. 2. Tit. de Bapt. N. 7. ita habet: *quod a Joanne Bapt. dictum est, venturum esse Dominum, qui baptizaret in Spiritu S. & igne, id quidem nullo modo de Baptismi materia intelligendum est: sed vel ad intimum Spiritus S. effectum, vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritus S. e Cœlo in Apostolos ignis specie delapsus est, de quo Dominus noster prædixit: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies. Act.* 1. En! sensum Tridentinæ Synodi exponente Catechismo. Ac revera jam veteribus Patribus familiare fuit, Sacramentum Confirmationis Baptismum Spiritus & ignis compellare. In cit. proinde textu τὸ *igni* sensu metaphorico sumendum est. Idem est de verbis *& Spiritu Sancto*, quæ tam cit. loco apud Matth. quam in illis Christi *nisi quis renatus &c.* referuntur: cum enim *Spiritus Sanctus* materia Baptismi esse nequeat, verba hæc ex mente Ecclesiæ non propriam, sed translatam significationem continent.

22 Instabis I. pari igitur jure (ut vult Calvinus) metaphorice (pro contritione videlicet, vel Christo, qui est *aqua viva*) accipiendum est illud: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* atque ita perperam ex S. Literis asseritur, aquam naturalem esse Baptismi materiam.

Resp. Nego assertum; *aquam* enim isthic vero ac proprio sensu accipi debere jam supra N. 19. & 20. ex Scriptura & Traditione ostensum est. Verum

23 Instabis II. Si in cit. textu *aqua* non translate de contritione & pœnitentia, sed proprio sensu de aqua naturali intelligenda foret, non erat, cur Nicodemum, ad illa verba *nisi quis renatus &c.* objicientem: *quomodo potest homo nasci cum sit senex?*

ſenex? Chriſtus reprehenderet, *tu es*, inquiens, *Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras.* Unde enim poterat Nicodemus noſſe, ex aqua naturali poſſe renaſci hominem?

Reſp. cum S. Auguſtino apud D. Th. in Catena Aurea ad C. 3. Joan. Nicodemum ignoraſſe tam ſpiritualem regenerationem, quam regenerationis modum per aquam. Jure autem utriusque hujus ignorantiam in illo reprehendit Chriſtus. An non enim Nicodemus, ut qui Legis Magiſter erat, de utroque hoc edoceri poterat ex Scripturis, ſpiritualem regenerationem per aquam ſæpius commemorantibus? An non indicatur illa apud Ezech. C. 36. ubi Deus, *effundam*, inquit, *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris &c.* His ſimilia legere eſt Iſaiæ 12. & 55. Zach. 13. & alibi, quibus ſpiritualem renovationem, & gratiam interiorem ſignificari cognoſcere poterat Nicodemus, niſi totus in Judaicas mundationes intenderet.

24 Objicitur II. ex uſu Eccleſiæ contrario, eoque etiam a quibusdam Pontificibus confirmato. Iſtud vero probatur ſequentibus momentis.

I. Joannes Moſchus Sec. VII. Scriptor in Prato Spir. C. 176. & poſt eum Nicephorus Hiſt. L. 3. C. 37. referunt, Judæum quemdam jam jam moriturum, cum aqua deeſſet, a ſociis baptizatum eſſe arena, ac per hunc Baptismum valetudini priſtinæ reſtitutum; quo miraculo & uſus Baptismi hujus, & valor comprobatus videtur.

II. Siricius ſub finem Sec. IV. Pontifex Baptismum, deficiente aqua, in vino collatum approbavit, ut narrat Theodorus Cantuarien. in ſuo Pœnitentiali, & ex eo Graveſon. Hiſt. Eccl. Tomo 3. Verba Pontificis ſunt: *Presbyter, qui in vino baptizat in maxima neceſſitate -- pro tali re nulla ei culpa adſcribatur; infans vero ille, ſi in SS. Trinitate baptizatus eſt, in eo Baptiſmo permaneat.*

III. Ea-

III. Eadem in ſimili fuit definitio Stephani III. ſub med. Sec. VIII. Pontificis, qui de vini Baptiſmo conſultus ita reſpondiſſe fertur: *Si in vino quis*, inquit, *propterea*, *quod aquam non inveniebat*, *omnino periclitantem infantem baptizavit*, *nulla ei inde adſcribitur culpa. Infantes ſic permaneant in Baptiſmo.*

Reſp. ad uſum Eccleſiæ hic perperam provocari. Hinc ad I. dico, Curationem prodigioſam Judæi adſcribendam eſſe ejus fidei, non autem Baptiſmo. Certe, cum factum hoc perlatum fuiſſet ad Dionyſium Epiſcopum, juſſu ejus Catechumeno huic collatus eſt Baptiſmus per aquam, ut ipſi cit. AA. narrant; quanquam inter eos non conveniat, quis Dionyſius iſte fuerit. Nicephorus eum Alexandrinum nominat: Moſchus contra non obſcure inſinuat Aſcalonis Epiſcopum fuiſſe. Sentiendum videtur cum Moſcho hiſtoriæ hujus authore; præſertim cum & Nicephorus eam referat ad tempora Marci Aurelii Imp. ſub quo Dionyſius Aſcalonita floruit; Alexandrinus autem primum poſt Philippum, ſerius proinde uno & amplius Seculo.

Reſp. ad II. plurimi cum Tournelyo exiſtimant hoc Decretum falſo appingi Siricio Papæ; certe, quamvis Siricii tam Epiſtolæ quam Decreta & Conſilia omnia extent in Conciliis Collectionis Reg. Pariſ. Tom. 3. a pag. 422. nullum tamen hujus Decreti vel veſtigium iſthic reperias. Harduinus etiam, ſuppoſititium eſſe probat in Oper. ſelectis de Bapt. in vino. Quod ſi tamen quis Theodoro narranti deferendum putet, cenſendum eſt, Siricium ex privato ſuo ſenſu, non vero ex Cathedra ac definitive fuiſſe locutum, ita ut Decreto hoc univerſam voluerit ligari Eccleſiam.

Reſp. ad III. Si re ipſa hoc Stephani Reſponſum eſt, idem de eo, quod paulo ante de Siricii Decreto, eſto judicium. Jure interim ſuſpectum habent Eruditi vel ob MSS. e quibus excerptum eſt, diſcrepantia; alia enim Reſponſi hujus authorem dicunt Stephanum II. alia Stephanum III. alia Siricium. Alexander Nat. Hiſt. Eccl. Sec. 8. C. 1. Art. 6. cenſet Reſcripti tex-

tum esse corruptum, ac ita restituendam ejus partem ultimam: *nulla ei adscribitur culpa, si sic Infantes permanent;* quibus verbis Pontifex non probat Baptismum in vino collatum, sed a culpa tantum absolvit Presbyterum, ut qui non malitia, sed simplicitate & ignorantia errorem admiserit. Harduinus denique illud pro supposititio habet supra cit. loco.

25 Si instet porro, ac quærat aliquis: cur Christus Baptismum, adeo ad salutem necessarium, in aqua tantum, & non in liquore etiam alio ministrari voluerit?

Resp. Hujus quidem congruentias plures assignari a Tertull. L. de Bapt. C. 2. & 3. Hieronym. Ep. 83. ad Oceanum, D. Thoma p. 3. qu. 66. Art. 3. in ☉ & Catech. Concilii Trident. Tit. de Bapt. N. 10. causa interim, quam ex vero reddere possumus, est una voluntas Christi. In his nempe, quæ a voluntate Dei dependent, non est alia præter hanc ipsam supremam & omnipotentissimam, ut ait Augustinus, voluntatem causa quærenda. Ex hac ipsa autem Christi voluntate ac institutione consequitur; Baptismum perinde perfici in aqua fontana, vel fluviali, aut quacumque alia, quæ aquæ naturalis nomine venit. De mutatione ejus substantiali vel accidentali sentiendum est conformiter ad ea, quæ supra L. 1. a N. 66. insinuavimus. Si certum sit, liquorem aliquem non esse aquam naturalem, ut est e. g. lac, vinum, sanguis &c. nunquam in eo Baptismum ministrare licet; in liquore contra dubio, cum necessitas urget, ministrandus est, at non nisi conditionate. Verum uberior horum notitia ex Theologis Moralibus petenda.

De proxima Baptismi Materia.

Cum ablutio sit actus, quo aqua baptizando applicatur, proximam Baptismi materiam in ablutione consistere, ne Sectariorum quidem, Baptismum aquæ admittentium, ullus controvertit unquam. Id igitur solum in quæstionem vocatur:

quæ

quæ isthæc sit ablutio? an perinde per immersionem, aut infusionem, vel aspersionem habeatur? de quo priusquam statuamus, præsentis argumenti quædam revocanda sunt in memoriam ex veteri Ecclesiæ disciplina.

Ecclesiæ in Baptismo abluendi mos vetus, ejusque Varietas.

I. Græcæ non minus quam Latinæ Ecclesiæ mos vetus, quin & diuturnus erat Baptismum conferendi per trinam immersionem, ut fidem faciunt utriusque Ecclesiæ PP. E Græcis quidem, Justin. in Apol. 2. Cyril. Hierof. Catech. 2. Basilius L. de Spir. S. C. 27. Chrysost. Hom. 6. in Ep. ad Colos. inter Latinos autem Tertull. L. contra Praxeam C. 26. Cyprian. Ep. 76. ad Magnum, Ambros. L. 2. de Sacr. C. 6. Hieronymus Dial. adversus Lucifer. Idem docemur ex Græcorum Euchologiis apud Goarium: & vetustis Latinorum Ritualibus, ac Ordine Rom. C. de Sabb. Sancto. Neque dubium est, hunc trinæ mersionis morem, cum initium ejus ostendi nequeat, ex Tertull. & Augustini regula ab Apostolis profluxisse. Istud certe nominatim asserit Tertull. L. de Cor. Mil. C. 4. Basilius item L. de Spir. S. C. 27. & alii. Non carebat autem hæc mersio mystica significatione, de qua Cyrillus Hierosol. Catech. 2. ad fideles, *mersi ter in aquam*, inquit, *rursus emersistis, atque ita per hæc symbola triduanam Christi significastis sepulturam;* quin eadem, juxta S. Pelagium Sec. VI. Pontificem in Ep. ad Gaudentium, fuit Symbolum etiam trium Divinarum Personarum. 26

II. Neque tamen hic mos vel primis Seculis adeo stabilis & universalis fuit, ut non ab eo recederetur aliquando. Certe quoad trinam mersionem exemplum habemus ex Gregorio M. qui, cum ætate ejus, nempe Sec. VI. in Hispania Ariani triplicem in Trinitate substantiam trina mersione adstrui jactarent, 27

ne errori eorum suffragari videretur Ecclesia, Ep. ad Leandrum Hispal. Ep. data, una deinceps immersione Baptismum peragi voluit; quod Decretum Synodus Tolet. IV. Can. 6. recipiens, ita & ipsa statuit: *propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplicem teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum probare Assertionem, dum sequuntur & morem.*

Ipsa imo immersio, tametsi, cum integrum erat, religiosissime observaretur, in certis attamen casibus omissa est, ac ejus loco per affusionem vel aspersionem Baptisma ministrabatur; e. g. cum mersionis deerat opportunitas, aut, cum ægri, præsertim Clinici, seu lecto affixi, baptizandi forent. Testis hujus rei est Cyprianus, qui de hoc Clinicorum Baptismo consultus a Magno, Ep. 76. eidem respondens, *nec quemquam*, inquit, *movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam consequuntur, quandoquidem Scriptura S. per Ezechielem dicat: & aspergam super vos aquam mundam - - unde apparet aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere &c.* Augustinus etiam hujusmodi Baptismum approbat L. 6. contra Donat. C. 7. Concilium item Roman. sub Cornelio, Neo-Cæsariense An. 314. Antissiodorense An. 578. & plura alia. Strabo denique, Sec. IX. Scriptor L. de Reb. Eccl. C. 26. hanc ritus variationem memorans, *notandum*, inquit, *non solum mergendo, sed etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse, & adhuc posse baptizari - - sicut in passione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire, cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.*

18 III. Usque ad Sec. XIII. mergendi ritum in Ecclesia perdurasse, sic tamen, ut jam tum apud quosdam infusio vel aspersio in usu fuerit, verisimilius est. Utriusque testimonium habemus ex D. Thoma & S. Bonaventura, qui sub finem hujus Seculi floruerunt. Prior 3. p. qu. 66. Art. 7. asserit, posse qui-

quidem Baptismum perfici infusione vel aspersione: attamen *tutius esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet usus communior.* Alter in 4. dist. 3. qu. 1. hunc communiorem usum referens, simul addit: in quibusdam Ecclesiis, præsertim Gallicana, morem baptizandi per aspersionem observari.

Sub initium deinde Sec. XIV. Clementis V. indultu ritus aspersionis permissus est, ut legitur in Actis Conc. Ravennensis Tit. 11. dum denique sub finem hujus Seculi in Ecclesia Latina mos immergendi in dessuetudinem abiret; cujus opinionis argumentum præbent Ritualia ab hoc tempore edita, in quibus fere non amplius mersionis, verum affusionis dumtaxat ritus præscribitur. Cum porro de mutatione hac nullum sciamus solemne Concilii vel Pontificis Decretum, censendum est, inductum esse sola Ecclesiarum consuetudine, ut in multis aliis, quæ ad disciplinam spectant, factum novimus. Nec deerant graves immersionis usum abolendi causæ. Inter præcipuas, ut mihi quidem videtur, fuerint: teneritudo infantum, quibus immersio nocere poterat; pudicitia deinde baptizandorum, quibus nuditas gravis erat: quin Ministris etiam sæpe periculosa; demum uniformitas Ecclesiæ, neque enim ritus immersionis semper observari potuit.

Hæc in Latina & Occidentali Ecclesia. Græci etenim cum Orientalibus veterem in Baptismo ter mergendi morem omnino retinuerunt, ac hodie etiam retinent, ut ex eorum Euchologiis & Canonum Collectoribus testatur Auth. Perpet. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 4. Adeo autem mori huic inhærendum censuerunt, ut mutationem in eo a Latinis factam pro separationis suæ causa ex parte obtenderent. Quin ex Concil. Lateran. IV. Cap. 4. colligitur, fuisse eorum nonnullos, qui propterea Baptismum nostrum rejicerent, ac etiam a Latinis baptizatos rebaptizarent. Plurimi interim semper, ac nunc fere omnes, tametsi reprehendant Latinos ob intermissum mersionis usum, pro rato attamen habent Baptismum per affusionem

collatum : imo in certis casibus ita conferendum ipsi docent. Audiatur Gregorius Abulfarage in sua Synopsi Canonum, ubi ex Jacobi Edesseni authoritate ita decernit : *si infans baptizandus sit in periculo mortis, nec adsit fluvius, aut receptaculum aquæ, vel fons baptismalis, sed aqua tantum in urceo, Sacerdos illam fundat super caput Infantis dicens : baptizatur &c.* Idem legere est apud Ebnassal Collect. Can. L. 1. C. 3. Echmini Canonistam Ægyptium C. 5. Sect. 8. cit. ab Auth. Perp. Fid. Tomo 5. L. 2. C. 4.

Atque hæc præmittenda erant : quo vel ex Ecclesiæ disciplina facile quisque conjiciat, quid de proposita quæstione sit statuendum.

ASSERTIO

Proxima Baptismi materia est ablutio per aquam ; perinde autem ad Baptismi substantiam est, seu ea fiat per immersionem, seu per affusionem, seu demum per aspersionem.

29 PRimum Assertionis membrum conficitur ex probatione alterius; per aquam autem fieri debere hanc ablutionem constat ex iis, quæ supra a N. 19. dicta sunt. Ne igitur eadem repetamus, sola Assertionis pars secunda probanda venit.

Sed neque istud multis agendum videtur, quando jam ex paulo ante recensitis certum est, vel primævam Ecclesiam non eodem semper ablutionis ritu ministrasse Baptisma : & quamvis ut plurimum mersione uteretur, certis attamen casibus affusionem etiam vel aspersionem adhibuisse, quin valor Baptismi sic collati ab ullo in dubium vocaretur ; doctrina igitur veteris Ecclesiæ fuit, perinde esse ad substantiam Baptismi, quocunque ritu ablutio fieret, seu videlicet per immersionem, seu per affusionem &c. Doctrina hæc eadem subinde magis confirmata est, cum & Conciliorum authoritas accessit ; & ritus affusionis per totam Ecclesiam est receptus : ipsis etiam Græcis hu-

hujusmodi Baptismi valorem, qua confessione, qua suo quandoque usu comprobantibus. Vide dicta a N. 27.

At hæc forte cum mente & verbis Christi Baptismum instituentis minus congruunt? temerarium sit istud dicere vel ideo, quod probentur sensu & ipso usu Ecclesiæ, quæ uti universim Verbi divini est interpres, sic & Magistra veritatis. Ac sane, quid est, quo Christus Baptismum suum perfici voluit? *docete - baptizantes*, ajebat ad Apostolos; & alibi: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ablutionem per aquam isthic imperat, at ablutionis modum non determinat. Deinde, institutione Baptismi eo spectabat Christus, ut juxta Apostolum ad Eph. 5. esset *lavacrum aquæ in verbo vitæ*, quod ipsum docens Augustin. Tract. 15. in Joan. *Quid est*, inquit, *Baptismus Christi? lavacrum aquæ in verbo*; an non autem lavacrum, seu ablutio perinde habetur, seu corpus contingat aqua per immersionem, seu per affusionem, seu per aspersionem? innuit certe istud Augustin. cum Tract. 80. in Joan. ait: *quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Ex Christi igitur institutione omnino habetur: ad Baptismi valorem requiri in genere ablutionem per aquam, non item etiam certum ablutionis modum.

Satisfit Objectionibus.

30 Objectio I. fit a Traditione Apostolica, a qua trinæ in Baptismo mersionis ritum originem ducere nos ipsi ex PP. asseruimus N. 26. quin Tertull. ibid. cit. L. C. 3. cum quibusdam ait, eum ex præcepto Christi haberi; atqui Baptismus contra Christi præceptum & Apostolicam Traditionem ministratus valere nequit etiam quoad substantiam, ergo &c.

Accedit exemplum Christi, per mersionem in Jordane baptizati: mos præterea ejus Discipulorum & Apostolorum, quos hoc eodem mersionis ritu Baptismum contulisse vel Traditio ab

ipsis

ipsis derivata ostendit, ac de Philippo Eunuchum baptizante Act. 8. perhibetur.

Resp. ex iis, quæ N. superiore allata sunt, satis patere, ratam esse ex mente Patrum & Ecclesiæ Baptismi substantiam, quocumque is ablutionis ritu ministretur. Traditio inde, quæ objicitur, non substantiam, sed modum dumtaxat Baptismi & Disciplinam spectat. Distinguendum quippe est inter Traditiones Apostolicas: harum enim aliæ fidem, aliæ disciplinam tantum continent; quamvis vero a primis nefas sit recedere: eæ tamen, quæ secundi sunt ordinis, non ita ligant Ecclesiam, ut, nisi iis observatis Sacramentorum veritas constare non possit. Conformiter jam ad hæc, id ipsum Christi de mersione præceptum, de sententia PP. & Ecclesiæ non ad substantiam Baptismi, verum ad ejus modum & ritum dumtaxat referendum est. Nec exemplum Christi aut Apostolorum id, quod Adversarii volunt, evincit: nisi una ostendatur, ita Christum instituisse Baptisma, ut valorem ejus ac substantiam mersioni alligaverit; at oppositum ex Assertionis probatione patet. Novimus nempe ex S. Literis, in conficiendis ac dispensandis Sacramentis quædam Christum & Apostolos observasse, quæ nihilominus non pertinent ad eorum substantiam: ut cum e. g. Christus consecravit Eucharistiam in pane azymo, sero post Cœnam, eamdem sub duplici specie distribuit &c. De Apostolorum Baptismo attamen & illud addendum: quamvis communiter eum mersionis ritu perfecerint, verisimile nihilominus est, quandoque illos etiam affusione vel aspersione usos, ac nominatim dum ter mille Catechumenos Act. 2. ac rursum aliorum quinque millia Act. 4. uno die baptizarunt.

31 Objectio II. Petitur ab Ecclesiæ sensu, quo improbatum legimus Baptisma sine mersionis ritu collatum. Ita Cornelius Papa cum Synodo Romana Baptismum, Novatiano gravissime decumbenti infusione ministratum, pro rato non habuit teste Eusebio Hist. L. 6, C. 43. apud quem Pontifex, hunc Novatiani

tiani Baptismum referens, addit: *si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est.*

Resp. Sensum Ecclesiæ frustra objici, ut quo probatum esse Baptismi valorem, quocumque is demum ablutionis ritu ministratus fuerit, ex supra dictis abunde constat. Dicendum itaque, Cornelium Novatiani Baptismum existimasse non esse ratum & integrum quoad effectum dumtaxat gratiæ; idque propterea, quod ab eo cum morte luctante, non sincera fides, sed metus æterni supplicii Baptismi propositum extorserit, ut pronum erat de homine nefario censere. Idem & alias a Patribus in simili causa judicatum legitur. Quæ ipsa ratio fuit, cur Clinici baptizati antiquis Canonibus a sacris Ordinibus arcerentur, ac pro irregularibus haberentur, ut habet Can. 12. Conc. Neo-Cæsar. An. circiter 315. celebrati. Neque interim uspiam legas, iterandum in his Baptisma Ecclesiam decrevisse.

32 Instabis I. At de Baptismi per infusionem dati etiam veritate dubitatum est in Ecclesia; nam Magnus de Clinicorum Baptismo Cyprianum consulens, quærit: *an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi?* Ac licet Cyprianus responderit, ratum sibi videri hoc Baptisma, adjecit tamen una, hac in parte nemini se velle præjudicare, *quo minus unusquisque, quod putat, sentiat, & quod senserit, faciat;* & mox, *si aliquis*, inquit, *existimat, eos nihil consecutos - - non decipiatur, ut si convaluerit, baptizentur.* Habentur hæc ex Cypriani Ep. 76.

Resp. Magnum, ac etiam quosdam alios Sec. III. de hujusmodi Baptismi veritate dubitasse, verisimilius est: etsi non desint, qui & Magni & aliorum dubitationem ad effectum dumtaxat Sacramenti referant. At Ecclesia certe non dubitavit unquam. Quod vero S. Cyprianus liberum cuique reliquerit sentiendi, quod vellet: adscribendum id ejus modestiæ, nemini sua sensa præferre volentis in re, quæ nondum fuit solemni Ecclesiæ judicio definita. Ad Baptismi iterationem, quam pa-

pariter concedebat, quod attinet: facienda ea utique erat ab illis, qui priorem Baptismum existimabant esse nullum. Cæterum, quæcumque demum in præsenti fuerit Patrum quorumdam sententia, potior esse debet universalis Ecclesiæ sensus, de quo supra.

33 Instabis II. Vel trinæ mersionis defectu Vetus Ecclesia judicavit irritum esse quoad substantiam Baptisma: nam Concil. Constantinopol. I. An. 381. habitum Can. 7. rebaptizandos decrevit Eunomianos, *qui in unam demersionem baptizantur;* idem ob eandem causam de Bonosiacis statuit Pelagius II. Sec. VI. Pontif. in suo ad Gaudent. Rescripto; Veteris Ecclesiæ igitur judicio minus poterat valere Baptismus, qui sine ulla mersione, per solam tantum affusionem vel aspersionem conferretur.

Resp. de Eunomianorum Baptismo jure id statutum est: in odium enim SS. Trinitatis non modo trinam immersionem, sed & trium Divinarum Personarum invocationem omittebant, semel dumtaxat mergentes in Christi mortem, ut testatur Theodoret. L. 4. Hæret. fabul. C. 3. & Sozomen. Hist. L. 6. C. 26. Congruit cum his Epiph. Hær. 76. referens, Eunomianos baptizasse *in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, atque a Filio procreati.* Eadem causa fuit Pelagio de Bonosiacis similiter decernendi: *baptizabant enim* (ut cit. loco ait Pontifex) *solummodo in mortem Christi una immersione.* Vides! non trinæ mersionis, sed formæ defectu pronunciatum esse Baptisma nullum, ac penitus irritum.

Id interim verum est; trinam immersionem in Baptismo religiose adeo observatam fuisse primis Seculis, ut qui eam extra casum necessitatis omitterent, pœna depositionis plecterentur, uti istud legere est Can. 50. ex Apostolicis, relato C. 79. dist. 4. e Consecr.

COR-

Corollarium
Ad Doctrinam de Baptismi materia.

I. Usu in Ecclesia recepto Baptismus confertur in aqua prius consecrata ; hæc tamen Consecratio non est ita necessaria , ut sine ea naturalis aqua non sit sufficiens Baptismi materia : nam, ut notat D. Th. 3. p. qu. 66. Art. 3. ad 5. ritus iste benedictionis pertinet dumtaxat ad solemnitatem , & majorem fidelium devotionem, non autem Baptismi necessitatem. Cum interim est integrum, aqua benedicta uti oportet Ministros, ne recedant a præscripto & antiquo Ecclesiæ ritu, cujus usum jam primis Seculis fuisse docemur ex Tertull. L. de Bapt. C. 4. ubi, propter consecrationem , aquas Baptismi *medicatas* appellat. Ejusdem benedictionis meminerunt Cyrillus Hierof. Catech. 3. Ambrosius L. 1. de Sacr. C. 5. ac præter alios Cyprianus Ep. 70. ad Januar. asserens, *oporteret prius mundari & sanctificari aquam a Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata abluere.* Inde, usus aquæ benedictæ in Baptismo præscribitur in omnibus Ritualibus, ac nominatim Rit. Romano jussu Pauli V. edito.

34

II. Ratus sit licet in substantia Baptismus, quocumque ablutionis, seu mersionis nempe, seu affusionis ritu ministretur: ritus attamen hic non est arbitrarius ; verum sequi oportet eum , qui proprius est Ecclesiæ, in qua quis degit. Ab hoc certe sine piaculo recedere nequit Minister, nisi forte urgens necessitas aliud exposcat. Clarum in hanc rem præceptum est Pauli V. in ejus Rituali Rom. his verbis expressum : *Baptismus, licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineatur.*

III. Valet Baptismus per immersionem, tametsi non sequatur emersio. Hinc si quis puerum animo baptizandi in puteum projiciat, ac eo nondum aquis præfocato formam enun-

 ciet,

ciet, valide baptizat. Nempe etiam ſine emerſione habetur vera ablutio, quæ una ac ſufficiens eſt Baptismi materia. Quid quod in Baptismo, quamvis nulla fiat emerſio, per ipſam tamen ſpiritualem hominis regenerationem abunde ſignificetur tam mors quam Reſurrectio Chriſti, cujus utriusque illum eſſe ſymbolum innuit Ap. ad Rom. 6. Neque omnino eſt, cur ſignificationem hujusmodi myſticam agnoſcamus in Baptismo per affuſionem: non perinde autem in eo, qui per immerſionem confertur, non ſecuta emerſione.

IV. Univerſim ablutio, quocumque ritu Baptismus miniſtretur, ea eſſe debet, ut baptizatus, ſecundum prudentum æſtimationem & communem loquendi uſum, vere ſit ac dici poſſit ablutus. Inde Ritualia paſſim monent; curandum eſſe Miniſtro, ut ablutio non ad capillos tantum, ſed ad cutem ipſam pertingat; neque enim ablutus eſſe dicitur, cujus capilli tantum, intacto corpore, fuerint madefacti. Ex eadem cauſa ita peragenda eſt ablutio, ut aqua notabilem corporis partem attingat. At quæ iſthæc pars notabilis? id ex communi æſtimatione, ac cumprimis Eccleſiæ praxi, quæ in Ritualibus notatur, definiendum eſt. Rituale Romanum de hoc ita præſcribit: *Nemo in utero Matris clauſus baptizari debet; ſi tamen infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite: nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emerſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur; & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus: ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Ex hoc autem (ut obſervat cum aliis Platellius) colligitur, quod quamvis ex communiore AA. ſententia ad Baptismi valorem videatur ſufficere ablutio cujusvis partis notabilis e. g. brachii, pectoris &c. quia tamen id certum non eſt, propter fruſtrationis periculum gravem culpam admiſſurum, qui extra neceſſitatem, omiſſo capite, quamvis aliam partem ablueret; hinc de hoc nominatim erudien-

diendas obstetrices monent Theologi Morales, apud quos passim hujus argumenti plura reperies.

§. IV.

Quæ ex institutione Christi sit Baptismi forma?

Receptam in Ecclesia novimus praxim baptizandi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, quæ ipsa est Baptismi forma. Non desunt tamen de ea controversiæ, seu Sectariorum attendantur errores; seu Græcos inter & Latinos quædam differentia; seu demum variantes DD. Orthodoxorum opiniones. Horum proinde summa saltem capita primum insinuare non inutile fuerit: de enatis hinc controversiis deinde una generali Assertione statuemus.

Sectariorum Errores.

Præcipuum in præsenti inter Sectarios discrimen est, quod eorum aliqui formam Baptismi corruperint: integre contra observaverint alii, at non sine errore novo. Hoc ordine commemorandi sunt.

I. E primis fuisse Valentinianos, seu Gnosticos constat ex Irenæo L. 4. contra Hæref. C. 18. baptizabant enim *in nomine ignoti rerum universarum parentis, & veritatis omnium genitricis, & illius, qui in JESUM descendit in unione & redemptione & communione virtutum.* Montanistas, qui & Cataphrygæ dicti sunt, Basilius Ep. 1. ad Amphiloch. Can. 1. refert baptizasse *in nomine Patris & Filii & Montani*, quem credebant esse Spiritum Sanctum; quin eorum aliqui adjiciebant etiam nomen *Priscillæ*, Montani Pseudo-prophetissæ. Error idem fuit quorumdam Bonosiacorum teste Gregor. M. L. 11. Ep. 67. ad Quirinum. Vigilius Sec. VI. Pontifex Ep. 2. C. 6. meminit sui

ævi Sectariorum, baptizantium *in una persona Trinitatis*, *aut in duabus*, *aut in tribus Patribus*, *aut Filiis*, *aut in tribus Paracletis*. Arianos etiam, quamvis principio forma uterentur legitima, subinde tamen eam corrupisse dubitari nequit: baptizasse eorum aliquos *in nomine Patris per Filium in Spiritu*, narrat L. 13. C. 35. Nicephorus; compertum est eosdem, etiam ætate nostra, sæpius corrupisse formam his verbis, *in nomine Patris majoris & Filii minoris &c.*

Præter hos, ad Baptismi formam adulterantium classem pertinere Marcionitas, Sabellianos, Paulianistas, Photinianos, Eunomianos, & plures alios docemur partim ex variis Conciliorum Decretis, quibus rebaptizari jubentur: partim ex Epiphan. de Hæresibus, Theodoreto de Fabulis Hæreticorum, Nicephoro in Hist. Eccl. & aliis Scriptoribus Ecclesiasticis.

36 II. In altera Sectariorum Classe nominandi veniunt primum Sociniani: tametsi enim consuetam Baptismi formam propter antiquum ejus usum retinendam censeant, eam tamen post Socinum Tract. de Bapt. docent non pertinere ad rationem Baptismi, verum ad instructionem fidei dumtaxat; hinc Episcopius in Resp. 37. illa Christi verba: *euntes, docete - baptizantes in nomine &c.* hunc sensum facere contendit: *baptizantes, docete quis sit Pater, quis Filius &c.* Referendus isthic & Græcorum quorumdam error, qui formæ suæ: *baptizatur servus &c.* pertinaciter adeo inhærebant, ut Latinorum formam: *ego te baptizo &c.* penitus insufficientem dicerent, ac etiam a Latinis baptizatos rebaptizarent, ut colligitur ex Concil. Lateran. IV. Cap. 4. & refert Arcudius L. 1. de Bapt. C. 8. Potior interim Græcorum pars pro rata habet Latinorum formam, quamvis eorum multi cum Simeone Thessalonic. & Gabriele Philad. ejus usum reprehendant, de quo vide Auth. Perpet. Fidei L. 7. C. 5. Tomo 5.

Demum: in hac Sectariorum Classe locum sibi vendicat Lutherus, Zvinglius item, & Brentius; usitatam hi Baptismi for-

formam ita probant, ut simul absque ea Baptismum valere existiment. Certe Luther. L. de Capt. Bab. C. de Bapt. ratum esse ait Baptismum, modo non in hominis, sed in Domini nomine detur: imo, tametsi nec in nomine Domini detur, modo in nomine Domini suscipiatur. Zvinglius autem L. de vera & falsa Relig. C. de Bapt. aperte docet, non esse necessariam ullam certam verborum formam; hinc, referente Eckio Hom. 10. de Bapt. Zvingliani quidam baptizabant *in nominibus Patris & Filii &c.* Brentius denique in sua Catech. L. de Bapt. licet receptam ab Ecclesia formam servari velit, verum attamen ait fore Baptismum, si Minister post recitatum a Catechumeno Symbolum diceret: *audivi jam ex te confessionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem &c. in hanc igitur confessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis te esse insertum Christo; vade in pace.*

Latinorum & Græcorum quoad Baptismi formam Differentia.

Differentia hæc non substantialis, sed accidentalis tantum est, ut patebit, cum utriusque Ecclesiæ formam retulerimus. Itaque

I. Usitata apud Latinos Baptismi forma his absolvitur verbis: *ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Huic quandoque aliquid a veteribus additum ex antiquis Ritualibus docemur. Ita in vetusto Ordine Gallicano legitur hæc forma: *baptizo te credentem in nomine &c. ut habeas vitam æternam in sæcula sæculorum.* Et in Ord. Gallic. Gothico: *baptizo te N. in nomine Patris &c. in remissionem peccatorum, ut habeas vitam æternam.* Hæc vero substantiam formæ non mutasse clarum est.

Laudatæ porro formæ antiquitatem probat exemplum Baptismi a S. Stephano Sec. III. Pontifice collati his verbis: *in nomi-*

nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizo te, quod Baronius ad An. 259. N. 23. refert ex Actis Martyrii ejusdem Papæ. Idem conficitur ex eo, quod formam hanc, non ut recens inductam, sed ut a majoribus traditione acceptam commemoret S. Gregorius M. Sec. VI. Pontifex in suo Sacramentario, Author item Ordinis Romani, & antiqua Liturgia Gallicana a Cl. Mabillonio illustrata Tit. 25.

Nec obest, Augustinum, Serm. 99. in S. Lucam, damnasse Hæreticorum morem Sacramenta conferendi his verbis: *ego absolvo*, *ego baptizo &c.* pugnat etenim illic S. Doctor contra Donatistas, qui propterea, quod Sacramentorum efficaciam ex meritis Ministri pendere contenderent, rejecta forma *baptizatur &c.* quæ tum etiam in usu fuit, in persona sua dicebant: *ego absolvo*, *ego baptizo.* Non damnat igitur Augustinus verba hæc secundum se: verum prout cum errore conjuncta. Inde non est audiendus Morinus L. 8. de Pœnit. C. 9. & 16. cum paucis quibusdam aliis existimans, primis Ecclesiæ Seculis non fuisse in forma Baptismi actum baptizantis expressum verbo indicativo activo: *ego baptizo.*

38 II. Græcis, ac fere Orientalibus omnibus propria Baptismi forma est: *baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti ;* ut videre est apud Arcudium L. 1. de Bapt. C. 8. ubi simul addit: verbi passivi *baptizatur* usum apud suos inductum propterea, ne occasio daretur cum Corinthiis quibusdam Schismaticis existimandi, Ministrum suo nomine conferre Baptisma, si baptizans dicat, *ego te baptizo.*

Antiquam esse hanc formam colligitur ex vetustis Euchologiis, Theodoro item L. 2. Collectan. Joan. Moscho in Prato spirituali C. 176. & Severo Alexandrino L. de Rit. Bapt. quorum primus Sec. V. floruit: duo alii vero sub Sec. VII. initium. Num Græci aliquando more Latinorum usi sint verbo baptizandi activo pro forma, non satis constat ; conjiciunt id aliqui ex Gregorio Nazianz. Orat. 40. De quibusdam Orientalibus

talibus dubitari nequit. Auth. Perp. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 5. ex MS. Arabico Cophtorum seu Coptitarum Rituali, refert hanc eorum formam: *ego te baptizo in nomine Patris Amen; ego te baptizo in nomine Filii Amen; ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti Amen;* Idem ex Syrorum Offic. Baptismi MS. hanc formam recitat: *ego baptizo N. agnum gregis Christi, in nomine Patris & Fil. & Spir. S. in vitam aeternam.*

Ad valorem Graecorum formae quod attinet, indubitanter dicendum: valide ea perfici Baptismum, pro rata proinde habendam. Argumentum in hanc rem est judicium ipsius Ecclesiae Latinae, ut quae a Graecis baptizatos nunquam rebaptizavit; quin nec litem illis ullam de forma movit, ne tum quidem, cum de eorum unione ageretur; quid quod eam & Concil. Florent. in Decr. Union. Armen. approbaverit. Et ratio praeterea est: nam perinde in Graecorum ac Latinorum forma exprimitur tam baptizati persona, quam principalis causa Baptismi, quae est SS. Trinitas; tum denique ipse Minister per verbum *baptizatur*, ubi ex passivae significationis usu subintelligitur *a me.*

At Graeci, inquies, non absoluta, sed deprecativa in Baptismo utuntur forma, nempe: *baptizetur servus &c.* igitur eorum forma non est eadem quoad substantiam cum nostra, atque ita nec rata.

Resp. I. N. ant. contra quosdam Theologos id existimantes. Falso autem id ab iis asseri ostendit Arcudius L. 1. de Bapt. C. 8. & Goarius in Euchologio Graecorum. Evincitur idem ex vetustissimis Graecorum Euchologiis, in quibus legitur: βαπτίζεται ὁ δοῦλος &c. quod idem est, ac *baptizatur talis &c.* non vero *baptizetur.* Vide Auth. Perp. Fid. loc. supra cit. Si quando proinde in Euchologiorum versione latina reperias *baptizetur*, censendum est, ignorantia Interpretis vel negligentia Librarii errorem hunc irrepsisse.

Resp. II. quamvis ultro detur ant. positum: vim suam tamen illatio non habet. Numquid enim rata est apud Latinos

Extremæ Unctionis forma, tametsi verbis deprecativis enuncietur? numquid Græcorum etiam Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Unctio & Ordo pro ratis habentur, etsi non ignoremus, Sacramenta hæc ab illis verbis deprecativis consecrari? Deinde: τὸ *baptizetur* potest etiam facere sensum imperativum. Utroque autem hoc sensu actus baptizantis saltem exercite (ut scholæ dicunt) sufficienter exprimitur. Hinc S. Thomas, licet per τὸ *baptizetur* formam Græcorum haberi supponat 3. p. qu. 66. Art. 5. ad 1. eam tamen ibidem validam esse docet. Quin & Eugenius IV. in Decr. Union. pro Arm. illam probat; post relatam enim Latinorum formam subjungit: *non tamen negamus, quin & per illa verba baptizetur vel baptizatur manibus meis talis servus vel serva Dei in nomine Patris &c. verum perficiatur Baptisma.*

Si urgeas: teste Alberto M. in 4. dist. 3. qu. 2. Alexander III. rebaptizandos censuit quosdam in Dalmatia Græcorum forma baptizatos; item Innocentius IV. in Cap. 1. de Bapt. & ejus effect. scribens, negat valere Baptismum Græcorum forma collatum in Occidentali Ecclesia, ergo &c.

Resp. Alexandrum III. id quidem primum existimasse; re tamen dein maturius excussa revocavit sententiam, ut notat Tournel. in Præl. Theol. de Bapt. qu. 1. Art. 4. Ab Innocentio autem IV. ut qui in cit. Comment. non aliam quam privati Doctoris authoritatem habet, in præsenti recedendum est propter rationes, quas pro Græcorum forma attulimus.

Variæ DD. Orthodoxorum de Baptismi forma opiniones.

VAriantes hæ Doctorum opiniones aliæ spectant ad actum baptizandi per verba *ego te baptizo*, vel *baptizatur* expressum: aliæ ad invocationem SS. Trinitatis illis contentam verbis: *in nomine Patris &c.* Nempe

I. Sunt

I. Sunt quidam, qui existiment valide conferri Baptismum, si Minister abluens Catechumenum invocet SS. Trinitatem dicens: *in nomine Patris &c.* tametsi penitus omittat illa, aut his similia verba: *ego baptizo*. Sententiæ hujus fuerunt, Petrus Cantor in Sum. de Sacram. Præpositivus Summ. Theol. p. 4. Hugo Victorin. L. 2. p. 6. C. 13. de Sacr. Magister Sent. L. 4. dist. 3. Stephanus Ep. Tornacen. Ep. 5. ad Pontium Epis. Claromont. Nec penitus rejicit hanc opinionem Morinus; nam L. 8. de Pœnit. C. 16. docet ratum fuisse hujusmodi Baptisma ante receptam Alexandri III. Constitutionem; post hanc enim, cum in ea declaretur esse irritus, ad valorem & ipse requirit verba *ego te baptizo*, aut his æquivalentia. Putat nempe Ecclesiam in Sacramentorum administratione posse statuere leges & conditiones, quibus non observatis irritum fiat Sacramentum, uti factum ait in Matrimonio. 39

Oppositum his cum D. Thoma 3. p. qu. 66. Art. 5. communior Theologorum docet; necessario videlicet actum baptizandi esse exprimendum per verba *ego te baptizo*, aut his similia: ac nisi istud fiat, non valere Baptismum.

II. Non minus variant DD. quoad partem formæ alteram. Maldonatus Tom. 1. de Sacram. qu. 3. censet validum fore Baptisma collatum præcise *in nomine Trinitatis*, quamvis non fieret distincta divinarum Personarum Patris, ac Filii & Spiritus S. expressio. Amplius multo ante illum ausi Hugo Victor. L. 2. de Sacram. Lombardus L. 4. dist. 3. Cajetanus in Commentariis; Hadrianus VI. in Opere de Bapt. ante Pontificatum conscripto: horum sententia valet Baptismus in solo *nomine Christi* datus; idque propterea, quod idem sit *in nomine Christi*, ac *in nomine Patris & Filii &c.* baptizare. Scotus in 4. dist. 3. & Richardus dist. 3. Art. 2. qu. 5. id affirmare non audent, nec tamen etiam negant. Negat attamen pars Theologorum potior, ac omnino ad valorem Baptismi expressam trium Divinarum Personarum invocationem requirit. 40

Sed nec hos inter convenit de Baptismo universim accepto. Nempe & horum sunt aliqui, qui Apostolorum saltem tempore existiment valuisse Baptismum solo Christi nomine invocato ministratum: idque peculiari privilegio ac Christi dispensatione; quo videlicet nascente Ecclesia apud Gentes & Judæos, ipsosque Christianos primos major Christi nomini honor & celebritas conciliaretur. Opinionem hanc e veteribus tuiti sunt D. Thom. 3. p. qu. 66. Art. 6. ad 1. Bonaventura in 4. dist. 3. Scotus ibid. qu. 2. e Recentioribus præter alios, præsertim Scotistas fere omnes, Gonet disp. 1. Art. 3. Frassen disp. 1. qu. 6. & August. Orsi peculiari Tractatu, quem Defensioni Præceptoris Angelici consecravit, domesticis e schola Thomistica Adversariis omissis, exteros dumtaxat, ut Suarez, Vasquez &c. impugnans, quod ei vitio dat Auth. de Re Sacr. Pro sententia contraria pugnant Suarez, Vasquez, Bellarminus, Harduinus, Dominicus Soto, Melchior Canus, Joannes Nicolai, Natalis Alexander, Simonet, Tournely, Berti, ac præ aliis Auth. de Re Sacram. in Appendice de Bapt. contra Augustinum Orsi studio peculiari elucubrata.

His prævie recensitis, tam contra Sectarios, quam contra quasdam Orthodoxorum opiniones statuenda jam est generatim

ASSERTIO

AD valorem Baptismi in ejus forma necessarium est exprimere actum baptizandi per hæc aut his æquivalentia verba: ego te baptizo; *item distinctam trium Divinarum Personarum,* Patris & Filii & Spiritus S. *invocationem; hacque ipsa semper usi sunt Apostoli baptizantes.*

Assertio tres habet partes; pro omnibus generatim facit institutio Christi, hac, & non alia ratione volentis ministrari Baptismum; id quod ex Scripturis, & sensu Ecclesiæ docemur. Atque ad hoc conformiter Ar-

41 Argumentum pro Assertionis parte I. ducitur ex Christi apud Matth. C. 28. verbis, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine &c.* ex quibus, uti SS. Trinitatem invocandi, sic & actionem baptizantis exprimendi necessitatem deducit Ecclesia, quæ unica est Verbi Divini interpres. Hunc vero, & quidem tam Orientalis quam Occidentalis, esse sensum docet ejusdem usus perpetuus, ut videre est a N. 37. Inde vel vetustissima Græca & Latina Ritualia (quorum plurima refert Martene L. 1. de antiq. Eccl. Ritibus) dempto Cameracensi Sec. XV. edito, in forma Baptismi præscribunt verba: *ego te baptizo*, vel *baptizatur servus &c.* Ac ne de hoc ullum amplius esse possit dubium, clara est Alexandri III. definitio in Extr. de Bapt. Cap, si quis puerum, ubi, *si quis*, inquit, *puerum ter in aqua merserit in nomine Patris &c. & non dixerit*, ego te baptizo &c. *puer non est baptizatus.* Confirmavit idem Alexander VIII. An. 1690. 7. Dec. inter alias propositiones hanc N. 27. damnans: *valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus:* in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, *prætermissis istis*: ego te baptizo. Vide in hanc rem & Decret. Eugenii pro Armen. §. 1.

Ex his, propter easdem rationes, pronum est statuere: in forma Baptismi etiam baptizandi personam exprimendam esse. Hinc Stephani (cujus nescio) Papæ Responsa, quibus approbatur Baptismus sine expressione personæ baptizandæ collatus, Platelio in Synop. Theol. C. 2. §. 1. N. 127. videntur esse suppostitia: aut certe ut privati tantum Doctoris. Quid quod (ut Tournelyus alibi observat) Responsa Stephani Papæ non raro confundantur cum Responsis Stephani Episcopi Tornacensis, quem in præsenti nobis adversari supra N. 39. notavimus. Floruit autem Stephanus Tornac. cum Stephano X. Papa eodem Seculo, nempe decimo.

42 Argumentum pro parte II. fundatur pariter in supra cit. apud Matth. verbis, quibus Christus dedit præceptum bapti-

zandi sub hac forma *in nomine Patris &c.* Pertinere vero istud ad valorem Baptismi inde colligas, quod Christus ibidem de ejus substantia egerit. Sed cumprimis id ex usu & sensu Ecclesiæ evincitur.

Et usum quidem satis probant Græcorum & Latinorum Rituales Libri, qui consuli possunt apud Martene L. 1. de antiqu. Eccl. Rit. & Joseph. Vicecomitem L. de Bapt. in nullo certe horum reperias Baptismi formam sine expressa invocatione *Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Ejusdem testimonium habemus ex Patribus ævi omnis. Pro I. Seculo sit Dionysius Areop. qui de Eccl. Hierarch. C. 2. *ter eum*, inquit, *immergit - - tres Divinæ Beatitudinis personas invocando.* Pro II. Justinus M. Apol. 2. *in nomine rerum cunctarum Parentis & Domini Dei, & Salvatoris nostri JESU Christi, & Spiritus S. in aqua tum lavantur.* Pro III. Tertullian. L. adversus Praxeam C. 26. *novissime mandans* (Christus) *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum S. nam nec semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas tingimus.* Pro IV. Hilarius L. 1. de Trinit. *sequens* (Liber) *ita Sacramentum edocet Divinæ generationis, ut baptizandi in P. & F. & Sp. S. non ignorent nominum virtutem - - sed unumquodque ita sensu concipiant, ut est, ac nuncupatur.* Eadem legere est apud Ambrosium & Augustinum in eorum de Bapt. LL. ac passim apud PP. qui deinceps de Baptismi Sacramento scripserunt: demum in tot Conciliorum Decretis, & Pontificum Rescriptis, quorum multa in Decretum Gratiani, & LL. Decretalium relata reperies.

Sensum vero Ecclesiæ eum esse, ut semper existimaverit, invocationem hanc ad valorem Baptismi pertinere, docemur

I*mo* ex PP. Sint pro aliis: Cyprianus Ep. 73. ad Jubaj. admirans, *quomodo*, inquit, *quidam dicunt - - in nomine JESU Christi - - baptizatum Gentilem remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Basilius L. de Spir. S. C. 12. *in baptismo*

ſmo ſeparare Spiritum a Patre & Filio, ut periculoſum eſt baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile &c. Auguſtinus L. 6. de Bapt. C. 25. *Deus adeſt Evangelicis verbis ſuis, ſine quibus Baptismus Chriſti conſecrari non poteſt;* quæ autem ſint hæc verba, jam ſupra L. 3. de Bapt. C. 13. expoſuit: *ſi Evangelicis verbis in nomine Patris &c. Marcion Baptismum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.* Similia legere eſt apud Iſidorum L. de Offic. Eccl. C. de Bapt. Damaſcenum L. 4. Orthod. Fidei C. 9. Didymum, Fulgentium, Theophylactum, & alios.

2*do* ex Pontificum definitionibus. Gregorius M. L. 11. Ep. 67. *hi vero*, inquit, *hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur - cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizentur: quia Baptisma non fuit, quod in SS. Trinitatis nomine minime perceperunt.* In eamdem ſententiam jam ante locutus eſt Innocentius I. in Ep. ad Epp. Maced. C. 5. ac deinde Sec. VI. Pelagius in ſuo ad Gaudentium Reſcripto, quod refertur Cap. ſi revera, Diſt. 4. de Conſecr. Clariſſime demum omnium Zacharias ſub An. 748. in Decreto, relato Cap. 83. diſt. 4. de Conſecr. ubi, *perfectus*, inquit, *Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris & Filii & Spir. S. fuerit baptizatus - - qui vel unam de Trinitate Perſonam non nominaret, illud Baptisma verum eſſe non poſſet.*

3*tio* ex Decretis Conciliorum, præſertim Arelaten. I. Nicæni I. Laodiceni, Conſtantinopolitani I. & Arelatenſis II. quæ jam ſupra L. 1. de Sacr. in Gen. N. 155. citata reperies. Jubentur nempe illic rebaptizari quidam hæretici, idque ex cauſa non alia, quam quod baptizati non ſint in nomine SS. Trinitatis.

Argumentum pro parte III. eſt: conſtat per jam cit. ex Matth. Chriſti verba *euntes docete - - baptizantes &c.* datam eſſe Apoſtolis legem baptizandi *in nomine Patris & Filii & Spir. S.* contra nullo fundamento certo adſtruitur eorum ab hac lege immunitas: quod enim hujus ex Scriptura, aut Traditione, 43

vel

vel Patribus & Conciliis testimonium? censendum igitur, ex legis acceptæ præscripto Apostolos semper baptizasse *in nomine Patris &c.* nisi falso putes, certum elidi posse per incertum. Sane ipsa causa, ob quam peculiari privilegio Apostolos a lege illa exemptos fuisse putant Adversarii, nihil firmi habet. Ajunt nempe id ad celebritatem Christi nominis promovendam pertinuisse; verum, quid huic decessurum erat, si Christus perinde in Baptismo, ac in prædicatione Evangelii cum Patre & Spiritu S. conjungeretur? hæc ipsa imo conjunctio augendæ ejus gloriæ plurimum serviebat: quando nihil est Christo gloriosius, quam ejusdem esse cum Patre & Spiritu S. naturæ ac dignitatis, cujus ipsius conjunctio illa est argumentum.

Utut interim sit de causæ hujus congruentia: id præterea reliquum habent Adversarii, ut ob eam Apostolos dicta immunitate re ipsa donatos etiam evincant; id vero ab iis non præstari, patebit ex N. 48. ubi ad objecta respondebitur. Quin contra, nullam hujusmodi immunitatem Apostolis concessam, neque in solo Christi, sed Patris simul & Spiritus S. nomine eos baptizasse, non obscure indicant Patres. Cyprianus quidem Ep. 73. ad Jubaj. *JESU Christi*, inquit, *mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post Resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris &c. baptizari gentiles jubentur. Quomodo quidam dicunt - - in nomine JESU Christi - - baptizatum gentilem &c.* Item Damascenus L. 4. Orth. Fid. C. 9. docens, *nos semel baptizari necessarium esse - - in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, paucis interjectis addit: *etsi enim Apostolus dicit: in Christum & in mortem ipsius baptizati sumus - non tamen hoc vult, Baptismi invocationem ex his verbis constare debere; verum, Baptismum mortis Christi figuram præseferre.* V. Beda demum var. Quæstionum qu. 14. *si quis baptizans dicat: baptizo te in Christo JESU, & non dicat in nomine Patris &c. sicut Dominus instituit, non est verus* Ba-

Baptismus ; & ideo videndum, ne quis erret in verbis Apostoli, quibus dicit : nunc baptizo in Christo JESU, aliter intelligens, quam dictum sit.

Addendum his denique : cum Act. 19. Discipuli quidam de Spiritu S. interrogati, nihil se de eo audivisse, responderent, Paulus admirans, *in quo ergo*, inquit, *baptizati estis ?* istud vero non obscurum praebet argumentum judicandi, tam Paulum, quam reliquos Apostolos, non in solo Christi (quod Adversarii contendunt) sed & Spiritus S. nomine baptizasse.

Respondetur Adversariis.

Opponitur contra I. partem Assertionis : Christus apud Matth. C. 28. praecepto suo id dumtaxat voluit, ut baptizemus in nomine Patris &c. non ut proferamus etiam ipsa haec verba *ego te baptizo* ; frustra igitur eorum necessitas ex cit. loco repetitur. 44

Resp. N. ant. neque interim necessitatem hanc arguimus ex solis Christi verbis, verum simul ex sensu Ecclesiae eadem interpretantis. Hunc vero pro nobis facere, patet ex N. 37. & 41. Ex hoc ipso porro conjicias, cur in praedicatione verbi divini necesse non habeat Minister praemittere : *ego vos doceo*, quamvis Christus dixerit ; *euntes docete &c.* nempe dispari sensu istud Ecclesia exponit, ac illud *baptizantes*. Nec obest, veteres PP. in suis de Bapt. LL. pro sola SS. Trinitatis invocatione fuisse solicitos, quin uspiam pugnent pro verbis : *ego te baptizo* ; primum enim tantum a quibusdam vocabatur in dubium, non item hoc alterum. Caeterum, cum aetate Petri (juxta Tournelyum *Pontii*) Claromontani Episcopi apud rudiores quosdam Laicos irrepsisset error baptizandi per sola verba *in nomine Patris &c.* omissis illis *ego te baptizo*, judicio ejusdem Petri, ac etiam Mauritii Parisini Ep. Baptisma sic collatum pro nullo habendum esse, pronunciatum est.

45 Instari potest: eodem igitur jure dixerit quispiam, voces *Ego* & *Amen* ad formæ substantiam pertinere, idque ex sensu Ecclesiæ; nam τὸ *Ego* Alexander III. & VIII. recitant in forma Baptismi, ut supra N. 41. videre est; vox etiam *Amen* in quibusdam editionibus LL. Decretalium legitur in Extr. de Bapt. C. si quis puerum.

Resp. negandam esse illationem. Uterque enim laudatus Pontifex formam Baptismi recitans, id dumtaxat definivit, de quo enatum est dubium. Quid vero istud erat? hoc unum: an his solis verbis, *in nomine Patris &c.* omissis illis, quæ personam baptizatam & actum baptizandi exprimunt, perficiatur Baptismus? Definiverunt itaque ad perficiendum illum exprimi oportere tam personam baptizatam, quam actionem baptizandi; quia vero utrumque istud fit hac consueta Ecclesiæ forma: *ego te baptizo in nomine &c.* hujus ipsius verba recitarunt. Cæterum sine vocibus *Ego* & *Amen* substantiam formæ haberi vel inde satis docemur: quod neutrius meminerit Christus in suo ad Apostolos præcepto; quod item in multis antiquissimis Ritualibus utraque omittatur, ut videre est apud Martene L. 1. de antiqu. Eccl. Rit. Præterea, sine expressa voce *Ego* sufficienter significatur persona Ministri per verbum *Baptizo*, uti in Græcorum forma per τὸ *baptizatur.*

46 Opponitur contra II. partem Assertionis: perinde est dicere: *in nomine SS. Trinitatis*, ac singulas ejus personas seorsim enunciare; rata igitur non minus haberi debet forma: *ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*, ac altera, quæ fit cum expressa singularum Personarum invocatione. Ita arguit Card. Cajetanus in Comment. in D. Th. 3. p. qu. 66. Art. 5.

Resp. Dist. ant. perinde est spectata significatione, quam voces habent ex institutione & usu hominum, Conc. perinde etiam, quantum ad integritatem Baptismi formæ, quæ ab institutione Christi repetenda est, Nego. Voluisse autem Christum in Baptismi ministratione tres Divinas personas distincte,

ac

ac suis speciatim nominibus invocari, jam supra N. 42. probavimus ex usu & sensu Ecclesiæ. Ac certe, si quid Cajetani argutatio valeat, cur non eodem jure sufficiat baptizare *in nomine Dei veri?* hoc enim solo jam significatur Divina Trinitas. Nempe universim ea, quæ suam ab institutione Divina vim habent, ad hujus unius normam exigenda sunt. At ex hac ipsa forte

Instabit Adversarius: institutione sua quidem Christum eo spectasse, ut, quo amplius Baptizandorum animis Mysterium Trinitatis inhæreat, communiter peragatur Baptismus cum distincta invocatione Patris & Filii &c. non tamen ita, ut eum penitus irritum voluerit, si quando ministretur e. g. in nomine Dei, vel Christi: ac proinde cum implicita tantum trium personarum enunciatione; non est igitur, quod ad institutionem Christi provocemus. Assertum suum adversæ opinionis Patroni fundatum ajunt in Patribus, ex quibus de Christi instituentis voluntate Ecclesiæ sensus colligitur. Laudant autem hic cumprimis Bernardum, tum Stephanum I. & Nicolaum I. Pontifices. Audiantur singuli. 47

S. Bernardus de Baptismo cuidam in extremis collato hac forma: *baptizo te in nomine Dei & sanctæ & veræ Crucis*, ita sensum suum aperit in Ep. ad Henricum Archidiac. *ego vere*, inquit, *hunc baptizatum puto; nec sonum vocis veritati fidei, & pietati intentionis præjudicare potuisse.* En! ex mente Bernardi Baptismus *in nomine Dei* ratus est.

S. Stephanus solo Christi nomine invocato baptizavit, ut colligitur ex Cypriani Ep. 73. qua id ipsum in Stephano & in adhærentibus reprehendens, *quomodo ergo*, inquit, *quidam dicunt foris extra Ecclesiam - - modo in nomine JESU Christi, ubicumque & quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Deus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Idem habetur ex S. hujus Papæ & M. passionis Actis, iisque judicio Baronii ge-

 nuinis

nuinis: legere est nempe isthic Stephanum in Crypta Nepotiana centum & octo qua Viros, qua Mulieres baptizasse in nomine D. N. J. Christi. De Actis his consule Baron. ad An. 259. N. 20.

S. Nicolaus consultus a Bulgaris; quid sentiendum sit de Baptismo quibusdam ministrato per Judæum, de quo nesciebatur, num Christianus, an Paganus fuerit? ita respondit: *hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe, idemque est, ut exponit S. Ambrosius) constat eos non denuo esse baptizandos.*

Resp. Negandum esse Assertum, quod frustra nituntur Adversarii firmare sensu Ecclesiæ ex Patribus petito. Hunc certe pro nobis multo amplius facere satis declarant ea, quæ dicta sunt N. 37. & 38. ac rursum N. 42. ut adeo, si qui e Patribus in præsenti adversantur, non vereamur ab illis recedere. At jam speciatim ferendum est judicium de laudatis PP. testimoniis. Ac primo quidem

Bernardi Epistolam non constat esse genuinam; quamvis enim Horstius cum Mabillonio attribuant eam Bernardo; Estius tamen in 4. dist. 3. §. 5. supposititiam putat. Si prior sententia obtineat, id nobis fit reliquum, ut a D. Bernardo isthic recedamus, quod ipsum Mabillonius faciendum censuit.

Stephanum in solius Christi nomine baptizasse nullo sat firmo testimonio comprobatur; præsertim cum in ipsis cit. Actis legere sit, Nemesium Tribunum ab eo baptizatum hac forma: *in nomine P. & F. & Sp. S. baptizo te.* Quid quod hac ipsa forma Stephanum cum sibi adhærentibus baptizasse, testetur etiam Firmilianus ejus Adversarius in Ep. ad Cyprian. inter Cyprianicas 75. *illud quoque absurdum*, inquit, *quod non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus S.* Hinc communis est DD.

sen-

sententia, Cyprianum (Si tamen is cit. Ep. 73. nominatim Stephanum sugillare intenderit) non satis fuisse mentem Stephani assecutum. Ac sane, cum tota inter eos controversia de eo dumtaxat fuerit: num Minister vera fide destitutus perficiat Baptismum? id affirmans Stephanus propterea, quod hæreticus etiam baptizare possit *in nomine Christi*, non aliud utique his significatum voluit, quam quod & hæreticus vice & authoritate Christi ac in ejus virtute baptizet, si modo ministret Baptismum a Christo institutum. Non exclusisse eum autem SS. Trinitatis invocationem, vel id evincit: quod Traditionis, quæ Baptismum cum dicta invocatione conferendum docet, adeo tenax fuerit, ut hac una contra Cyprianum pugnandum censuerit, *nihil innovetur*, inquiens, *nisi quod traditum est &c.*

Ad Objectionem demum ex Nicolai I. Rescripto petitam responsum sit ex Bellarmino L. 4. de Rom. Pontif. C. 12. ubi ait, *Nicolaum, non definiendo quæstionem de fide, illud dixisse, sed solum ut Doctorem particularem exposuisse obiter opinionem suam. Nam quod ille intendebat docere in illo Canone, non erat de forma Baptismi, sed tantum de Ministro, de quo interrogatus fuerat; itaque posteaquam responderat & definierat, Baptismum esse ratum, etiamsi a Judæo vel a Pagano detur, quæ erat præcipua quæstio: additur obiter Baptismum esse ratum, sive in nomine trium personarum, sive in nomine solius Christi detur.* Idem responsum est Melchioris Cani de Loc. Theol. L. 6. C. 8. Estii in 4. sent. dist. 3. §. 3. & Alexandri Nat. in Hist. Sec. III. Dissert. 13. cum quibus proinde & ipsi deferendam censemus opinionem Nicolai, quam is, ut privatus Doctor, cit. ad Bulgaros Rescripto incidenter inseruit. De S. Ambrosio, cujus authoritatem ibid. insinuat, infra N. 50. sententiam proferemus.

Opponitur contra III. partem Assertionis ex Scriptura, quæ pluribus locis affirmat Apostolos in solius Christi nomi- 48

ne baptizasse. Ita in Actis Apost. C. 2. ajebat Petrus: *baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum.* Item C. 10. *jussit eos baptizari in nomine Domini JESU Christi.* Et supra C. 8. refertur: *cum vero credidissent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine JESU Christi baptizabantur viri & mulieres.*

Resp. Nego assertum; neque enim in ullo ex recitatis textibus legitur: in *solius* nomine Christi. Sed nec istud ex illis deduci potest.

Quo res clarior sit, positum assertum distinctione ex Patribus desumpta explico: affirmat Scriptura Apostolos baptizasse in nomine Christi, idque sensu dumtaxat positivo, ita ut non excludantur personæ aliæ C. sensu alias personas excludente N. Ita cit. textus exponunt Cyprian. Damasc. & Beda N. 43. relati; ubi simul sub finem ex Act. 19. observavimus, Apostolos baptizasse etiam in nomine Spiritus Sancti: non igitur in solo nomine Christi, exclusis personis aliis.

Altera cit. textuum expositio est ex Theophylacto: nempe, baptizarunt Apostoli in nomine Christi hoc sensu, quod vice & authoritate Christi, ac in ejus virtute vel fide contulerint Baptismum, & quidem eum ipsum, quem Christus instituit, quique proin distinctus erat a Baptismo Joannis & Judæorum: non vero, quasi baptizaverint cum invocatione solius nominis Christi. Libet referre in Luc. C. 24. Theophylacti verba: *quando dicimus*, inquit, *baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus, quod oporteat in solius Christi nomine fieri: sed quod Christi Baptisma - - Spirituale sit, non Judaicum; neque quale Joannis in pœnitentiam solum &c.* Ac istud quidem plane conformiter ad Scripturam, in qua τὸ *in nomine* non raro sumitur pro authoritate vel virtute: uti est illud Petri ad claudum Act. 3 *in nomine JESU Christi Nazareni surge & ambula*; item Act. 4.

& Ps.

& Pf. 43. v. 7. Clariffimus autem hanc in rem locus eft ex Act. Apoftolorum C. 19. a V. 1. ad 6. ubi quidam Difcipuli dicuntur baptizati *in nomine Domini JESU*, ad fignificandum Chrifti Baptifmum, a Baptifmo Joannis diverfum.

49 Inftabis I. Scripturæ phrafi τὸ *in nomine* non virtutem aut authoritatem : fed invocationem fignificat. Ita nos ipfi exponimus illud apud Matth. *baptizantes in nomine Patris &c.* & clare docent verba Ananiæ ad Saulum Act. 22. V. 16. *& nunc quid moraris ? exurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipfius ;* eodem itaque fenfu, nempe de invocatione, intelligendi funt etiam textus reliqui ex Actis Apoft. fupra citati.

Refp. tametfi ultro detur Adverfariis, quod afferunt : nondum tamen rem evincunt, ut patebit expendenti primam cit. textuum expofitionem, quam N. priore in Refponfo fub initium attulimus. Cæterum, vocum fignificatio non recte univerfim arguitur ab uno Scripturæ loco ad alium; in diverfis certe eadem voce diverfum defignari non infrequens eft. Quo genuinum proinde confequaris fenfum, contextus primum loci confulendus: ac fi hoc nondum omnis expediatur dubitatio, judicio demum acquiefcendum Ecclefiæ. Hoc jam autem attento, apud Matth. τὸ *in nomine* pro *invocatione* : non perinde etiam in locis reliquis fumendum contendimus. Nec urget quidquam illud ex Act. 22. *invocato nomine ipfius*, nempe Chrifti : hæc enim verba non ad Ananiam Baptismi Miniftrum, fed ad ipfum baptizandum Saulum referenda effe, patet ex græco textu : ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου : baptizare & ablue peccata tua, *invocans nomen Domini.*

50 Inftabis II. Judicium Ecclefiæ de cit. ex Actis Apoft. textibus defumendum eft ex fenfu Patrum ; at hi illud *in nomine Chrifti* ita exponunt, ut exiftiment Apoftolos *folius Chrifti nomine invocato* baptizaffe; nondum igitur elifa eft vis argumenti ex Actis Apoft. petiti. Pro Min. propofitionis probatione lau-

laudantur Cyprianus, Basilius, Hilarius & Ambrosius. Nempe

S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubaj. sub medium docet, *Apostolos baptizasse Judaeos in nomine JESU: Gentiles autem in nomine Patris & Filii &c.*

S. Basilius L. 5. de Spir. S. contra Eunomium C. 3. de Remiss. peccat. in Edit. Paris. Congr. S. Mauri: *Gentes, quae crediderint - - jubet* (Christus) *baptizari in Trinitatis nomine; Petrus vero ad Judaeos - - poeniteat, inquit, unumquemque vestrum - - atque baptizetur in nomine Domini JESU, & salvabitur: tanquam possit eadem efficere Filius in lavacri regeneratione, quae Pater & Spiritus S. efficiunt.*

S. Hilarius in L. de Synodis sub finem affirmat, *Apostolos baptizare jussos in nomine Patris & Filii &c. tantum in JESU nomine baptizasse.*

S. Ambrosius L. 1. de Spir. S. C. 3. *Æthiops Eunuchus Candacis Reginae baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.* Et infra addit: *cum enim dicitur, in nomine Domini JESU Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est. - - si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius: & ipsum, qui unctus est, Filium: & Spiritum, quo unctus est, designasti.*

Resp. neque nobis deesse PP. quorum nos tueamur authoritate; haec autem certe cum momentis, ad hanc opinionem firmandam supra allatis conjuncta, multo amplius evincit, quam ut argumentis Adversariorum infirmari possit. Si qui proinde sunt PP. nobis contrarii, ultro profitemur, in quaestione hac, quae scholae controversiam non excedit, ab eorum sententia nos recedere: ac nominatim a D. Thoma; quamquam hunc Alexander Nat. Hist. Eccl. Sec. 3. Differt. 3. hypothetice dumtaxat, non vero absolute locutum fuisse existimet, quasi nempe dixerit: dispensationem habuisse Apostolos, si re ipsa in solius Christi nomine baptizaverint. Vide S. Th. 3. p. qu. 66.

Art.

Art. 6. ad 1. Ad PP. interim, qui in Objectione laudantur, quod attinet, neminem eorum nobis adversari, verisimilius est. Etenim

S. Cyprianus cit. Ep. non loquitur de forma Baptismi, sed de professione publica & explicita baptizandorum. Id igitur, quod isthic vult, hoc unum est: Gentiles ante Baptismum debuisse profiteri explicitam fidem in Trinitatem; Judæos autem nominatim etiam in Christum, idque propter singulare illud odium, quo in eum ferebantur: ut in contextu insinuat Cyprianus. Ac omnino, nisi hic sensus sit cit. verborum, quomodo Cyprianus in eadem Ep. generatim dicere potuit? *JESU Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.*

S. Basilium in cit. loco non esse eo sensu, quo Adversarii volunt, accipiendum, patet ex iis, quæ ibi præmittit: *neminem*, inquit, *offendere debet illud Apostoli, quod nomen Patris & Spiritus S. in Baptismatis commemoratione frequenter omittit, neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem; quicumque*, ait, *in Christum baptizati estis &c. siquidem Christi appellatio totius Deitatis est professio.* Quid vero istud est ex mente Basilii aliud? quam quod Apostolus eos, qui re ipsa baptizati erant *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, verborum usus compendio *in nomine Christi* baptizatos dixerit propterea, quod Christi appellatio contineat implicite Trinitatem. Hoc sensu accipienda esse Basilii verba & illud suadet, quod ibidem mox subjiciat: *videtur tamen interdum & Spiritus Sancti tantum in Baptismo mentionem fecisse Apostolus; - - at non ideo quis dixerit, perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus Sancti nomen invocatum est; oportet enim inviolabilem semper manere traditionem &c.*

S. Hilarius in memorato de Synodis Libro nihil definit de Baptismo ab Apostolis collato. Pugnat nempe illic solum contra eos, qui cum Osio Cordubensi vocem ὁμοούσιος sublatam vo-

lebant propterea, quod a quibusdam pravo ſenſu acciperetur. Evincere ergo nititur S. Doctor cauſam hanc nullius eſſe ponderis: alioquin etiam (ut contra illos arguit) expungenda forent ex ipſis S. Literis multa, quia iis ad tuendum errorem ſuum hæretici abutuntur: vel quia aliis textibus ad ſpeciem ſunt contraria. In hanc rem deinde adducit quædam Scripturæ loca: ut Joan. 14. *Pater major me eſt*; quibus verbis Ariani contendunt aſſeri, Filium non eſſe æqualis ſubſtantiæ Patri &c. Pluribus aliis hujusmodi exemplis interjectis, demum etiam, infert, expungendum fore illud apud Matth. *euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; ne ſcilicet* (ita arguit) *Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine P. & F. & Spir. S. juſſi, tantum in JESU nomine baptizarunt.* Ex his vero quis non conjiciat? S. Hilarium iſthic, cum dicit Apoſtolos tantum in nomine JESU baptizaſſe, hoc dumtaxat ſenſu accipiendum: videlicet in Actis Apoſtolorum legi ſolum, quod in JESU nomine baptizaverint; non autem aſſerere ac definire, Apoſtolos revera ſolum Chriſti nomen in forma Baptiſmi invocaſſe.

S. Ambroſius demum Eunuchi Baptiſmum referens de fide baptizati tantum loquitur: non autem de forma Baptiſmi. Hinc, cum dicit Eunuchum *baptizatum in Chriſto*, idem eſt, ac baptizatum eſſe in fide de ſolo Chriſto externe ac explicite expreſſa. Hunc vero Baptiſmum, cum hujusmodi fidei explicita profeſſione conjunctum, aſſerit fuiſſe utilem Eunucho, eumque in illo plenum myſterium idcirco eſſe conſecutum, quod in fide Chriſti explicita etiam Patrem & Spiritum S. tacite ſit profeſſus. Colligitur iſtud ex mox ſubjectis S. Doctoris verbis: *ſi Chriſtum*, inquit, *dicas, & Deum Patrem, a quo unctus eſt Filius; & ipſum, qui unctus eſt, Filium: & Spiritum, a quo unctus eſt, deſignaſti.*

Sunt

Sunt & aliæ cit. Patrum expoſitiones, quæ, uti & reliqua ad uberiorem hujus argumenti notitiam pertinentia, videri poſſunt apud Vaſquez in 3. p. D. Thomæ Diſp. 143. Bellarm. L. 1. de Bapt. C. 3, Tournelyum, Bertium, Simonet, ac cumprimis Auth. de Re Sacram. in Appendice de Bapt. ubi quæſtionem hanc copioſe non minus quam erudite diſcutit adverſus Orſium.

DISSERTATIO II.
DE EFFECTIBUS ET NECESSITATE BAPTISMI.

§. I.
Qui ſint Baptiſmi effectus præcipui?

Baptiſmi neceſſitas æſtimanda eſt ex ejus effectibus, ac cumprimis præcipuo, qualis ex recepta Eccleſiæ doctrina eſt: remiſſio culpæ tam originalis, quam actualis. Ac de hoc nobis ex propoſito contra Novatores nunc erit diſceptatio. Quod vero ad reliquos Baptiſmi effectus, ac de his Sectariorum errores attinet, ſatis fuerit commemoraſſe præcipua: fontes præterea, e quibus uberiorem præſentis argumenti notitiam petat Theologus, indicaſſe.

Baptiſmi effectus
Ex communi Eccleſiæ doctrina recenſentur.

Multa ac plane illuſtria Baptiſmi elogia paſſim apud PP. legas. ſit pro omnibus Gregor. Naz. Orat. 40. de Bapt. ubi, *Baptiſmus*, inquit, *eſt ſplendor animarum, vitæ in melius*

lius commutatio, *infirmitatis nostræ adjumentum*, *Carnis abjectio*, *Spiritus affectatio*, *peccati diluvium*, *lucis communicatio*, *vehiculum ad Deum*, *cælestis regni clavis*, *servitutis depulsio* &c. quasi autem his minus pro dignitate Baptismi efficaciam extulisset, denique concludit: eum esse *omnium Dei beneficiorum præclarissimum & præstantissimum*. Neque abs re istud: ut enim ex recepta apud Orthodoxos doctrina habemus, multiplices, ac prorsus insignes sunt Baptismi effectus. Nempe

51 I. Per Baptismum ingredimur Ecclesiam, ejusque simul & Christi membra reddimur ita, ut cum eo & fidelibus reliquis unum corpus mysticum componamus. Insinuat istud ad Ephes. 4. Apostolus, cum solicitos nos vult *servare unitatem spiritus*; quia *unum Corpus & unus Spiritus* sumus, sicut *unus Dominus*, *una Fides*, *unum Baptisma*. Inde Chrysost. Hom. ad Neophytos de recens baptizatis, *Cives*, inquit, *Ecclesiæ sunt*, *qui fuerunt in peregrinationis errore &c. Non enim sunt tantum liberi*, *sed & Sancti*, - - *Sed & fratres Christi: nec tantum fratres Christi*, *sed & cohæredes: non solum cohæredes*, *sed & membra &c.* Ex hac vero nostri per Baptismum in Ecclesiæ corpus cooptatione, ultro consequitur: per eumdem nos subjici potestati & jurisdictioni Ecclesiæ: capaces reddi Sacramentorum aliorum: ac universum ad omnia Ecclesiæ bona jus acquirere.

52 II. In Baptismo confertur nobis gratia sanctificans, qua regeneramur in Spiritu, sanctificamur, & filii Dei, ac cohæredes Christi efficimur. Hinc Apost. ad Cor. 6. *abluti estis*, *sanctificati estis*, *justificati estis*; ad Tit. 3. *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* - - juxta illud nempe Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Ac demum ad Gal. 3. *omnes filii Dei estis*, - - *Christum induistis*; & ad Rom. 8. *si autem filii*, *& hæredes &c.* Est porro hæc gratia simul conjuncta non modo cum habitibus virtutum, præsertim Theologicarum: sed

sed & cum jure ad peculiaria auxilia, quorum ope legem Christianam facilius observemus. De his vide L. I. Dissert. III. §. I. & III. ne eadem repetantur. Id vero gratiæ hujus sanctificantis peculiare est, quod per eam Baptismus in nobis operetur remissionem omnis culpæ, tam originalis quam actualis: imo & omnis pœnæ per modum satisfactionis Deo pro peccatis debitæ; uti primum contra Novatores peculiari Assertione tuebimur: alterum in Consectario exponemus.

53 III. Denique effectus Baptismi est character indelebilis; hinc semel valide collatus iterari non potest. Actum de hoc copiose L. I. Dissert. III. §. II. quo Lectorem remitto.

Sectariorum errores
De Baptismi effectibus.

54 I. E Veteribus primi, quod sciam, circa Baptismi efficaciam errarunt Manichæi & Origenistæ, utrique Seculi III. Sectarii; hi (teste Epiphanio Hær. 64.) docebant per Baptismum tegi tantum peccata, tolli autem primum per mortem; illi vero vim omnem penitus abrogabant Baptismo, ut refert August. L. de Hæres. N. 46. Messaliani Seculo IV. apud Theodoret. L. 4. Hæret. Fab. Origenistarum errorem ex parte secuti, plenam peccati expiationem per Baptismum fieri negabant: effectum hunc Orationis esse proprium contendentes; hinc dicti Εὐχῖται, seu *precatores*. Seculo V. Pelagiani & Joviniani nominandi sunt. Primi uti negabant culpam originalem dari, sic & eamdem per Baptismum tolli; secundis contra tanta est visa ejus efficacia, ut rite baptizatum non posse amplius peccare contenderent: quin & reperti sunt, qui baptizatos etiam perdite viventes, modo ab Ecclesia non recedant, nunquam damnandos pronunciarunt.

Vide de his Augustinum L. I. contra duas Epist. Pelag. L. de Hæres. C. 82. L. 21. de Civ. Dei C. 25.

55 II. Posterioris ævi Sectarii Lutherus & Calvinus, ut in aliis, sic & circa Baptismi effectus, male coctam veterum crambem ex parte recoxerunt; ac ne de alieno tantum vivere viderentur, novos præterea adjecerunt errores. Summa eorum capita sunt: 1*mo* per Baptismum peccata vere ac proprie non deleri: sed tantum tegi, seu non imputari; 2*do* gratiam sanctificantem, seu internam justitiam ex opere operato non conferri; 3*tio* non imprimi ullum characterem; 4*to* ex adverso tantam esse fidei in Baptismo efficaciam, ut baptizatus damnari non possit, nisi nolit credere; 5*to* baptizatum liberari ab obedientia legis tam humanæ quam divinæ, ac etiam ab omni votorum vinculo; 6*to* sola Baptismi memoria justificari hominem a peccatis, quæ post Baptisma committuntur. En centonem e veteribus & novis erroribus male consutum! quo præclari, scilicet, Ecclesiæ reformatores vivendi licentiam contegere voluerunt. Ita autem eos sentire patet ex locis a Bellarmino citatis, qui simul singula hæc speciatim & copiose impugnat toto L. 2. de effectu Sacrament. in gen. item L. 1. de Bapt. a C. 12. usque ad C. 19. ubi (cum nobis minutim omnia discutere non vacet) erit consulendus, præsertim quoad errores 4*to*, 5*to*, & 6*to* loco positos, de quibus agit cit. L. 1. de Bapt. a C. 14. quosque Trident. Sess. 7. de Bapt. Can. 6. 7. 8. 9. & 10. damnavit. Contra 2*dum* & 3*tium* errorem nos ipsi prolixe disceptavimus L. I. Differt. III. §. I. & III. Nunc propositum nobis est, præcipuam dumtaxat hujus loci circa errorem primum controversiam expendere, ac ex sensu Ecclesiæ definire.

Pro-

Propugnatur præcipuus Baptismi effectus, remissio videlicet culpæ.

ASSERTIO

Per Baptismum vere ac proprie deletur & tollitur omnis culpa, tam originalis quam actualis.

PRobatur I. ex S. Literis, e quibus loca præcipua sunt: Act. 2. *baptizetur unusquisque vestrum - - in remissionem peccatorum.* Act. 22. Ananias ad Saulum, *baptizare*, inquit, *& ablue peccata tua.* Ad Rom. 8. *quicumque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus - - hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, - - qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. - - ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo &c.* denique ad Eph. 5. dicitur Christus dilexisse Ecclesiam, *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam - - sed ut sit sancta & immaculata.* 56

Quid his contra Novatores in rem nostram clarius? Proprietatem illi verborum in Scriptura attendi volunt; hac vero attenta, an dici potest, per Baptismum peccata tegi tantum, ac non imputari dumtaxat? Remissio & ablutio generatim peccatorum, destructio corporis peccati, justificatio a peccato, mors peccati, mundatio reddens sine macula, proprii sunt in Scriptura Baptismi effectus; quid vero hæc nisi veram omnis, tam originalis proinde quam actualis, peccati sublationem & remissionem designant? Nemo sane prudens dixerit maculam corporis ablutam & destructam, si ea contegatur quidem: revera autem in corpore perseveret.

Probatur II. ex Patribus & Conciliis, e quibus ipsam Traditionem Apostolicam, & genuinum Scripturæ sensum edocemur. 57

E Pa-

E Patribus quidem primum ſit Tertull. L. de Bapt. C. 1. *Felix*, inquit, *Sacramentum aquæ noſtræ, quia abluti delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Et C. 7. Baptiſmi effectum eſſe ait, *quod delictis liberamur.* Cyprianus autem in Ep. ad Donatum, *undæ genitalis auxilio univerſam ſuperioris ævi labem detergi, expiari pectus & purum fieri* affirmat. Ambroſius deinde L. de Myſt. C. 2. aquam Baptismi eam eſſe dicit, *qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum.* Auguſtin. denique L. 3. de Symbolo ad Catechum. C. 10. *Omnia prorſus delicta delet ſanctum Baptisma, originalia & propria, dicta, facta &c.* & L. 1. contra Ep. 2. Pelag. C. 13. *dicimus Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum; & auferre crimina: non radere &c.* ſimilia eſt legere apud Clementem Alex. L. 1. Pædagogi C. 6. Gregor. Nazian. Orat. 40. Hieron. Ep. 82. ad Ocean. Gregor. Mag. L. 11. Ep. 45. ad Theodiſtam Patriciam.

Ex Conciliis Oecumenicis, Conſtantinopol. I. in Symbolo: *confiteor unum Baptisma in remiſſionem peccatorum.* Florentinum in Decr. Eugenii ad Arm. §. 1. *hujus Sacramenti* (Baptiſmi) *effectus eſt, remiſſio omnis culpæ, originalis & actualis.* Tridentinum Seſſ. 5. in Decr. de pec. origin. N. 5. *Si quis per D. N. J. Chriſti gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema ſit.*

Hæc ſane clara adeo ſunt teſtimonia, ut ſi Novatores porro etiam ſuæ doctrinæ pergant inſiſtere, neceſſe habeant confiteri, toti, unaque veteri Eccleſiæ ſenſui ſe adverſari.

Reſolvuntur Novatorum Objectiones.

58 OBjiciunt I. Scriptura teſte, univerſim in juſtificatione hominis teguntur tantum, & non imputantur peccata: ita Pſ. 31. *beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta*

ſunt

ſunt peccata: *beatus vir*, *cui non imputavit Dominus peccatum*; ea igitur in Baptismo etiam fit remiſſio, qua tegantur ac non imputentur peccata: non vero re ipſa deleantur. Atque hic ille Pſaltis Regii locus eſt, ex quo malæ ſuæ cauſæ pejus patrocinium, quin & triumphum Novatores adornant. Ego, quod ab eis velim, tantum eſt: Pſaltem ut ultro conſulant. Hinc

Reſp. eumdem Regium Vatem eſſe, qui Pſ. 50. ita canit: *dele iniquitatem meam*; *amplius lava me ab iniquitate mea*, *& a peccato meo munda me &c.* an vero, qui deleri iniquitatem, & ab ea lavari petiit, tegi tantum eam exiſtimavit? ubi præterea in Pſalmis vox illa *tantum* tegi, *tantum* non imputari? quam attamen liberaliter adjiciunt, & importune jactant Novatores. Deinde: num S. Literæ ſecum ipſis pugnant? *ego ſum ipſe*, *qui deleo iniquitates*, ait Deus Iſ. 43. *quis Deus ſimilis tui*, *qui aufers iniquitatem?* exclamat Micheas C. 7. & numquid Chriſtus Joan. 11. dicitur Agnus ille, *qui tollit peccata Mundi?* His denique, ſi addas Scripturæ verba N. 56. relata, clarum fit, nihil eſſe Novatoribus in Pſalte Regio præſidii. Dicit nempe *peccata tegi*, at ſenſu utique minus proprio: etenim, quæ deleta & ablata ſunt, perinde non apparent, quaſi tecta forent. *Non imputari* eadem recte ait: neque enim amplius imputantur, quæ deleta, ac penitus ſublata ſunt.

59 Inſtant attamen: per Baptiſmum peccata tantum tegi, & non auferri docuerunt Patres, ac præ aliis Methodius Tyri in Palæſtina Sec. III. Epiſcopus in L. de Reſur. Carnis contra Origenem: tum & Auguſtinus a Pelagianis propterea incuſatus; exiſtimandum igitur apud cit. Pſaltem Regium vocem *tegi* ſenſu proprio accipi oportere.

Reſp. ad Patres iſthic fruſtra provocari. Certe ſi horum authoritate pugnandum eſt, firmum nobis in illa ſcutum eſſe, ex N. 57. patet. De Methodii ſenſu ex verbis ejus libet ſta-

tuere. Ea vero, Epiphanio Hær. 64. referente, hæc ſunt: *vivente adhuc corpore, neceſſe eſt ſimul vivere peccatum, intus in nobis radices ſuas abſcondens, etiamſi forinſecus fuerit refrænatum, - - quare conſtat* (in Baptismo) *contrahi quidem ac ſopiri per fidem nunc peccatum, ut ne fructus noxios producat, non tamen radicitus tolli.* Iſthic jam Methodium intelligere, non peccatum proprie tale, ſed ejus cauſam, ſeu concupiſcentiam, dubitari nequit vel ideo, quod illud dicat *forinſecus refrænatum, ne fructus noxios producat;* ita autem proprie refrænamus concupiſcentiam, tametſi ea radicitus non tollatur, quo minus videlicet intus in nobis radices abſcondat. De hac concupiſcentia mox recurret ſermo.

Pelagianorum accuſationem ex ipſo S. Auguſtino diſcimus putidam fuiſſe calumniam. Audiatur S. Doctor L. 1. contra duas Epiſtolas Pelag. C. 13. *dicimus*, inquit, *baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere; nec, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata: nam & iſtam ſimilitudinem comperi ſuæ illos* (Pelagianos) *adhibere calumniæ, tanquam nos hoc ſentiamus &c.*

60 Objiciunt II. Novatores: poſt Baptiſmum remanet concupiſcentia; at hæc peccatum eſt; remanet ergo peccatum: atque ita Baptiſmi beneficio plene non ſuffertur, ſed tegitur tantum, ac non imputatur.

Reſp. Diſt. min. concupiſcentia eſt peccatum hoc ſenſu, quod ſit cauſa & radix peccati C. eſt ex ſe peccatum, quod proprie hoc nomine venit N. Hinc S. Jacobus in ſua Ep. C. 1. poſtquam dixit, unumquemque tentari a concupiſcentia, addit: *concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum*; ſuper quæ verba Auguſtin. contra Julian. L. 6. Cap. 1. *partus*, inquit, *a pariente diſcernitur: pariens enim eſt concupiſcentia, partus peccatum &c.* Ita exponendi ſunt Patres,

ſi

si quando concupiscentiam nomine peccati compellant. Ab iisdem non raro concupiscentia sumitur pro ejus effectu, seu ipso consensu pravo, quem peccatum esse dubitari nequit. At

61 Instari potest: concupiscentia in se ipsa peccatum est proprie tale: nam 1*mo* Apostolus ad Rom. 7. v. 14. absolute dicit eam peccatum, *si autem*, inquit, *quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum;* 2*do* ibid supra v. 7. lege divina prohiberi concupiscentiam ait, *peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces* &c. quis autem id neget sensu proprio esse peccatum, quod lege divina prohibetur, quodque peccatum absolute dicitur.

Resp. Nego Assertum. Ad primum Apostoli locum ex S. Augustino L. 1. de Nupt. & Concup. C. 23. sit responsum: concupiscentia, inquit, *vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua &c. itemque sic vocatur peccatum: quia peccatum, si vincit, facit; sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros facit.* Hunc esse Apostoli sensum facile colligas ex contextu; inde Trident. Sess. 5. in Decr. de pec. orig. Num. 5. *hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat &c.*

Ad alterum ex Apostolo cit. locum ipse contextus rursum responsum suggerit. Prohibetur videlicet concupiscentia; at non ut ea pro vi concupiscendi, seu prava inclinatione sumitur: verum ut pro ipso concupiscendi actu & consensu accepta, quem a nobis removere Dei gratia adjuti possumus; hinc lex, quam ex Exod. & Deut. Apostolus commemorat, ait: *non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxo-*

rem ejus &c. ubi ipsum concupiscentiae actum & consensum prohiberi, manifestum est.

Consectarium
De poenae in Baptismo remissione.

62 I. Quod ad praecipuum Baptismi effectum, omnis videlicet culpae remissionem, consequitur, id peculiare est: quod remissio haec conjuncta sit cum condonatione simul omnis poenae in vita futura peccatis debitae; ut adeo virtute Baptismi non ab inferni tantum, sed & purgantium flammarum supplicio liberemur. Sententia haec est Clementis Alex. L. 1. Paedagogi C. 6. Gregorii Nyss. Orat. in Bapt. Hieronymi Ep. 82. ad Ocean. Augustini L. 2. de pecc. mer. & remiss. C. 28. Postremus hic pro omnibus aliis audiatur: *si continuo*, cit. loc. ait, *post Baptismum sequatur ex hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant.* Hunc ipsum totius Ecclesiae sensum, imo & fidei dogma esse ne dubites, Florentinae & Tridentinae Synodi definitionem habe. Florent. quidem in Decr. Union. ait, *illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, in Caelum mox recipi &c.* Tridentinum autem Sess. 5. in Decr. de pec. orig. N. 5. *in renatis*, inquit, *nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptismum - - ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Caeli remoretur.*

63 II. Haec eadem in Baptismo condonatio poenae extenditur simul ad omnes vitae praesentis poenas, quae per modum satisfactionis Deo praestandae ultro assumuntur. Docemur istud ex N. priore: tum etiam ex praxi Ecclesiae; neque enim recens baptizatis ullum satisfactorium opus imponitur. Idem autem & veteres observasse Basilius in Exhort. ad Baptism. significat, cum dicit: *o rem miram! renovaris, nec conflaris: re-*

reformaris , nec contereris : curaris , nec sentis dolorem &c. Aperta in hanc rem est & Tridentini definitio sess. 6. in Decr. de Justific. Cap. 14. ubi Baptismum inter & Pœnitentiam hoc statuit discrimen : *docendum est , Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali ; eaque contineri non modo cessationem a peccatis , - - verum etiam eorumdem sacramentalem Confessionem , - - itemque satisfactionem per jejunia - - non quidem pro pœna æterna , quæ vel Sacramento , vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur ; sed pro pœna temporali , quæ , ut sacræ Literæ docent , non tota semper , ut in Baptismo fit , dimittitur &c.*

Advertendum autem isthic I. per Baptismum (ut dictum est) remitti eas dumtaxat vitæ præsentis pœnas , quæ per modum satisfactionis DEO præstandæ assumuntur : nam a legum Civilium pœnis Baptismus non liberat. Nempe , ut D. Thom. 3. p. qu. 69. Art. 2. ad 3. ait , *in pœnis , quæ a judicio humano inferuntur , non solum attenditur , qua pœna sit homo dignus quoad Deum , sed etiam in quo sit obligatus quoad homines , qui læsi & scandalizati sunt per peccatum alicujus ; & ideo licet homicida per Baptismum liberetur a reatu pœnæ quoad Deum : remanet tamen adhuc obligatus quoad homines , quos justum est ædificari de pœna , sicut sunt scandalizati de culpa.*

Advertendum II. ex sententia , quam tuemur , remitti peccatorum pœnas : non autem pœnalitates. Pœnalitatum autem nomine Theologis veniunt illæ præsentis vitæ pœnæ , quæ ad naturæ humanæ peccato vitiatæ conditionem hoc providentiæ statu consequuntur, ut sunt : concupiscentia seu pravæ inclinationes , fames , sitis , morbi , mors ipsa. Hæc vero etiam post Baptismum remanere ipsi experientia nostra satis superque edocemur. Causam si requiras ? una est voluntas DEI , hæc ipsa in bonum nostrum ita ordinantis ; quo videlicet , peccati testimonium in corpore nostro circumferentes

tes, sobrie semper sapiamus: totque hujus vitæ malis admoniti peregrinos nos esse meminerimus, ac eo ardentius aspiremus ad patriam, in qua primum vera & plena est futura felicitas. Multis hæc persequitur Augustin. L. 13. & 14. de Civ. Dei. item in Enchyridio C. 6. & 25. De concupiscentia vero nominatim in Baptizatis relicta ita habet Trident. Sess. 5. in Decr. de pec. orig. N. 5. *manere autem in Baptizatis concupiscentiam vel fomitem hæc S. Synodus fatetur & sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter Christi JESU gratiam repugnantibus, non valet: quin imo, qui legitime certaverit, coronabitur.*

§. II.

An Baptismus cum obice gratiæ susceptus, sublato deinde illo, effectus sibi proprios operetur?

64 I. BAptismus legitimo ritu collatus, tametsi cum gratiæ sanctificantis obice suscipiatur, ratus attamen ac validus est; ut adeo characterem etiam imprimat, baptizatum Ecclesiæ corpori inserat, & Sacramentorum reddat capacem. Secus de effectu gratiæ sentiendum; hanc enim propter obicem, cum quo conjungi nequit, tum quidem non efficit: ac quod inde consequitur, nec culpæ, seu originalis seu actualis, remissionem operatur. Atque hæc ex jam dictis sparsim L. I. præsertim dissert. IV. certa sunt, neque ab ullo Orthodoxorum in dubium vocantur. Quod vero de hujusmodi Baptismo controvertitur, id unum est: num saltem deinde, remoto per contritionem vel Pœnitentiæ Sacramentum obice, in baptizato vere ac proprie, seu ex opere operato causet gratiam, culpæ tam originalis, quam actualis ante Baptismum admissæ remissivam? Sive, ut in scholis quæstio hæc proponitur:

num

num Baptismus ficte susceptus, sublato obice, reviviscat? ubi fictionis nomine intelligitur gratiæ obex: non autem ea simulatio, quæ irritum reddat Sacramentum.

II. Quæstioni huic occasionem dedit Augustinus locis infra citandis; quamvis autem illic S. Doctor de Baptismo tantum differat, controversiam tamen inde enatam Scholastici ad alia etiam subinde Sacramenta protulerunt, mirumque variantibus sententiis scholarum pugnas auxerunt. Omnia Sacramenta in sensu exposito reviviscere contendit Cajetanus cum Petro de Soto, Marin &c. Soli Baptismo id esse proprium vult Dominicus Soto, Meratius, Vasquez ex hypothesi tantum, si quod Sacramentum reviviscat. Baptismo communior sententia cum Suarez post D. Thomam adjicit Confirmationem & Ordinem, quin & Pœnitentiam. Vim eamdem Extremæ Unctioni & Matrimonio tribuit Suarez, Lugo, Gonet &c. His omnibus adversatur Scotus cum Adriano, Medina, Vasquez, Ulloa & aliis: quorum opinione nullum omnino Sacramentum, ne Baptismus quidem, vero ac proprio sensu reviviscit. Postremis accedendum puto, sic tamen, ut isthic de Baptismo solo disceptationem ex proposito suscipiam; de Sacramentis reliquis satis habebo paucis & quasi per occasionem opinionem, quæ verisimilior est, insinuare. 65

ASSERTIO.

Baptismus cum obice gratiæ susceptus, sublato etiam deinde illo, non amplius ex opere operato causat gratiam culpæ originalis, & peccati actualis ante Baptismum admissi remissivam.

Argumentum, quo Assertionis veritas conficitur, est negativum. Nempe peculiaris illa prærogativa, quam opinio adversa Baptismo attribuit, firma ratione aliqua, aut gravi &

& certa authoritate evincenda foret; quæ autem illa seu ratio, seu authoritas? neutrum certe ab Adversariis proferri posse contendimus. Etenim

66 I. Si post Baptismum ficte susceptum per contritionem vel Sacramentum Pœnitentiæ auferatur gratiæ obex, aufertur utique peccatum, quod erat hic ipse obex; hoc eodem igitur contritionis vel Pœnitentiæ remedio aufertur simul & peccatum originale, & actuale ante Baptisma admissum: cum hoc providentiæ statu peccatum unum sine altero nunquam condonetur. Quid quod peccatum illud, quod Baptismo injiciebat obicem, non auferatur nisi per collationem justificantis gratiæ; hæc vero, cum conjungi nequeat cum ullo peccato, an non perinde sufficiens est ad delendam originalem culpam, & quamvis aliam ante Baptismum admissam? imo, an non eam necessario etiam deleat? Quæ igitur erit necessitas peculiaris illius gratiæ, quam Baptismus, antea sine fructu susceptus, in sensu ab Adversariis intento, hoc est, per se ipsum immediate ac proxime & ex opere operato, sublato obice, nunc demum efficiat? Clariora hæc fient ex Responsis ad Objecta.

67 II. Ab authoritate etiam nullum videtur esse Adversariis præsidium. Peculiaris certe hujus prærogativæ nuspiam meminerunt S. Literæ, nuspiam Concilia: neque ex Patribus ulla sat firma authoritas repeti potest. Et de Cypriano quidem ac D. Thoma, quos pro se laudat pars adversa, sensum nostrum dabimus infra in Objectis; sola Augustini opinio, in qua præcipuum adversum nos videtur esse momentum, nunc expendenda est.

Loca autem in hanc rem ex ejus de Bapt. LL. potissimum petuntur. Nempe L. I. C. 12. S. Doctor ait: *Sicut in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo; sed, ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste,*

qui

qui Baptisma Christi (quod non amiserunt, qui se separarunt) inimicus Christianitatis & pacis Christi in aliqua hæresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur, cum se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Item L. 3. C. 13. *tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint; non ut jam vere dimissa non retineantur; neque ut ille Baptismus, quasi alienus, aut alius, improbetur, ut alter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Denique L. 6. C. 5. *si ab illa perversitate correctus, & a separatione conversus venerit ad Catholicam pacem, sub eodem baptismate, quod acceperat, ejus peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, sub quo Baptismate peccata ejus tenebantur propter sacrilegium divisionis; quia illud & in homine justo & in homine injusto semper sanctum est, quod neque æquitate alicujus augetur, neque alicujus iniquitate minuitur.*

Quæ jam in his locis D. Augustini mens fuerit, statuendum est cumprimis ex subjecta materia & scribendi occasione. Agit vero illic contra Donatistas, idque potissimum contendit: Baptismum cum fictione, vel in hæresi, aut schismate susceptum pro rato ac valido habendum esse, neque proinde iterandum. Ut porro occurrat Donatistis ita urgentibus: *sine Baptismo nequit haberi peccatorum remissio & salus; Baptismus autem ita susceptus, tametsi validus foret, non est tamen simul fructuosus & salutaris; quomodo igitur sic baptizati sine novo Baptismo remissionem peccatorum & salutem consequentur?* ita, inquam, urgentibus respondet: Baptismum illum, sublato schismatis aut hæresis obice, *incipere valere ac prodesse ad remissionem peccatorum & salutem; sub eodem Baptismate*

peccata dimitti ; illud ipſum , quod operabatur foris mortem , operari intus ſalutem.

Quid vero ſibi vult hoc reſponſo Auguſtinus ? an Baptiſmum ficte ſuſceptum , ſublato obice , per ſe ipſum immediate & ex opere operato peccati remiſſionem cauſare aït ? ab his quidem ille verborum formulis abſtinet ; neque urget quidquam , ita eum exponi oportere. Certe , quo reſponſo hoc Donatiſtarum objectioni occurratur , ac ipſa S. Doctoris verba vero ac proprio ſenſu accipiantur , ſatis fuerit ea ita expoſuiſſe : quod hujusmodi videlicet Baptismus , ſublato obice , peccati remiſſionem & ſalutem operetur remote dumtaxat & meræ conditionis inſtar : proxime autem & per modum cauſæ id efficiat contritionis vel Sacramenti Pœnitentiæ remedium, quo ſuffertur obex. Hic ipſe nempe Baptismus eſt conditio ad id neceſſaria , ut ab ejusmodi baptizato elicita contritio , aut attritio ad omnia univerſim peccata ſe extendens , & cum Pœnitentiæ Sacramento conjuncta (quamvis neutra ſit Baptismus in re vel in voto) illum juſtificet : neque enim iſtud his remediis præſtari poſſet , ſi Baptismus ille ficte ſuſceptus re ipſa non foret validus. Ratio hujus porro eſt : nam , niſi Baptisma validum præceſſiſſet , nec contritio eſſet perfecta , ut quæ vel Baptismum in re ſupponit : vel ipſa eſt Baptismus in voto , cum ejus ſuſcipiendi deeſt occaſio ; neque Confeſſio cum memorata attritione foret Sacramentalis , cum talis fieri nequeat , niſi ab homine jam baptizato. Cum igitur Baptismus ficte ſuſceptus in ſenſu expoſito ad contritionis & Sacramenti Pœnitentiæ valorem , ac proinde ad ipſam ſic baptizati juſtificationem conferat , jure optimo pronunciavit Auguſtinus, *valere eum ac prodeſſe ad remiſſionem peccatorum & ſalutem.*

68 At , inquies , ex mente Auguſtini Baptismus ille *operatur ſalutem.* Ita equidem : verum non alio id ſenſu , quam quo ex ſententia S. Doctoris cit. L. 3. C. 13. idem Baptismus *propter diſcordiam foris operabatur mortem ;* quam utique non ipſe

Ba-

Baptismus, ſed in circumſtantia ſuſcepti Baptiſmi fictio ſacrilega cauſavit. Inde eſt, quod L. 6. C. 5. ita nominatim ſe explicet: *ſi ab illa perverſitate correctus - - venerit ad Catholicam pacem, ſub eodem Baptismate, quod acceperat, ejus peccata dimittuntur propter vinculum charitatis &c.* ubi vides non dici, *per Baptiſmum eumdem* dimitti peccata; verum, *ſub eodem Baptismate.* Ac ſane, his locis D. Auguſtinum non accepiſſe ſenſu ſtricto verbum *operari*, non incongrue conjicias vel ex aliis in contextu vocibus, quas latiore quadam ſignificatione uſurpat. Ita L. 1. illud: *quia ipſa reconciliatione ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum - - prodeſſe incipiat Sacramentum &c.* L. 3. vero: *idem ipſe* Baptiſmus - - *propter pacem intus operetur ſalutem.* L. 6. denique, ſub eodem Baptiſmate ait peccata dimitti *propter vinculum charitatis*, ſi nempe in ſchismate vel hæreſi baptizatus *ab illa perverſitate correctus & a ſeparatione converſus venerit ad Catholicam pacem &c.* Iſthic certe nemo dixerit Auguſtinum loqui ſenſu ſtricto; ſecus, ut ex mente illius Baptiſmus ficte ſuſceptus peccati remiſſionem & ſalutem operetur, ſatis fuerit a ſchismate vel hæreſi recedere & ad Eccleſiam venire: tametſi nulla ſequatur contritio aut Sacramentalis Confeſſio. Quis autem ex cit. verbis hujus ſententiæ Auguſtinum inſimulet?

Reſpondetur ad Objecta.

OBjectio ab authoritate. I. S. Cyprianus Serm. de Paſſ. Dom. ſub finem docet: Baptiſmum cum obice gratiæ ſuſceptum, remoto illo, ſuos præſtare effectus, verba ejus ſunt: *& licet indigni ſint, qui* (Baptiſmum) *accipiunt, - - ubi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & reddit effectus numerum.* 69

II. S. Thom. pluribus locis idem aſſerit; præſertim 3. p. qu. 69. Art. 10. in ☉. ubi ad 2. remota per Pœnitentiam fi-

 ctione,

ctione, inquit, *Baptismus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum Baptismo.* Adducta dein Augustini authoritate, sic prosequitur: *& sic ad Baptismi effectum consequendum concurrit Baptismus & Pœnitentia; sed Baptismus sicut causa per se agens: Pœnitentia sicut causa per accidens, id est, removens, prohibens.* In eamdem plane sententiam loquitur S. Bonav. in d. 4. 1. p. Art. 2. qu. 3. Horum porro SS. Doctorum authoritas videtur etiam Augustini authoritatem adversum nos urgere, cum ejus in supra cit. locis verba alio, ac prorsus contrario nobis sensu exponant: id quod una facit pars Theologorum potior.

Resp. ad I. Cyprianum nobis perperam opponi; cit. enim sermo de Pass. Dom. habetur in Tract. de Card. Christi Operibus, quem non esse Cypriani L. 1. N. 62. notavimus. Cæterum cujuscunque Authoris sermo ille sit, verba ex eo relata non incongrue possunt eodem sensu accipi, quo supra Augustinus.

Resp. ad II. in quæstione hac contrariam Divo Thomæ tueri nos omnino sententiam. Neque est, cur hoc offendantur Adversarii; quando nec ipsi doctrinam, quam in præsenti argumento S. Doctor tradit, integre amplectuntur. Nempe, tam cit. Art. in ☉. quam in 4. dist. 4. qu. 3. Art. 295. docet ille: fictione recedente non ipsum Baptismum, sed ab eo impressum characterem causare gratiam. Idem in 4. dist. 17. qu. 3. Art. 4. Concl. 1. Pœnitentiæ Sacramentum esse ait ratum in eo, qui confessus est sine dolore: illudque, recedente deinde fictione, absolutionis sacramentalis fructum operari. Jam horum primum ex Adversariis rejiciunt plerique, alterum omnes; cur igitur nefas sit nobis ab eo, quod præterea cit. locis Doct. Angelicus tuetur, recedere? Sane, quo is ad Baptismi ficte suscepti afferendam, opposito nobis sensu, efficientiam adductus fuit, illud erat: quod ab Augustino eam in cit. de Bapt. LL. doce-

doceri censeret : deinde, quod hoc providentiæ statu culpæ originalis remissio per Baptismum habeatur ; nobis contra neutrum horum rem evincere videtur. Non primum : jam enim supra dictum est, alio sensu congrue exponi Augustinum ; non etiam alterum : ut mox in Objectione, quæ sequitur, tuebimur. Nihil igitur est, quod in controversia hac nos cogat in verba Angelici jurare. Idem de S. Bonaventuræ & reliquorum DD. authoritate esto judicium.

Objectio ex ratione theologica. Hoc providentiæ statu 70 culpa originalis non remittitur nisi per Baptismum in re vel saltem voto susceptum ; at in casu, de quo hic agimus, nec contritio, nec sacramentalis Confessio, quibus tolleretur fictionis obex, sunt Baptismus in re aut in voto, ut clarum est ; per neutram igitur earum remitti potest culpa originalis : reliquum proinde est, ut remissio ejus attribuatur ipsi Baptismo prius ficte suscepto.

Resp. primæ prop. sensum distinctione adhibita explicandum esse. Scilicet : non nisi per Baptismum in re vel voto susceptum culpa originalis remittitur in eo, qui nondum est valide baptizatus, Conc. in eo etiam, qui jam valide, at sine fructu baptizatus est, iterum distingue : non remittitur nisi per Baptismum, idque ita, ut hic Baptismus ad remissionem se habeat remote dumtaxat, & conditionis instar necessario requisitæ, Conc. ita, ut ipse hic Baptismus proxime, ac per modum causæ remissionem ex opere operato efficiat, Nego. Eadem distinctione exponendum est illud Trid. Sess. 6. in Decr. de justif. Cap. 4. ubi dicitur, impii justificationem *sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse*, *sicut scriptum est : nisi quis renatus &c.* Sane alio, quam jam diximus, sensu accipienda esse hæc verba, nihil urget ; præsertim cum & Tridentinum dicat, impii justificationem fieri non posse *sine lavacro :* non autem, fieri non posse nisi *per lavacrum.* Vide in hanc rem dicta N. 67. sub finem a Ver. *Quid vero sibi &c.*

Ex his porro Consectarii instar duo conficiuntur. Primum: si in casu Baptismi ficte suscepti, fictio hæc deinde tollatur per contritionem perfectam, hujus ipsius virtute, & quidem *directe*, delentur cum culpa originali peccata actualia omnia, tam ante, quam post Baptismum admissa. Alterum: si fictionis obex auferatur beneficio Sacramenti Pœnitentiæ, per illud ipsum rursus remittuntur peccata omnia, at diversa ratione: *directe* scilicet post Baptismum commissa, ut quæ sola Pœnitentiæ clavibus subjecta sunt; *indirecte* autem tam originale, quam reliqua ante Baptismum admissa, cum hæc Sacramenti Pœnitentiæ materia esse nequeant. Verum adversus istud

71 Instari potest: Peccata ante Baptismum commissa (idem est de originali) nullum ordinem habent ad Claves Ecclesiæ & Sacramenti Pœnitentiæ, cum non baptizatus sit extra jurisdictionem Ecclesiæ; nequeunt itaque ullatenus remitti per Sacramentum Pœnitentiæ: verum tota eorum remissio uni Baptismo attribuenda est.

Resp. Dist. assertum: non habent ordinem hoc sensu, quod Ecclesiæ & Sacerdotis judicio subjecta non sint ita, ut in Confessione exprimi debeant, & absolutionis sacramentalis materia esse possint, Conc. eo sensu, quod remitti nequeant ne quidem per gratiam sanctificantem, quam Sacramentum Pœnitentiæ in homine jurisdictioni Ecclesiæ subjecto operatur, Nego. Distinctio hæc in re est eadem cum prius data, qua diximus, hoc casu peccata ante Baptismum commissa per Sacramentum Pœnitentiæ deleri *indirecte* dumtaxat. Remissio autem hæc *indirecta* habetur eatenus, quod Sacramentum Pœnitentiæ causet gratiam; quæ quia cum nullo peccato componi potest, necesse est per eam deleri peccata omnia, seu ea demum ante, seu post Baptismum commissa sint. Conferenda hæc cum dictis N. 66.

Corol-

Corollarium
ad doctrinam in Assertione expositam.

I. Quae hactenus in Casu Baptismi ficte suscepti disputata 72 sunt, potissimum spectant remissionem peccatorum gravium; haec eadem interim (ut monet Ulloa hic Disp. 9. C. 6.) cum proportione aliqua dici possunt etiam de culpis venialibus Baptismum antecedentibus.

II. Quamvis in sententia, quam tuemur, Baptismum ficte suscipiens, sublato deinde fictionis obice, virtute ipsius Baptismi non consequatur specialia auxilia Sacramento huic propria: charitatis attamen & pietatis operibus frequentatis mereri potest eas gratias, quibus perinde ad eosdem effectus & finem Baptismi obtinendum juvetur. Idem sentiendum videtur de poenis temporalibus, quae satisfactionis instar Deo debentur pro peccatis ante Baptismum admissis. Caeterum de utroque hoc non tam statuere, quam divinare licet: cum neque istud, quod retulimus, neque huic oppositum doceamur ullo certo Scripturae aut Traditionis, vel Patrum aut Conciliorum testimonio, ut iterum notat Ulloa loco supra cit.

III. Ob eamdem plane causam de reliquis Sacramentis cum obice susceptis consulto nihil statuimus: rursum enim de hoc nihil in S. Literis, vel antiquis Patribus, aut Conciliis reperias; quin Augustinus, ex quo controversia haec desumpta est, solius Baptismi meminit. Si quid interim hic, importune quopiam urgente, pronunciandum foret: potiori utique jure aliis Sacramentis ea vis, quam in Baptismo non agnoscimus, neganda esset.

§. III.

§. III.

An ex Baptismi effectibus rite deducatur ejus ad salutem necessitas? ac nominatim: num is saltem per Baptismum flaminis vel sanguinis suppleri possit?

Effectum Baptismi proprium ac præcipuum esse gratiam culpæ originalis, & peccatorum actualium ante Baptismum admissorum remissivam §. I. probavimus. Ex hoc jam si Baptismus æstimetur, certa utique est ejus ad salutem necessitas: quando *in gloriam - - non intrabit aliquod coinquinatum* Apoc. 21. Istud ipsum interim controversiæ subjectum voluerunt quidam: tam de medii, quam de præcepti necessitate disputantes. Est vero inter hæc discrimen: necessitate medii ad salutem necessarium dicimus, sine quo nulla omnino ratione salus obtinetur; necessitas præcepti est quoad illa dumtaxat, quæ tametsi præcepta sint, si tamen nulla hominis culpa omittantur, omissio eorum salutis consecutionem non impedit. Definiendum nunc: quæ ex his nominatim sit Baptismi aquæ, seu fluminis, ad salutem necessitas? &, num is saltem per Baptismum flaminis, aut sanguinis suppleri possit? singula hæc suis peculiaribus difficultatibus sunt obnoxia, singillatim proinde expendenda.

De Baptismo fluminis.

73 Baptismum fluminis recepto in scholis usu dicimus eum, qui ablutione per aquam ex Christi institutione perficitur. Necessitatem illius e veteribus Sectariis negasse Cajanos, Quintilianos, Ascodrytas, Seleucianos, Hermianos, Archonticos, Massalianos, & Pelagianos, docemur ex Tertull. L. de Bapt. Theodoreto L. 1. Hær. fab. Augustino L. de Hæres. Errorem eumdem posterioribus Seculis amplexi sunt, Viclefus in Trialogo

logo L. 4. Zvinglius L. de vera & falsa Relig. Calvinus L. 4. Instit. Socinus Disput. de Bapt. Non eadem interim omnium in præsenti sunt deliria. Pelagianis visum, sine Baptismo haberi vitam æternam: non perinde etiam Regnum Dei propter illud *nisi quis renatus &c.* Calviniani in Baptismo necessitatem præcepti agnoscunt; negant contra necessitatem medii, existimantes, adultos salvari posse per fidem: Christianorum autem parvulos propter fœdus, quod Christus cum Christianis pepigit. Sociniani in Catechesi a Smalcio Racoviæ evulgata ita se explicant: præceptum, si quod forte de Baptismo aquæ sit, ad Judæos dumtaxat & Gentiles pertinere; quo videlicet, cum Christianis sacris initiantur, ritu hoc externo suæ in Christum fidei testimonium exhibeant: atque adeo Christianorum prolibus, aut in Christiana Religione educatis Baptismum non esse necessarium. Quæ reliquis peculiaria sunt, vide cit. locis, & apud Bellarm. L. de Bapt. C. 4. Nobis Sectariorum errori opponenda est Ecclesiæ doctrina.

ASSERTIO

Baptismus aquæ re ipsa susceptus regulariter omnibus, tam infantibus, quam adultis necessarius est necessitate medii ad salutem.

Argumentum pro Assertione petitur ex ipsa necessitatis hujus notione. Nempe, ita necessarium dicimus illud, sine quo secundum legem hujus providentiæ nequit salus obtineri; id vero esse Baptismum in re susceptum docent S. Literæ, Patres, & Concilia; ergo &c. 74

Probatur min. prop. quoad 1mam partem ex illo Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* quæ decretoria sententia quia generatim prolata est, ad omnes omnino, nullo dempto, pertinet. Inde Ambros. L. 2. de Abraham C. ult. legem Baptismi explicans, *nullum excipit*, inquit, *non infantem*, *non aliqua necessitate præ-*

ventum. Neque eſt, quod Pelagiani obtrudant, cit. loco *Regnum Dei* dumtaxat commemorari: ut enim Auguſt. Serm. 14. de laudatis Apoſtoli verbis demonſtrat, idem, quod Chriſtus iſthic vocat *Regnum*, Matth. 25. *vitam æternam* nominat. Propterea Siricius Sec. IV. Papa Ep. 1. C. 2. monens, nemini eſſe negandum Baptisma, nominatim rationem addit, *ne, ſi absque Baptiſmo decedat, & regnum perdat & vitam.*

Prob. quoad 2*dam* partem ex tribus præſertim antiquis Patribus. Juſtinus Apol. 2. ex verbis: *niſi quis renatus &c.* probat, ad regenerationem hominis perinde neceſſarium eſſe Baptismum, ac ad priorem nativitatem neceſſarius eſt liquidus genitalis ſatus & mixtio parentum. Tertullianus vero L. de Bapt. C. 13. *Lex*, inquit, *tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta: ite, docete nationes, tingentes eos in nomine &c. Huic legi collata definitio illa: niſi quis renatus &c. obſtrinxit fidem ad Baptismi neceſſitatem.* Et infra C. 17. eum, qui periclitantem non baptizavit, *reum perditi hominis* pronunciat. Demum Auguſtinus pluribus locis Baptismi neceſſitatem docet, ut L. de Nat. & Grat. C. 8. L. 1. de pec. mer. C. 23. L. 3. de Orig. animæ, ubi contra Vincentium ſic invehitur: *Noli docere, infantes morte præventos antequam baptizentur, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Similia his legere eſt apud Irenæum L. 3. C. 17. Cyprianum Ep. 59. Chryſoſtom. Hom. 3. in Act. C. 1. Iſidorum L. 2. de Divin. Offic. C. 24. de Bapt. & plures alios apud Vaſqu. cit. in 3. p. D. Th. qu. 68. Diſp. 149.

Probatur 3*tia* pars ex Concilio Carthaginenſi V. aliis IV. & Milevitano, quod utrumque contra Pelagium hanc doctrinam ſtabilivit, datis ea de re ad Innocentium I. epiſtolis, quæ ſunt inter ejus Epiſtolas 24. & 26. Idem definiverunt deinde duo Concilia Oecumenica, Florentinum & Tridentinum. Florent. quidem in Decr. Fid. de Baptismo agens, ita habet: *cum per primum hominem introierit mors in univerſos, niſi ex aqua & Spi-*

ritu

ritu renaſcimur, non poſſumus, inquit veritas, in regnum cœlorum introire. Tridentinum autem Seſſ. 7. de Bapt. Can. 5. *ſi quis dixerit, Baptismum eſſe liberum, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.*

Ex Aſſertione hac porro, ut ea a nobis propugnatur, duo Confectarii inſtar habe. Primum: adultis præcepti capacibus neceſſitate etiam præcepti neceſſarium eſſe Baptismum; univerſim enim præcipitur eorum uſus, ſine quibus ad ſalutem perveniri non poteſt. Alterum: Baptismum *regulariter* eſſe neceſſarium a nobis aſſeri propterea, nam, ſi is re ipſa percipi nequeat, contritione perfecta vel Martyrio ſuppleri poteſt, ut infra probabitur. 75

Solvuntur Objectiones.

OBjicitur I. Proles, ut Calvinus cum Socino urget, ex Parentibus ſanctis & Chriſtianis progenitæ ex pacto Dei ſanctificantur & ſalvantur propter hanc ipſam generationem; univerſim ergo ſaltem Baptismus non eſt dicto ſenſu neceſſarius. Aſſertum ſuum fundant primum in illis Dei ad Abraham verbis Gen. 17. *ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Item ad Rom. 11. *quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa; ſi radix ſancta, & rami.* Demum 1. Cor. 7. *ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt.* 76

II. Non minus in S. Literis legitur Luc. 13. *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis;* item Joan. 6. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ac Chriſtus dixerit, *niſi quis renatus fuerit &c.* At ex duobus primis locis non infertur Pœnitentiæ & Euchariſtiæ abſoluta ad ſalutem neceſſitas; non igi-

tur etiam ex postremo recte arguas tantam Baptismi necessitatem.

Resp. ad I. Nego Assertum. Ad cit. ex Gen. locum dico: illic promitti solum Abrahæ, posteros ejus futuros Deo in populum peculiarem; promissionem autem hanc non pertinuisse ad ordinem sanctificantis gratiæ, vel inde patet, quod multi eorum fuerint reprobi, ut notat Apostol. ad Rom. 9. *non qui filii carnis, hi filii Dei &c.* Deinde: promissione hac nemo ex posteris Abrahæ exemptus est a lege circumcisionis; nemo igitur etiam eximitur a Baptismo, qui in lege nova Circumcisioni successit. Eadem fere est expositio textus ex Ep. ad Rom. adducti, quo Apostolus loquitur de electo Judæorum populo. Demum etiam locus ex Ep. ad Cor. petitus videtur intelligendus solum de Sanctitate prolium externa & legali. Docet nimirum isthic Apostolus, Matrimonium inter infideles contractum non evadere illicitum per conversionem unius e. g. uxoris; cohabitare proinde illam debere Marito infideli, si is consentiat: servato etenim conjugii vinculo filii eorum sancti erunt, hoc est, pro mundis & legitimis reputandi. Alii cum Tert. Aug. & Hier. hic apud Suar. verbis illis designari putant spem futuræ sanctitatis prolium solicitudine Parentis fidelis procurandæ: sunt enim exempla parvulorum, ut ait Augustinus, *quos ad Christianos faciendos voluntas unius Parentis evicerat.*

Resp. ad II. Nego illationem; discriminis autem ratio petenda est potissimum ex sensu Ecclesiæ, quæ ut ex Patribus & Conciliis docemur, ex illis Joan. 3. verbis hanc Baptismi necessitatem constanter intulit & professa est: non perinde se res habet de Pœnitentia & Eucharistia. Quid quod præceptum Pœnitentiæ (ut ex contextu patet) ad eos dumtaxat, qui peccati a se admissi sunt conscii, dirigatur; his vero eam necessitate medii esse necessariam, ultro admittimus. Eucharistia etiam, cum alimenti instar instituta sit, ad solos adultos ex præcepto pertinet: quo videlicet spiritualem substantiam,

quam

quam soli illi per culpas actuales minuunt, aut etiam deperdunt, cibo hoc cœlesti reparent. Baptismi contra dispar est ratio: est is regeneratio spiritualis & initium vitæ novæ; omnes igitur illo opus habent, *omnes enim* in Adam *peccaverunt, & egent Gloria Dei.* ad Rom. 3.

Instari potest I. Non videtur esse ea mens Ecclesiæ, ut ex illo *nisi quis renatus &c.* tantam Baptismi necessitatem adstruat; frustra igitur ad sensum Ecclesiæ provocamus. Prop. ant. probatur multis. Etenim S. Bern. Ep. 77. dubitat, an non etiam in nova lege parvulis prodesse possit naturæ legis remedium, *penes Deum hoc est*, inquit, *non meum definire.* Cajetanus vero in 3. p. D. Th. ad Art. 11. qu. 68. censet probabiliter dici posse: parvulos, quibus applicari nequit Baptismus, salvari per fidem Parentum signo aliquo manifestatam. Imo Joan. Gerson in Serm. de Nat. B. Virg. coram ipsa Synodo Constantiensi dixit: non esse de parvulis in utero materno morituris desperandum; suppleri posse Baptismum a Divina misericordia; orandum idcirco pro illis Deum, *quis enim scit*, inquit, *si forte exaudiat?* Idem de parvulis ex aliquo defectu invalide baptizatis arbitrati sunt Altissiod. Bonav. Rich. & quidam alii hic apud Vasquez. Quodque isthuc cumprimis facit, sententiam Cajetani Concil. Tridentinum damnare noluit; tametsi id faciendum quidam ex PP. congregatis contenderent: ut refert Emin. Pallavicin. in Hist. Conc. Trid. L. 9. C. 8.

77

Resp. Nego ant. Ad probat. dicendum existimo, laudatos DD. loqui solum de lege Dei extraordinaria, de qua nos isthic non disceptamus. Cæterum, sententias eorum, ut passim referuntur, doctrinæ Catholicæ adversari, vel ex N. 74. certum est; inde & Pius V. sententiam Cajetani ex ejus Commentariis expungi jussit. Quod autem eadem solenni a Patribus Tridentinis Decreto damnata non sit, id in causa fuisse ipse Palavic. memorat, quod argumentum hoc non pertinuerit ad controversias, quarum causa Synodus convenerat. Audiatur deni-

nique contra hujusmodi opinationes Auguſtinus L. 1. de pec. mer. C. 23. *Nulla - - ex noſtro*, inquit, *arbitrio*, *præter Baptismum Chriſti*, *ſalus æterna promittatur infantibus*, *quam non promittit Scriptura Divina*, *humanis omnibus ingeniis præferenda*.

Minus hic Eccleſiæ ſenſus impugnari poteſt ex doctrina Orientalium. Referunt equidem Damianus de Goez, Thomas a JESU, & Vanslebius, Æthiopes quosdam Chriſtianos eſſe, qui exiſtiment, parvulos in utero concluſos per ſumptam a Matribus Euchariſtiam ſanctificari: ac etiam Baptismum ſuppleri poſſe unctionibus quibusdam ſacris & ſacrificiis; at hic quorundam dumtaxat error eſt, non totius Orientalis, imo nec Æthiopicæ Eccleſiæ, quam cum Occidentali in præſenti dogmate conſentire multis probat Auth. perp. fid. Tom. 5. L. 2. C. 2. & 3.

78 Inſtari poteſt II. Si hæc ſit Baptismi neceſſitas, ſequi inde 1*mo*, parvulis in utero materno morientibus non eſſe proviſum de ſalutis remedio; 2*do* eosdem nulla ſua culpa perire; 3*tio* magis favorabilem fuiſſe parvulis legem veterem quam novam: hæc vero cum Eccleſiæ doctrina pugnare quis neſciat? neceſſitatis ergo illius rigor, qui ex ſenſu Eccleſiæ petitur, eſt temperandus.

Reſp. nihil eorum ex præſenti Eccleſiæ doctrina conſequi. Etenim 1*mo*, & his parvulis proviſum eſt in Baptismo de remedio; quod vero iſtud illis aliquando proxime applicari nequeat, id ex parte Dei ſalvare omnes volentis habetur mere *per accidens*: cum videlicet ut naturæ Author permittit cauſarum naturalium curſum, ad quem deinde ante Baptismum præmatura infantum mors conſequitur. Quod ad 2*dum* attinet: quomodo parvuli ſine Baptismo decedentes nulla ſua culpa pereunt, qui culpæ originalis ſunt rei? Cur autem unus eorum, non item etiam alter ad Baptismum perveniat & a culpa liberetur, iſtud (ut monet Auguſt. L. de Dono Perſever. C. 12. & alibi) ad occulta & juſta Dei judicia eſt referendum.

Nem-

Nempe Dominus eſt, qui ad Rom. 9. docente Apoſt. *cujus vult miſeretur, - - habetque poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* Ad 3*tium* denique dico, multo indulgentius cum parvulis agi in lege nova: tum quod Baptismus uberiorem gratiam conferat ac vetus illud remedium; tum etiam, quod hæc lex certior & clarior ſit, magisque per orbem diffuſa: inde hoc gratiæ ſtatu longe plures, ac ante illum, tam adulti, quam parvuli ad ſalutem perveniunt.

De Baptismo flaminis.

79 BAptismus flaminis, ſeu in voto, eſt ipſa charitas & contritio perfecta: cum enim hæc univerſim includat propoſitum implendi Dei mandata, complectitur utique etiam votum ſuſcipiendi Baptismi, qui præceptus eſt. Atque de hoc flaminis Baptismo in præſenti quæritur: num & quomodo per eum ſuppleri poſſit Baptismus aquæ? Et ætate quidem S. Bernardi (ut habetur ex ejus ad Hugon. Victor. 77. Epiſtola) contendebant quidam, Baptismum aquæ in re ſuſceptum ita eſſe neceſſarium, ut per ſolam contritionem nullo unquam caſu remiſſio peccatorum & ſalus obtineri poſſit. Eadem fuit ſententia Baji, inter cujus propoſitiones a Pio V. & Greg. XIII. damnatas, N. 31. hæc legitur: *Charitas perfecta - - in Catechumenis & pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Ante hos etiam quidam ex ipſis Patribus idem ſenſiſſe videntur, ut Gregor. Naz. Orat. 40. in S. Baptisma, Gennadius Maſſil. in L. de Dogmat. Eccl. & Fulgentius Ep. 12. ad Ferrand. Diaconum; tametſi non deſint, qui benigniore ſenſu horum opinionem exponendam cenſeant. Nunc apud DD. Orthodoxos indubitata eſt

ASSER-

ASSERTIO

Si Baptismus aquæ suscipi nequeat, in adultis suppleri potest Baptismo flaminis, seu in voto; in casu proinde necessitatis charitate & contritione perfecta obtinetur remissio peccatorum & salus.

80 ITa sentiendum esse docemur ex S. Literis; ut Prov. 8. *ego diligentes me diligo*; Joan. 14. *qui diligit me, diligetur a Patre meo*; Ezech. 18. *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis - - vita vivet, & non morietur*; ibid. v. 30. *convertimini & agite pœnitentiam - - & non erit vobis in ruinam iniquitas.* En! charitati & contritioni promittitur Dei dilectio, peccatorum remissio, & vita.

Idem docent Patres, e quibus tres nominandi veniunt. Ambrosius in Orat. funeb. Valentiniani Catechumeni ita de eo loquitur: *quem in Evangelio generaturus eram, amisi: sed ille non amisit gratiam, quam poposcit - - quod si Martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.* Augustinus L. 4. de Bapt. C. 22. *invenio, non tantum passionem pro nomine Christi, id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere: sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Bernardus denique Ep. 77. pro hac sententia Ambrosium & Augustinum laudans, credere se ait, *sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramenti: si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit.*

His addenda denique lata in supra cit. Baji propositionem damnatio a Pio V. & Gregor. XIII. ac aperta definitio Tridentini Seff. 6. Cap. 4. ubi dicitur, *post promulgatum Evangelium nunquam fieri translationem a statu veteris Adæ ad statum gratiæ sine lavacro regenerationis, aut ejus voto*; ex mente igitur Concilii fit hujusmodi translatio etiam per lavacri votum, quod charitas & contritio perfecta includit. Ad

Ad uberiorem Aſſertionis notitiam hæc fere pertinent. 81
I. Baptismum flaminis eſſe remedium adultorum dumtaxat : non item parvulorum, ut qui voti ac propoſiti capaces non ſunt. Votum porro hoc ſatis eſt eſſe implicitum, quale videlicet in charitate & contritione perfecta continetur; certe expliciti neceſſitatem nulla aut ratio aut authoritas evincit.

II. Hoc ipſum remedium non niſi in neceſſitatis caſu eſt ſalutare: nam ſi Baptismum aquæ, cum fieri poteſt, ſua culpa quis ſuſcipere nolit, contritio perfecta non eſt, atque adeo nec votum Baptismi includit.

III. Quamvis Baptismus flaminis juſtificet, remanet attamen onus Baptismi, ſi deinde ferat occaſio, in re ſuſcipiendi, quo ſalus obtineri poſſit: univerſim enim dictum eſt, *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Inde & Cornelius Centurio ac fideles reliqui Act. 10. poſt acceptum Spiritum Sanctum a Petro baptizati ſunt. Et clara in hanc rem eſt Auguſtini ſententia L. 4. de Bapt. C. 21. *ſi contritus*, inquit, *poſt Spiritum S. acceptum baptizari noluiſſet, contempti Sacramenti reum faciet Deus, - - bono Catechumeno deeſt Baptismus ad conſequendum regnum Cœlorum.* Eodem ſenſu etiam loquitur L. 1. qu. 2. ad Simplicianum.

IV. Baptismo flaminis omne etiam pœnæ temporalis debitum extingui non conſtat, cum hujus nec S. Literæ nec PP. meminerint. Quin veriſimilius eſt illo Baptismum aquæ in iis dumtaxat ſuppleri, ſine quibus abſolute nequit obtineri ſalus: in horum autem numero non ſunt pœnæ temporales, ut quæ piacularibus flammis expiari poſſunt. Evenire interim poſſe non inficiamur, ut quandoque exceſſus charitatis ſit tantus, qui expungendo totius pœnæ debito ſufficiat.

Solvuntur Objectiones.

OBjicitur I. ex S. Literis illud Joan. 3. *niſi quis renatus fue-* 82

rit ex aqua &c. quo significatur absoluta necessitas ipsius Baptismi aquæ, qualis non est Baptismus flaminis.

II. SS. PP. etiam quidam videntur huic doctrinæ adversari. Ambrosius quidem L. de Myst. C. 4. *Credit Catechumenus*, inquit, *sed nisi baptizatus fuerit - - remissionem non potest accipere peccatorum.* Et August. Tract. 13. in Joan. *quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc tamen sarcinam suæ iniquitatis portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.* His haud absimilia habet L. 4. contra Donat. C. 21. L. 1. de Orig. an. C. 9. & L. 2. de peccat. mer. C. 26. Ejusdem sensus fuisse Gregorium Naz. Gennadium, & Fulgentium jam supra N. 79. notavimus.

III. Adversatur etiam vetus disciplina: in Romana etenim Ecclesia primis quinque Seculis nullæ fiebant preces aut sacrificia pro Catechumenis sine Baptismo in re suscepto (idem est de Pœnitentia) decedentibus, ut testatur S. Leo Ep. 82. ad Theodor. Gelasius I. item in Concil. Rom. & Vigilius I. in Constit. de 3. Capitulis. Eundem fuisse morem in Hispanica Ecclesia constat ex C. 17. Concilii Braccarensis II. An. 563. habiti.

Resp. ad I. dist. Assertum: significatur absoluta necessitas Baptismi in re vel voto, quoad adultos videlicet, Conc. solius Baptismi in re, Nego. Ratio istud sentiendi est: perinde enim generatim dicitur, *ego diligentes me diligo &c.* ac, *nisi quis renatus fuerit &c.* quibus adde PP. testimonia ex N. 80. Id vero hic observandum, charitatem & contritionem in Catechumenis non aliter operari justificationem, quam prout simul includit saltem implicitum votum; hinc Trident. Sess. 14. Cap. 4. diserte ait, contritionem charitate perfectam reconciliare quidem hominem Deo ante Sacramentum actu susceptum, *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Resp. ad II. Ambrosium & Augustinum nequit dici nobis ad-

verſari, niſi eos ſecum ipſis pugnare quis exiſtimet : utrumque certe ejusdem nobiscum eſſe ſententiæ patet ex N. 80. Inde in cit. locis de illis dumtaxat agunt Catechumenis, qui vel ſolam fidem habent : vel in operibus quidem Chriſtianis etiam aliis proficiunt : quia attamen Baptismum, cum poſſunt & debent, ſuſcipere negligunt, aut plane contemnunt, propter opera ſua ſuper alios ſe efferentes, idcirco, uti vera charitate & contritione, ſic & flaminis Baptismo ſunt deſtituti ; quos *remiſſionem non poſſe accipere*, & *ſarcinam iniquitatis adhuc portare*, ultro & ipſi conſitemur. In hos certe Baptismi contemptores ſæpe invehitur Auguſtin. ac nominatim in cit. ex eo locis ; hinc L. 4. contra Donat. C. 21. *ſi Cornelius*, inquit, *etiam Spiritu S. jam accepto baptizari noluiſſet*, *contempti tanti Sacramenti reus fieret ;* quia, ut ibid. C. 25. habet, *converſio cordis poteſt quidem ineſſe non percepto Baptismo*, *ſed contempto non poteſt*. Hac eadem ratione quidam putant exponendos tres alios in objectione laudatos Patres ; quod ſi interim hi (ut cenſet Tournelyus) in oppoſita fuerint ſententia, nihil vetat ab eis recedere.

Reſp. ad III. rigor hic diſciplinæ non eo ſpectabat, quaſi exiſtimaretur votum Baptismi non ſufficere ad ſalutem : verum, ut pœna hac remedium offerretur Catechumenorum procraſtinationibus, ne videlicet cum ſalutis periculo Baptismi ſuſceptionem in longum differrent. Eadem cauſa Canonibus antiquis Clinici baptizati arcebantur a ſacris Ordinibus : ac hodie etiam ſepultura Eccleſiaſtica privantur, qui in Paſchate Euchariſtiam percipere negligunt. Cæterum ſeverior illa Eccleſiæ Hiſpanicæ & Romanæ diſciplina Seculo VI. correcta eſt : nec unquam fuit per univerſam Eccleſiam uſu recepta, ut clarum eſt ex Concilii Carthagin. IV. An. 398. Can. 79. & Arelatenſis II. An. 452. Can. 12. ac denique ex praxi Eccleſiæ Mediolanenſis quæ Sec. IV. hortante ipſo Ambroſio pro Valentino Imp. Catechumeno precibus & ſacrificiis litavit.

De Baptismo Sanguinis.

83 TErtia Baptismi species est Baptismus sanguinis, quo nomine ab Orthodoxis compellatur Martyrium. Quamvis autem vox hæc generatim significet omne *testimonium*, cum originem ducat a *μαρτυρέω, testor*, hincque universim *Testes* Sacer textus in Græco vocet *Martyres*: hic attamen sumitur pro eo dumtaxat testimonio, quod quis pro fide, aut virtute aliqua per fidem revelata Christo perhibet per toleratam mortem, aut pœnam saltem, quæ ex se proxime sufficiat ad inferendam illam; tametsi mors deinde, ut in Joanne Evang. evenit, divinitus impediatur. Hoc jam sensu acceptum *Martyrium* nomen *Baptismi sanguinis* propterea obtinuit, quod ex communi sententia præcipuos Baptismi aquæ effectus operetur, gratiam videlicet peccati tam originalis quam actualis remissivam: ut adeo Baptismus aquæ non ita sit necessarius, quin per Baptismum sanguinis suppleri possit. Et omnino Orthodoxorum nullus est, qui hanc Martyrii efficaciam in dubium vocet; de infantium dumtaxat Martyrio controvertunt quidam, ut videbimus N. 88. at neque istis sine injuria hoc aureolæ & remedii genus negari potest. Inde fit generatim

ASSERTIO.

Baptismus Sanguinis, seu Martyrium, supplet Baptismum aquæ tam in adultis, quam in infantibus.

84 PRob. quoad adultos I. pars Assertionis, & primum quidem ex S. Literis: quid enim illo Marc. 8. clarius? *qui perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.* Idem promittitur Matth. 10. *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo -- qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Quo

Quo autem Sacer textus sensu accipiendus sit, docemur ex Patribus. Horum Cyprianus Ep. 73. in cit. Matth. locum ita ait: *numquid potest vis Baptismi esse major aut potior, quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur.* item ibid. ait Catechumenos Martyres *non privari Baptismi Sacramento* (quoad effectum videlicet) *utpote qui baptizentur gloriosissimo & maximo sanguinis Baptismo.* Et S. August. L. 13. de Civ. Dei C. 7. *quicunque - - non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur Sacro fonte Baptismatis; qui enim dixit:* nisi quis renatus &c. *alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit:* qui me confessus fuerit &c. Eadem leges apud Tertull. in Apologet. circa fin. & L. de Bapt. C. 16. Ambros. L. 1. de Pœn. C. 2. Cyrill. Hieros. Catech. 3. Gregor. Naz. Orat. 39. & alios.

Suffragatur Patrum testimoniis sensus & praxis totius Ecclesiæ, quæ pro Martyribus nec preces nec sacrificia offert; censet igitur plenam fieri Martyrio culparum omnium expiationem. Inde illud Innocentii III. Cap. Cum Marthæ. de Celebr. Miss. *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; quæ ipsa jam ante fuit sententia Augustini serm. 159. de Verb. Apost. ubi, *injuria est*, inquit, *orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendari.* Congruit cum hoc & illud, quod Tract. 84. in Joan. habet.

85 Prob. de infantibus II. pars Assertionis, tam ex supra laudatis Scripturæ locis: quam, & quidem potissimum ex sensu Ecclesiæ, quæ jam inde a temporibus Apostolorum, (ut ostendit Baronius ad An. Chr. 58.) pro Sanctis Martyribus colit & veneratur Innocentes ab Herode occisos, eosque tametsi *non loquendo, moriendo attamen confessos* Deum, in solen. Orat. canit. Veteris hujus per Ecclesiam tam sensus quam cultus & venerationis testimonium perhibent etiam

Patres. Origenes quidem Hom. 3. in var. Evang. loca, ubi de Innocentibus agens, *horum*, inquit, *memoria semper*, *ut dignum est*, *in Ecclesiis celebratur secundum ordinem integrum Sanctorum*, *ut primorum Martyrum pro Domino occisorum*, *ut ipsa Bethlehem*, *in qua natus est Dominus*, *primitias Martyrum Domino obtulisse videatur.* Et Augustinus L. 3. de lib. arb. C. 23. ait: *etiam Infantes illos*, *qui*, *cum Dominus JESUS necandus quæreretur*, *occisi sunt*, *in honorem Martyrum*, *receptos commendat Ecclesia.* Idem Serm. 373. alias 66. de diversis, Num. 3. *o beati*, inquit, *parvuli! modo nati - - nondum luctati*, *jam coronati*: *ille de vestra corona dubitaverit in passione pro Christo*, *qui etiam Baptismum parvulis prodesse non existimat.* Denique Chrysostom. Hom. 3. in var. loc. S. Matth. eosdem parvulos & salutem & Martyrii gloriam consecutos asseverat his verbis: *mercantur pœna Martyrum*, *gloriam sanguine comparant*, *vitam æternam temporali morte commutant.*

Hæc jam autem ex Patrum & Ecclesiæ sensu deprompta certum præbent utique asserendi argumentum: parvulos pro Christo mortem oppetentes & veros fieri Martyres, & Martyrio hoc culpæ originalis remissionem ac salutem obtinere: atque ita in iis etiam Baptismum aquæ suppleri Baptismo sanguinis.

Solvuntur Objectiones.

86 OBjicitur I. generatim contra Assertionem. Si tanta sit, ut asseritur, Baptismi sanguinis efficacia, 1*mo* repetenda ea foret vel ex opere operato Martyrii, vel ex opere operante Martyris: 2*do* per illam ipsam causaretur simul remissio omnis pœnæ temporalis: 3*tio* vim eandem necesse esset tribuere etiam morti in obsequio pestiferorum obitæ, quæ species est quædam Martyrii; at hæc omnia inter ipsos DD.

DD. Orthodoxos incerta & controverſiis multis ſunt obnoxia; certum igitur ſaltem non videtur, eam eſſe Baptiſmi ſanguinis, quam Baptiſmi aquæ efficaciam.

Reſp. I. generatim: propoſitum nobis eſſe in præſenti Baptiſmi ſanguinis efficaciam quoad ſubſtantiam dumtaxat tueri; modum ejus, ac quæ circa illam etiamnum Scholarum lites exercent, minutim excutere non vacat. Neque tamen ex eo, quod de his certa nondum ſint omnia, incertam dixeris & ipſam Martyrii efficaciam, ut quam clara Scripturæ & Patrum ac Eccleſiæ ſenſa evincunt. Tenendum eſt videlicet certum, dimittendum incertum, ut in ſimili monet Auguſtinus. Vide in hanc rem etiam dicta L. I. N. 100. in Reſp. ad I. Quo interim & de his compendio ſenſum meum aperiam,

Reſp. II. in particulari, & quidem ad 1*mum*: veriſimilius videtur, Martyrii efficaciam haberi per ſpeciale Dei privilegium ex opere operato, quæ ipſa eſt opinio S. Thomæ in 4. diſt. 4. qu. 3. Art. 1. ad 1. Nempe controverti iſtud vix poteſt de Martyrio parvulorum, ut qui diſpoſitionis propriæ incapaces ſunt; cur non autem in adultis perinde eadem ſit Martyrii efficacia? Univerſim certe non Martyrum diſpoſitioni, ſed ipſi pro Chriſto morti obitæ S. Literæ & PP. memoratos effectus attribuunt; quia ab his univerſim Martyrium Baptiſmo aquæ comparatur, ac illo etiam excellentius dicitur. Momentum porro temporis, quo Martyrium hanc efficaciam exerit & gratiam operatur, cenſeo eſſe illud ipſum, quo anima Martyris a corpore ſeparatur; tum enim jam habetur moraliter plenitudo Martyrii.

Neque tamen hinc ſequitur 1*mo*, Martyrium eſſe verum Sacramentum: nam actio ſenſibilis, qua Martyr in odium fidei occiditur, non eſt inſtituta a Deo. Præterea (ut obſervat Platelius in Synopſ. Theol. C. 2. §. 2. N. 161.) Sacramenta, cum contineant in ſe merita Chriſti ex ſe ad juſtifi-

ſtifi-

ftificandum fufficientia, habent vim juftitiæ efficiendæ intrinfecam: cum ex adverfo tota Martyrii efficacia fit ex fpeciali tantum Dei privilegio.

Nec fequitur 2*do*, eandem per omnia effe adultorum & parvulorum in Martyrio conditionem: in illis etenim prærequiritur certa difpofitio, in his nulla. Variæ autem funt de hac adultorum difpofitione opiniones. Ad mentem D. Thomæ & plurimorum Theologorum fenfum hæc pro certioribus habe ex Platel. loco fupra cit. a N. 162.

I. In adultis generatim requiritur mortis pro Chrifto acceptatio, faltem habitualis, & quidem ea, quæ excludat voluntatem fe defendendi. Hinc & dormiens in odium fidei occifus venit in cenfum Martyrum: non item ex adverfo Milites in pugna, animo tuendi Religionem fufcepta, ab hofte cæfi; ut adeo Ecclefia Phocæ Imp. aliifque hoc Martyrii genus inducere volentibus femper reftiterit, quod notat Baron. in Not. ad Martyrol. ad 19. April.

II. In Juftis *per fe loquendo* ad Martyrium fufficit expofita acceptatio: hæc ipfa enim eft vera charitas, faltem inchoata & implicita, quando *majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam fuam ponat* Joan. 15. Atque hoc fenfu exponendi funt Patres, qui charitatem requirunt ad Martyrium. Dictum autem eft *per fe loquendo* propterea: nam imminens Martyrium non liberat ab obligatione in articulo mortis omnibus communi, fi ea impleri poffit, ut e. g. Baptifmi fufcipiendi, confitendi, ac probabilius etiam eliciendi amorem Dei &c. Hæc interim omnia non difpofitionis inftar ad Martyrium neceffariæ, verum obfervantiæ dumtaxat nomine, quam præceptis debemus, requiruntur: unde fi per ignorantiam vel oblivionem omittantur, valebit nihilominus Martyrium.

III. In peccatoribus, præter acceptationem mortis, requiritur pœnitentia faltem virtualis: Tridentin. enim Seff. 14.

C. I.

C. 1. generatim docet, pœnitentiam in peccatum lapsis quovis tempore fuisse necessariam ad justificationem, etiam per Baptismum obtinendam. Pœnitentia autem virtualis censetur esse, si voluntas moriendi pro Christo concipiatur ex motivo universali repugnante cuilibet peccato mortali, e. g. ex motivo amoris Dei super omnia &c. Quin, quantum præcise est ad Martyrium, ad pœnitentiam hanc sufficit attritio supernaturalis, sicut eadem sufficit ad Baptismum, cui a Patribus æquiparatur Martyrium. Cæterum, quia sub gravi culpa quisque obstringitur ad securiora salutis media in mortis articulo adhibenda, in praxi censendum est, a peccatore præmittendam esse Martyrio contritionem aut Confessionem: ne videlicet perdendæ salutis periculo se exponat, si forte vera sit sententia ad valorem & effectum Martyrii contritionem requirens.

Resp. ad 2*dum*: probabilius esse per Martyrium obtineri plenam etiam pœnæ temporalis remissionem. Ad id sentiendum inducor vel praxi Ecclesiæ, quæ pro Martyribus nullas concipit preces, nulla suffragia; censet igitur eos Martyrio ita expiari, ut a morte statim Cœlo inferantur. Et hujus quidem sententiæ fuisse Cyprianum in L. de Exhort. Martyrii, dubitari nequit: in Præfat. etenim sanguinis Baptisma multis collaudans, hoc esse, ait, *quod nos de Mundo recedentes statim Deo copulat;* & ejusdem Lib. C. 12. ad Martyrium suos exhortans, *quis non omnibus*, inquit, *viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat? - - quanta est dignitas, & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & Mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus.*

Resp. ad 3*tium:* a nemine in dubium vocari, mortem in obsequio pestiferorum obitam esse Martyrium late acceptum;

an vero idem etiam proprio ac presso sensu Martyrium dici possit? controvertitur, quin & cum Thom. Hurtado & Platelio a plurimis negatur. Theophilus Raynaudus argumentum hoc peculiari opera elucubravit in sua *de Martyrio per Pestem Disquisitione*, qua copiose propugnat, eos, qui ex motivo charitatis in proximum obsequio pestiferorum se addicunt, ac contracto inde contagionis malo mortem oppetunt, vero ac proprio sensu esse Martyres. Istud autem si ita se habeat, ultro consequitur; huic etiam morti tribuendam esse veri Martyrii efficaciam.

Si jam meam requiras in præsenti argumento sententiam: Raynaudo accedendum censeo. Quid enim ita occumbentibus ad plenam Martyrii desit lauream? morte violenta decedunt, & quidem ea, in cujus proximum periculum ex charitatis & lucrandarum Christo animarum motivo se ultro conjecerunt; & mortem itaque & causam habent Martyrii. Perdunt nempe animam suam propter Christum & Evangelium; quidni igitur juxta Christi oraculum, ut alii Martyres, salvam faciant & inveniant eam? Accedit authoritas Dionysii & Clementis Alexandrini apud Euseb. L. 7. C. 17. ubi dicunt, hoc genus mortis nihil abesse a splendore Martyrii. Sententiæ huic suffragari etiam Origenem, Augustinum, & Ruffinum ostendit Raynaudus in cit. Disquis. P. 3. C. 2. Ipsum Martyrolog. Roman. ad 28. Febr. quosdam in pestiferorum obsequio extinctos commemorans, ait: *quos velut Martyres, religiosa fides venerari consuevit.* Denique: pro hac opinione Marin, qui & ipse eam amplectitur Theol. Tract. 19. Disp. 1. Sect. 1. N. 5. ex Mendo laudat 12. Academias, 13. Cardinales, 12. Episcopos, 264. Doctores, & alios 53. Scriptores.

At, inquies, preces funduntur universim pro his charitatis victimis? & id quidem recte fieri assero, cum sententia hæc nondum sit decretorio Ecclesiæ suffragio affirmata. At eadem etiam rejecta non est: cur igitur eam pie tenere non liceat,

quæ

quæ & Scripturæ & Patrum ac tot Doctorum sensui sit conformis? Rejectum forte a Censoribus Romanis laudatum Raynaudi Opus oggeres? ita omnino primum evenit; verum iidem denuo illud jussi recognoscere, cum nihil proferre possent, quod rescindi oporteret, censoriam suam virgam subduxerunt, veniam, quam negarant principio, demum impertiti: ut adeo Censorum ipsa hæc in Raynaudum severitas plenius efficiat pro sententia ejus suffragium. Consule uberius cit. Raynaudi *Disquisitionem*, præsertim Part. 3. & 4. ac vix dubitabis, in obsequio pestiferorum decedentibus gloriosam deferre Martyrii aureolam.

87 Objicitur II. in particulari contra Assertionis 1*mam* partem ex Tertulliano, qui L. de pudic. C. ult. contendit, ad preces Martyrum non esse relaxandam mœchis pœnitentiam: quod si enim id fiat, *jam & Martyrium*, inquit, *aliud erit Baptisma*; negabat ergo in adultis Martyrium ullam habere rationem Baptismi. Ac revera, quomodo vel Baptismi efficacia tribuatur adultorum Martyrio, quod ex se, tum saltem, cum non conjungitur cum contritione perfecta, ne in voto quidem est Baptismus? aut si eadem sit ejus efficacia, cur Catechumeni, ex usu in veteri jam Ecclesia recepto, ante Martyrium baptizantur?

Resp. cit. Librum a Tertulliano, jam tum Montanista, conscriptum esse; nihil proinde, tametsi nobis adversaretur, authoritatis habere. Cæterum non negat is Martyrium in vicem Baptismi esse ipsi Martyri, imo id ibid. diserte affirmat, *sufficiat*, inquit, *Martyri propria delicta purgasse*; quod igitur vult, id unum est: Martyrium fore vice Baptismi non Martyribus tantum, sed & aliis, si gratia Martyrum (ut tum mos erat Ecclesiæ) lapsis pœnitentia relaxetur. Atque hoc est, quod expressum voluit illis verbis: *jam & Martyrium erit aliud Baptisma*, quasi diceret, *& aliis erit Baptisma*.

Ad alterum, quod additur, dico: Martyrium adultorum

semper esse Baptismum in voto ; ipsa enim mortis pro Christo obeundæ acceptatio implicite continet votum Baptismi. Qui enim fieri possit ? ut quis mori velit pro Christo, nec tamen velit implere præceptum Christi, præsertim ejusmodi, quod & observatu sit facile, & ad necessitatem medii pertineat. Inde Catechumenos ante Martyrium non modo convenit, sed & oportet baptizari, si opportuna sit Baptismi occasio ; ex præcepto enim Christi ab adultis suscipiendus est in re Baptismus, cum suscipi potest.

88 Objicitur. III. contra Assertionis 2*dam* partem: ex promissione Christi efficacia Martyrii habetur a confessione Martyrum juxta illud: *omnis qui confitebitur me* &c. at infantes Confessionis incapaces sunt; igitur incapaces & Martyrii, ejusque efficaciæ. Ac omnino, cum propter hanc Confessionem, morte ipsa firmatam, Martyrium sit actus fortitudinis & charitatis, quod utrumque rationis usum supponit, quomodo Infantes dici possunt veri Martyres ?

Atque hinc est, quod Patrum nullus diserte doceat, parvulis Baptismi loco esse mortem Christi odio illatam. Quid quod opinionem hanc magni nominis Theologi quidam aperte etiam rejiciant? Ita Jacobus a Vitriaco Cardinalis in Hist. Occidentali C. 36. contendit, parvulos sine Baptismo non salvari, tametsi a Paganis pro Christo occidantur: neque omnino ad eos extendi posse singulare privilegium Innocentibus ab Herode interfectis concessum. Quin Richardus Armachanus L. 8. de Quæstionibus Armenorum C. 37. & Adrianus in 4. qu. ult. de Bapt. docent, ex infantibus ab Herode cæsis solum eos, qui circumcisi erant, salutem fuisse consecutos, idque virtute circumcisionis dumtaxat.

Resp. Dist. prop. Maj. efficacia Martyrii habetur a confessione, eaque tantum libera & proprie tali, quæ videlicet fit corde & ore, N. a confessione etiam improprie tali, qualis est ipsa mors in causa Christi, Conc. hujus vero capa-

ces

ces sunt etiam parvuli, *non loquendo* quidem, *sed moriendo* confitentes Christum, ut canit Ecclesia. Nempe idem, qui dicit: *qui me confessus* &c. alibi generatim asserit: *qui perdiderit animam suam* &c. ex quo patet, illud Christi effatum, *nisi quis renatus* &c. intelligendum esse cum exceptione Martyrii, idque ad mentem Patrum, præsertim Augustini L. 2. de anima, & ejus orig. C. 12. Conformiter autem ad hæc, Martyrium etiam in parvulis dici potest, sensu saltem minus proprio, actus charitatis & fortitudinis: nempe, non quidem ex parte operis operantis, verum ex parte operis operati, seu mortis in causa Christi obitæ.

Ad Patrum silentium, & Doctorum quorumdam authoritatem quod attinet, illud notasse sufficiat: sententiam hanc, ut quæ supremo Ecclesiæ judicio expressis verbis nondum est definita, non ita nos tueri, ut eam fidei dogma & articulum asseramus. Jure attamen eam propius ad veritatem fidei accedere contendimus: tum quia videtur non obscure in Sacro textu contineri: tum quia ei favet Ecclesia, non solum SS. Innocentes ab Herode trucidatos, sed & alios infantes odio Religionis vita privatos pro Martyribus coli permittens: tum denique, quia hic fuit semper communior fidelium sensus: ac ipsi Patres generatim, nulla exceptione facta, pronunciant Martyres, qui Christi causa occiduntur: eosque una, ajunt, suo sanguine baptizatos Baptismo aquæ non egere. Quis non autem hinc inferat? laudatorum in Objectione Doctorum authoritatem cedere oportere. Armachani præterea opinio acerbiorem etiam videtur scholæ censuram promereri: cum Ecclesia Innocentes ab Herode occisos non modo ut sanctos, sed etiam ut SS. Martyres colat, & quidem sine exceptione omnes; non sola igitur circumcisione (tametsi ea vim justificandi habuisset) sed & Martyrio sanctificati sunt: præsertim, cum in tanto numero multi haud dubie fuerint parentibus Ethnicis nati, aut certe ante octavum diem, quo primum fiebat circumcisio, interfecti. §. IV.

§. IV.

An etiam Baptiſmi figuræ, præſertim Circumciſio & Joannis Baptiſma, eamdem, quam ille, vim delendi peccatum originale habuerint?

Baptiſmi a Chriſto inſtituti ex mente Patrum complures in Lege veteri fuerunt figuræ: remedium nempe parvulorum ſtatus naturæ, tranſitus rubri maris & piſcina probatica, circumciſio item, tum Joannis baptisma. De horum jam efficacia ſi quæſtionem moveas: omnium ſententia inprimis certum eſt, piſcinam probaticam & maris tranſitum nudas fuiſſe Baptiſmi figuras, quin ullam, ſeu internam, ſeu mere legalem & externam, Sanctitatem operarentur: remedium contra parvulorum contuliſſe gratiam culpæ originalis remiſſivam, conſtat ex L. I. Diſſ. II. §. 1. a Num. 34. Supereſt itaque controverſia de Circumciſione & Joannis Baptiſmate, de quibus antequam ſtatuamus, referendæ ſunt prius aliorum opiniones.

Opiniones de Circumciſionis & Joannis Baptiſmi efficacia.

89 I. De Circumciſione diſceptantes Theologi triplex potiſſimum opinationis genus proferunt. Sunt, qui Magiſtrum Sent. in 4. diſt. 1. cum Scoto & Durando ſecuti exiſtiment, Circumciſionem fuiſſe a Deo inſtitutam in remedium peccati originalis, perindeque eam, ac in nova Lege Baptismus, ex opere operato gratiam contuliſſe. Alii cum Melchiore Cano, Vaſquezio, & Bellarmino poſt D. Thomam 3. p. qu. 62. Ar. 6. & qu. 70. Ar. 4. contendunt, ex opere dumtaxat operantis, ratione videlicet fidei ſigno externo a Parentibus conteſtatæ, Circumciſionem habuiſſe vim delendi ori-

originalem labem. Quidam denique, tametsi longe pauciores, cum Tournelyo & Authore de re Sacram. negant Circumcisionem esse institutam in remedium peccati originalis: quodque hinc consequitur, nullam ei tribuunt delendi peccati & gratiæ conferendæ efficaciam.

II. Joannis Baptisma ejusdem fuisse cum Christi Baptismo efficaciæ, post Calvinum, Melanchtonem, Zvinglium & Bucerum, docent e Lutheranis & Calvinianis plurimi; idque conformiter ad alterum sectæ suæ errorem, quo totam universim Sacramentorum vim reponunt in fide, ad quam non minus Joannis ac Christi Baptismum excitasse dicunt. Eamdem jam ante illos utrique efficaciam Petilianus Donatista attribuit, simul Joannis Baptismum tribus gradibus, aqua videlicet, igne & spiritu, ita consecratum asserens, ut aquam Joannes, spiritum Christus, ignem vero Paracletus dederit, *nesciens quid loqueretur*, ut contra ejus Liter. pugnans Augustin. arguit L. 2. C. 32. 34. & 37. 90

Ex Orthodoxis nominandus hic venit Magister sent. L. 4. dist. 2. duas a Joanne baptizatorum classes distinguens. Alios nempe eorum fuisse putat, qui SS. Trinitatis fidem non habentes in uno Joannis Baptismo spem salutis reponebant: alios contra SS. Trinitatem credidisse, hosque nullo amplius alio indiguisse Baptismo, nec unquam deinceps fuisse tinctos Baptismo Christi. Inde factum, ut subinde quidam existimaverint, Joannis Baptisma fuisse verum Sacramentum, & quidem juxta Durandum, Legis veteris: juxta D. Thomam autem in 4. dist. 2. qu. 2. Ar. 1. medii cujusdam inter Legem utramque status; quanquam deinde Doct. Ang. in Sum. 3. p. qu. 38. Ar. 1. ad 1. ab hac opinione recesserit.

ASSERTIO.

Nec Circumcisio, nec Joannis Baptismus habebat vim delendi peccatum originale: non fuerunt proinde hæ Baptismi figuræ ejusdem cum illo efficaciæ.

91 PRobatur I. pars Assertionis de Circumcisione. Etsi hæc vis non tribuatur Circumcisioni, habebatur nihilominus in statu Legis remedium ad delendum in parvulis peccatum originale; non est præterea hujus efficaciæ in S. Literis fundamentum; quin etiam oppositum suadet Scripturæ, Patrum, & Scriptorum veterum authoritas; verisimilius igitur est, non fuisse eam Circumcisioni efficaciam, ut ad culpam originalem abolendam instituta fuerit. Consecutio, ni fallor, est legitima: solum itaque trium Asserti partium probationem Adversarius requiret.

92 Ita autem pro 1ma parte arguo: ex Gen. 17. & Lev. 12. constat, legem Circumcisionis non fuisse latam pro fœminis, nec pro masculis ante octavum a nativitate diem; imo eadem non obstringebantur Israelitæ toto, post egressum ex Ægypto, peregrinationis tempore: nam, ut habetur Jos. 5. *populus, qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit;* quis autem, nisi temere, asserat? his omnibus, quos utique etiam voluit salvari Deus, de nullo fuisse provisum salutis remedio. De quo quidem, si fas sit conjectare, non incongrue dixeris: signum illud fidei protestativum, quod in statu naturæ ad abolendam in parvulis labem originalem institutum fuit, in Lege etiam scripta perdurasse. Ut ut autem sit istud; hoc saltem ex dictis evincitur, in statu Legis fuisse aliquod pro parvulis remedium a Circumcisione diversum: quod ipsum extendendum erit utique ad omnes universim sexus utriusque infantes, si præterea ostendatur, Circumcisioni non fuisse inditam delendi peccati efficaciam. Atque hoc alterum reliquæ probationes conficient. Itaque Pro

Pro 2*da* parte argumento fit illud, quod Scriptura nuſpiam attribuat juſtificationem Circumciſioni. *Hoc eſt pactum meum*, inquit Deus Gen. 17. *quod obſervabitis - - circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. - - eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.* En! præcipitur Circumciſio in ſignum dumtaxat fœderis, quod Deus cum Judæis pepigit, cum eos in populum ſuum elegit, promittens illis peculiarem præ aliis protectionem, volenſque una ab iis ſpecialiter coli ac honorari. Erat igitur Circumciſio præcepta in ſignum, quo populus Dei electus diſcerneretur ab aliis nationibus, ſemperque admoneretur Divinæ erga ſe dilectionis & providentiæ, ſimul excitaretur ad peculiarem cultum Deo præſtandum. Apoſtolus etiam ad Rom. 3. Cicumciſionis utilitatem commendans, id tantum refert, *quia credita ſunt illis eloquia Dei*, hoc eſt, Legem & mandata Judæis eſſe conceſſa. Hæc vero omnia nullum præbent fundamentum aſſerendi, adnexam fuiſſe Circumciſioni virtutem juſtitiæ conferendæ: vel certe producatur Scripturæ locus aliquis, quo iſtud evincatur. Quid quod in oppoſitum, ac proinde 93

Pro 3*tia* parte Aſſerti complura ſuppetant teſtimonia. Ex S. Literis primum: nam ne Abraham quidem per Circumciſionem, ſed jam ante per fidem juſtificatus eſt; *reputata eſt*, inquit Apoſtolus ad Rom. 4. v. 9. *Abrahæ fides ad juſtitiam, - - non in Circumciſione: ſed in præputio*, hoc eſt (ut Cornel. a Lap. exponit) in ſtatu Gentiliſmi, in quo Abraham circumciſus non fuit, verum præputiatus. Quin & poſteros ejus, non Circumciſionis, ſed fidei Abrahæ imitatione juſtos fuiſſe ibid. Apoſtolus docet, cum v. 11. ait: *ſignum accepit* (Abraham) *Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit Pater omnium credentium per præputium* (manentium in præputio, ſeu Gentilium) 94

ut reputetur & illis ad justitiam (ut & illi, sicut Abraham, ex fide justificentur ante Circumcisionem) *& sit Pater circumcisionis*, (hoc est, sit velut Auctor Circumcisionis, quæ est signum justitiæ per fidem acceptæ) *non iis tantum, qui sunt ex Circumcisione: sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ* (etiam credentibus, sicut Abraham credidit, in statu Gentilismi ante Circumcisionem) *non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset Mundi, sed per justitiam fidei.* Quæ verbis Apostoli inseruimus, desumpta sunt ex Cornelio a Lap. in C. 4. Ep. ad Rom. commentante.

Conformiter ad hæc ex Patribus vetustis complures id solum Circumcisioni tribuunt, quod fœderis signum fuerit Judæos ab aliis nationibus distinguens: non item etiam remedium peccati & causa justificationis. Laudandi hic sunt Cyprian. L. 1. contra Judæos C. 8. Epiphan. Hær. 8. Ambros. Ep. ad Irenæum, nunc 74. alias 72. Hieronym. in C. 3. ad Gal. Sed cumprimis audi Justinum M. Dial. cum Tryph. *quod genus muliebre*, inquit, *Circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit, in signum datam Circumcisionem, non ut justitiæ opus;* jam ante autem dixit, signum hoc fuisse, quo discernerentur Judæi. Hoc ipsum signum fuisse Circumcisionem asserens Irenæus L. 4. C. 16. mox subdit: *& quia non per hæc justificabatur homo - - ostendit* (Deus) *quod ipse Abraham sine Circumcisione - - credidit, & reputatum est illi ad justitiam.* Audi & Tertullianum, qui L. contra Judæos C. 2. referens, quod Deus non voluerit Adamum, tametsi lapsum, circumcidi, dein C. 3. *providens Deus*, inquit, *quod hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus &c.* Accedat denique authoritas Chrysostomi Hom. 27. in Gen. ubi ita loquitur: *attende, quomodo - - voluerit Circumcisionem pro lege statui: non quod ad animæ salutem proficere hæc possit aliquid; sed ut hoc grati*

ani-

animi indicium, quasi signum circumferrent, & ne liceret eis commiſceri gentium congreſſibus. Et mox: *nam quod ad juſtitiam nihil conducat, ecce & hic juſtus, nondum ſtatuta Circumciſione, ad eandem pervenit virtutem.*

Partis hujus probationem demum concludat ipſorum Judæorum de hac Circumciſionis efficacia ſilentium. Philo certe & Joſephus Judaicorum rituum erant periti, unaque ſynagogæ ſuæ prædicandæ perquam ſtudioſi: neuter attamen virtutem eam commemorat. Etenim Joſephus Antiquit. L. 1. C. 12. ad id tantum inſtitutam Circumciſionem affirmat, ut poſteri Abrahæ diſcernerentur ab aliis. Philo autem in L. de Circumcis. ex propoſito conſcripto, tametſi ejus cauſas afferat varias, expiati tamen per eam peccati & collatæ juſtitiæ prorſus non meminit.

95 Hæc jam ſi invicem conferas, ac ex omnibus unum argumentum conficias, vix erit, ut de Aſſerti veritate dubites. Illud interim iſthic non negaverim: in Circumciſione, propter fidem Parentum & Miniſtrorum ipſa præcepti divini obſervantia teſtatam, aliquas fuiſſe circumciſis collatas gratias. Quin, ſi forte primum per Circumciſionem, tanquam ſignum fidei proteſtativum, fuerit applicitum parvulis memoratum Remedium, ultro etiam concedo in Circumciſione datam originalem juſtitiam: at id non virtute Circumciſionis, verum dicti Remedii per Circumciſionem parvulis appliciti.

96 Probatur II. pars Aſſertionis de Joannis Baptiſmo, & primum quidem Scripturæ, tum & Patrum teſtimonio.

Nempe ex ſacris Literis docemur Joannis Baptiſmum fuiſſe dumtaxat in pœnitentiam, ad quam excitabat. Inde Marci 1. & Lucæ 3. dicitur: Joannem *baptizaſſe in pœnitentiam -- prædicaſſe Baptismum pœnitentiæ* - - baptizatos ab eo *confeſſos fuiſſe peccata ſua &c.* Quin ipſe de ſe apud Matth. C. 3. *baptizo vos*, inquit, *in aqua in pœnitentiam.* Baptizatis præterea a Joanne rurſum ab Apoſtolis collatum Chriſti Baptiſmum,

constat ex Actis Ap. C. 19. idemque docet Augustin. Tract. 5. in Joan. & Hieron. in Dial. contra Lucif. Qui igitur dici potest, eumdem fuisse Joannis Baptismum cum Baptismo Christi, aut ejusdem efficaciæ ?

Qua quidem in re si Patrum etiam authoritatem in testimonium advoces, nullus jam relinquetur dubio locus. Ne unus certe nominari potest, qui diversum a nobis sentiat; plurimi ex adverso expressis verbis eamdem nobiscum doctrinam tradunt. Lege ante alios Tertullianum L. de Bapt. C. 10. ex proposito de Baptismo Joannis differentem, ubi eum dicit *mandatum quidem divinum fuisse, sed humanum conditione & potestate. Nihil enim* (ut prosequitur) *cæleste præstabat, sed cælestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus.* Consentit his Hieronym. in Dial. contra Lucif. *Joannis*, inquit, *Baptisma non tam peccata dimisit, quam Baptisma pœnitentiæ fuit in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.* Inde Ambrosius ad C. 3. Lucæ disertis verbis ait: *aliud fuit Baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est.* In eamdem sententiam loquuntur Origenes in Joan. Cyrillus Hierof. Catech. 3. Basilius Exhort. de Bapt. Chrysostomus Hom. 11. in Matth. Cyril. Alexand. in Comment. in Joan. copiosissime autem & acerrime omnium Augustinus Tract. 5. in Joan. L. 5. contra Donat. C. 9. & 10. item L. 2. contra Lit. Petiliani C. 22. 24. 36. & 37. Hæc jam autem consentientia tot Patrum sensa quidni edoceant, ipsam pro nobis pugnare Traditionem; cui denique & Concilium Trident. Sess. 7. Can. 1. decretorium suum adjecit suffragium: *si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.*

Respondetur Adversariis.

97 OPpon. contra I. part. Assertionis. Circumcisio fuit a Deo præcepta cum comminatione pœnæ æternæ, ita enim Gen.

Gen. 17. v. 14. legimus : *masculus, cujus praputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit;* quæ comminatio cum generalis sit, spectabat utique ad infantes etiam. Quo autem hi titulo perituri erant, si non circumciderentur ? nisi quia Circumcisionis beneficio privati a culpa originali non liberabantur ; in remedium igitur hujus labis expiandæ instituta fuit Circumcisio.

Resp. Comminatione illa Dei comprehensos omnino fuisse tam infantes, quam adultos ; at ea non fuit pœnæ æternæ, verum temporalis dumtaxat & legalis. Infantes scilicet, si non circumciderentur, delendi erant, hoc est, excludendi a populo Dei : huic enim accensebatur nemo, nisi circumcisus. Multo autem amplius ea comminatio pœnæ spectabat adultos, ut qui seu infantes suos circumcidere negligerent, seu sui ipsorum circumcisionem non admitterent, rei erant violatæ Legis divinæ. Hæc ipsa interim pœna probabilius tantum temporalis fuit, nempe : vel separatio a populo Dei, vel mors violenta. Argumento in hanc rem est, quod Deus non dicat absolute *delebitur*, sed addat *de populo suo;* utroque præterea hoc sensu τὸ *peribit*, quod idem significat, ac *delebitur*, legitur in Scriptura. Ita Lev. 7. *anima, quæ tetigerit immunditiam hominis, interibit de populis suis*, hoc est, separabitur & excludetur a cœtu reliquorum. Et Exodi 12. *quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel*, id est, occidetur. Ac omnino Exodi 4. Deus Moysem occidere voluit, quod filium suum nondum circumciderit. Universim autem certe, citatis Geneseos verbis pœnam æternam comminatum fuisse Deum, nullo sat firmo ex S. Literis fundamento erui potest. Verum

98 Instabis I. Deus *deletionem* non circumciso intentans pro causa reddit, *quia pactum meum irritum fecit;* cum ergo infans *pactum Circumcisionis* Abrahamo & ejus posteris imperatæ irritum non reddat, utpote præcepti incapax, censendum est, nomine pacti isthic intelligi *pactum cum Adamo in-*

 itum

itum de non comedendo fructu, quod & infans utique in Adamo peccans irritum fecit; eam igitur hic Deus comminatur *deletionem*, quæ debetur transgressioni hujus alterius pacti, seu ipsi peccato originali; at *deletio* hæc æterna est: hanc ergo comminatur Deus, nisi videlicet Circumcisione expietur culpa infantis. Videtur & illud isthuc facere, quod Deus Gen. 17. V. 7. pacto huic suo adnectat promissiones spirituales, *statuam*, inquit, *pactum -- ut sim Deus tuus & seminis tui;* & pœna igitur, quam illic transgressioni pacti intentat, non est mere temporalis.

Resp. Pactum, quod isthic Deus memorat, est Circumcisionis pactum, hoc enim solum Sacer textus designat: non item pactum cum Adamo initum, cujus ne verbo indicium facit. *Hoc est pactum meum*, ait Deus, *quod observabitis --* ac ne dubitari possit, quod illud sit, continuo subdit: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, *ut sit in signum fœderis inter me & vos -- eritque pactum meum in carne vestra --* quod vero hoc, nisi Circumcisionis? hæc enim fuit in carne. Statim præterea subjicitur: *Masculus*, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima de populo suo*, *quia pactum irritum fecit.* At, inquies, quomodo infans pactum Circumcisionis irritum facit? facit equidem: at non stricto, verum latiore dumtaxat quodam sensu; quatenus videlicet, si non circumcidatur, in eo pactum Dei irritum redditur, non ejus quidem, sed Parentum culpa. Inde & infantis incircumcisi segregatio a populo Dei comparate ad illum pœnæ proprie talis rationem non habebat; segregandus tamen erat propterea, quod conditio, quam Deus posuit, in eo impleta non fuerit.

Quod additur de promissionibus Abrahæ factis, etsi ultro id concedas, illatio tamen non erit legitima; universim enim in iis, quæ a libero Dei arbitrio dependent, ex uno alterum non recte infertur: præsertim cum noverimus, Deum

um ad promissiones & præmia proniorem esse, quam ad pœnas. Verisimilius interim est, promissionem Circumcisionis pacto annexam mere temporalem fuisse: protectionem videlicet peculiarem populi, bonorum hujus vitæ ubertatem &c. Colligitur istud non obscure ex contextu laudati C. 17. ex Genesi, ubi promissiones illæ his describuntur verbis: *ponam fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis*, v. 2. *eris pater multarum gentium*, v. 4. *ponam te in gentibus, Regesque ex te egredientur*, v. 6. *dabo tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Numquid hæc sunt mere temporalia omnia?

Cæterum (quod commune est universim præceptorum observationi & transgressioni) an non adultis propter observantiam Circumcisionis mandatæ gratias etiam spirituales Deus contulerit: ac ex adverso, propter ejus transgressionem, si hoc præceptum fuit graviter obligans, pœnam simul æternam inflixerit, de hoc isthic non disputo, neque istud ad præsentem controversiam pertinet.

99 Instabis II. authoritate Augustini, qui L. 4. contra Donat. C. 24. L. 2. de Nupt. & Concup. C. 11. Operis perf. contra Julian. L. 3. C. 18. & L. 16. de Civ. Dei C. 27. contendit: pactum, cujus Scriptura Gen. 17. meminit, esse illud ipsum, quod Deus cum Adamo iniit; Circumcisionem habuisse vim delendi culpam originalem; verbo item *delebitur* intelligi pœnam æternam damni. Hæc vero omnia a sensis nostris prorsus diversa sunt.

Resp. quoad postrema duo capita, vim nempe originalis peccati deletivam, pœnæ item æternæ comminationem, Augustinum non incongrue posse exponi eo sensu, quem indicavimus N. 95. & N. 98. sub finem V. *Cæterum* &c. Ac omnino Author de Re Sacr. L. 2. qu. 5. §. 3. id saltem contendit, Augustinum agnovisse, inter Christi Baptisma & Circum-

cumcisionem, etiam quoad efficaciam, multum diversitatis intercedere. Nempe S. Doctor Enar. in Ps. 73. universim ait: *alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem; Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem &c.* Item L. Num. qu. 25. *si per se ostendantur Sacramenta vetera, nullo pacto possunt mederi; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur: in eis inveniri poterit purgatio peccatorum &c.* Ex quibus laudatus Author infert: Augustinum, cum alibi dicit Circumcisionem plurimum valuisse ad peccati purgationem, exponi oportere de fide in venturum Christum, cujus protestatio per Circumcisionem fiebat.

Ut ut interim ista sint: integre saltem pro opinione nostra vindicari non potest Augustinus, si loca ex eo adversum nos citata expendantur; quin verisimilius est, eum a communi, & passim recepta apud veteres Patres sententia, quam & ipsi tuemur, primum recessisse: neque enim primis quatuor Ecclesiæ Seculis ante illum e Patribus legas alium, qui Circumcisionem peccati remedium esse voluerit. Inde, si denique in præsenti S. Doctore nobis Patrono uti non liceat, id habemus reliquum, ut ob momenta a N. 91. allata, & vetustiorum Patrum authoritate etiam subnixi, ab eo nunc quidem, saltem ex parte, diversum nos sentire fateamur. Idem esto judicium de Gregorio Magno, Innocentio III. Bernardo, Ven. Beda, Magistro sent. & aliis, qui in hac de Circumcisione controversia Augustini opinionem sectantur.

100 Oppon. contra II. par. Assertionis. Eadem fuit in Baptismo Joannis quæ in Baptismo Christi materia & forma, ac utriusque etiam idem effectus; eadem igitur utriusque & natura & efficacia. Ant. prop. de materia controverti non potest, cum perinde Joannes ac Christus baptizaverit in aqua. Eamdem vero fuisse formam & eumdem effectum, colligitur ex Act. C. 19. ubi legimus Joannem baptizasse *in nomine venturi,*

turi, seu Christi: & Marci 1. ac Lucæ 3. idem Joannes dicitur prædicans *Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum;* hæc vero prorsus congruunt cum forma & effectu Baptismi Christi, prout is Act. 2. describitur, nempe: *baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum.*

Resp. N. ant. Probatio, quæ de forma subjicitur, nihil evincit. Etenim Baptismum Christi cum invocatione SS. Trinitatis semper, ac necessario conferri debuisse, constat ex L. hujus Differt. I. §. 4. idem autem & Joannem baptizantem præstitisse, nullo Scripturæ argumento ostendi potest. Equidem baptizavit *in nomine venturi;* at id non alio sensu, quam quod baptizans prædicaverit fidem in venturum Christum, uti istud colligitur ex cit. Act. C. 19. V. 4. ubi hæc referuntur Pauli verba: *Joannes baptizavit Baptismo Pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in JESUM.* Ac sane, si Ephesii, cum quibus hic agit Apostolus, a Joanne fuerunt baptizati *in nomine Christi*, cur eos rursum in ejusdem nomine baptizari voluit? continuo enim ibid. V. 5. subjungitur: *his auditis baptizati sunt in nomine Domini JESU.*

Sed nec de effectu Objectio magis urget; quo enim sensu fuerit Joannis Baptismus *in remissionem peccatorum*, constat ex N. 96. in remissionem videlicet, non quæ per hoc Baptisma daretur, sed *futuram* dumtaxat, ut exponit in Dial. contra Lucif. Hieronymus; hinc Augustinus L. 5. contra Donat. C. 10. Joannem ait baptizasse *in remissionem peccatorum in spe*, hoc est, obtinendam virtute Pœnitentiæ, ad quam Baptismo suo præparabat.

101 Instabis forte, huic expositioni PP. adversari; nam, præter Tertull. Basilius L. 1. de Bapt. de Joan. Baptismo agens, ait: cum aliquis baptizabatur in Jordane, *statim veniam consequebatur peccatorum.* Consonat his Cyril. Hieros. Catech. Mystago-

gica 2. inter Christi & Joannis Baptismum hoc discrimen faciens: *per Baptismum Joannis*, inquit, *dabatur remissio peccatorum; per Baptismum Christi, adoptio filiorum.* Uterque, ut videtur, ipsi Joannis Baptismo remissionem attribuit.

Resp. neminem omnino Patrum, quod sciam, in præsenti diversum a nobis sentire. Basilius cit. loco ait statim consequi veniam, at non virtute Baptismi, verum Pœnitentiæ; inde præmittit: *qualiacunque peccata confessus fuisset*, -- *statim veniam consequebatur peccatorum.* Sane ibidem S. Doctor, quamvis Joannis Baptismum extollat supra Baptismum Moysis, tantum attamen eum a Baptismo Christi distare asserit, *quantum Sol stellis antecellit.* Diversitatem hanc multo adhuc amplius declarat in Exh. de Bapt. Conformiter ad hæc exponendus est Cyrillus Hierosf. quin & Optatus, Augustinus, Petrus Chrysol. & alii Patres, si quibus locis nobis adversari videntur. Tertulliani autem verba, quæ Sectarii pro more suo trunca & mutila oggerunt, ex subjecta materia & contextu æstimanda sunt. Nempe L. 4. de Bapt. C. 4. dicit: *nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit;* at isthic ratione materiæ dumtaxat comparationem instituit inter Joannis & Christi Baptismum, hinc adjicit: *nulla distinctio est, mari quis aut stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.* De Joannis Baptismo pluribus contra Novatores disputantem Bellarminum consule L. de Bapt. Cap. 19. usque ad C. 24.

DISSERTATIO III.
DE MINISTRO ET SUBJECTO BAPTISMI.

§. I.
Quis sit Baptismi Minister?

UTi Baptismus est vel solemnis, qui videlicet cum consuetis

tis Ecclesiæ cæremoniis peragitur: vel privatus, qui ſine illis urgente neceſſitate confertur; ita & ejus Miniſter alius dicitur ſolemnitatis, alius neceſſitatis. Uterque iſthic deſignandus venit, univerſimque definiendum: quinam Baptismi Sacramentum non valide tantum, ſed & licite miniſtrare poſſint? Ante Aſſertionem notandi ſunt compendio quorumdam errores.

Errores de Miniſtro Baptismi.

CAlvinus L. 4. Inſt. C. 15. & in Antid. Conc. Trid. ad Can. 10. Seſſ. 7. baptizandi poteſtatem adeo reſtringit, ut eam ne in caſu quidem neceſſitatis concedat laicis, præſertim fœminis. Neque interim ſatis aperte ſe explicat, num Baptismus ab his collatus pro illicito tantum, an etiam pro invalido habendus foret; hinc ſectatorum ejus varia de hoc opinio. Ejusdem erroris Arcudius L. 1. de Bapt. C. 11. inſimulat Græcos quosdam ex imperitia eo prolapſos, ut mallent infantem ſine Baptismo decedere, quam laica manu ſacro fonte tingi. 102

Longe diverſa fuit, ac prorſus huic oppoſita, veterum Sectariorum aberratio, cum eorum videlicet quidam baptizandi poteſtatem, quam Calvinus reſtringit, laxarent adeo, ut extra neceſſitatem etiam a quibusvis laicis, ipſis imo mulieribus, non modo privatim, ſed & ſolemniter Baptismum miniſtrari poſſe contenderent. Atque in horum cenſum, præter alios, Marcionitæ primum, tum Pepuziani, demum Collyridiani referendi ſunt ex Epiphanio Hær. 42. 49. & 79. Pugnantibus invicem duobus his erroribus ſuam, quæ medium tenet, opponit Eccleſia doctrinam. Dabunt eam Aſſertiones duæ.

ASSERTIO I.

In casu necessitatis laicus quivis, sive is vir, sive mulier sit, non valide tantum, sed licite etiam ministrare potest Baptismum.

103 Assertionis hujus generatim sumptæ veritatem vel ipsa Baptismi summa necessitas comprobare videtur; præcipuum interim ad affirmandam illam momentum est ex Traditione, & perpetua Ecclesiæ tam Græcæ quam Latinæ consensione, cujus testimonium perhibent Rituales Libri, etiam vetusti.

Sed cumprimis eam Patrum & Conciliorum sensa indubitatam reddunt. Certe Tertullianus L. de Bapt. C. 17. post recensitos Baptismi Ministros ordinarios, subjicit: *alioquin etiam laicis jus est, - - proinde & Baptismus - - ab omnibus exerceri potest &c.* Restringit deinde hanc potestatem in laico, *sufficit scilicet in necessitatibus hoc jure utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit.* Hieronymus item Dial. contra Lucif. *si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptizare.* Augustin. vero L. 2. contra Ep. Parmen. C. 13. ait, alieni muneris usurpationem esse, si laicus nulla cogente necessitate baptizet; *si autem* (continuo addit) *necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est*, cum videlicet laicus in Sacerdotem omni diligentia non inquisivit. Eadem sunt sensa Concilii Eliberitani Can. 38. Lateranensis IV. sub Innocentio III. C. *firmiter*, ac denique Florentini in Decr. Eug. infra rursus citandi. Hæc omnia nempe approbant Baptismum in necessitate a Laicis ministratum. Quidni igitur is validus ac licitus sit Verbi traditi authoritate, & Ecclesiæ totius judicio? præsertim, cum Græci doctrinam hanc nunquam impugnaverint, sive cum a Latinis scinderentur: sive dum cum iis pacem resarcirent in Concilio Generali VIII. in Lugdunensi II. & Florentino.

Hæc ipsa porro, cum de laicis generatim dicta sint, nominatim etiam pro Mulieribus perinde urgent. Si tamen & pro

pro his peculiare velis testimonium, consule Responsum Urbani II. ad Vitalem: *super quibus*, inquit ille, *consuluit nos dilectio tua, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut & Baptismus sit, si instante necessitate fœmina - - baptizaverit:* Refertur hoc ipsum Cap. super quibus 30. qu. 4. Urbani sensa confirmavit subinde Eugen. IV. in Decr. pro Armen. in Concil. Florentino, ubi hæc legas: *in casu necessitatis non solum Sacerdos & Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ &c.* Rursum hic nihil obmoverunt Græci; quin eorum præcipui hanc ipsam de mulieribus doctrinam scriptis etiam tuiti sunt, ut Gregorius Proto-Syncellus in Epit. divin. Myster. Jeremias item Patriarcha Constantinop. in Resp. ad Wittemberg. & Gabriel Philad. in Tract. de Sacram. & alii, ut videri potest in Perp. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 5.

Ad penitius explicandam Assertionem duæ in eam Animadversiones commodum occurrunt. Nempe 104

I. dictum est, *a quovis laico* in necessitate Baptismum posse ministrari; id quod ita generatim intellige, ut ne Hæreticus quidem, imo nec Paganus, qui sacro fonte ablutus nunquam est, a Ministerii hujus potestate excludatur. Faciunt autem in hanc rem ea, quæ L. I. Dissert. IV. §. 4. de Fide Ministri disceptata sunt. His deinde momentum addit tam Nicolai I. ad Bulgaros Responsum, quam Eugenii IV. pro Armen. Union. Decretum: utroque hoc certe nominatim approbatur Baptismus etiam a Pagano collatus. Ex quibus Latinæ & & Græcæ Ecclesiæ in præsenti doctrina consensionem facile colligas; cum laudatorum Pontificum sensa nunquam a Græcis in dubium vocata sint: ne ab ipso quidem Photio, qui jam Nicolai I. tempore scissionem moliebatur, in omnem Latinos carpendi occasionem intentus.

II. dictum ibid. *licite etiam* a laico in necessitate Baptismum conferri: extra hanc enim sine gravi culpa baptizandi of-

ficium usurpare nequit, ut vel ex N. 103. patet, patebitque amplius ex Assert. II. Baptismus interim hujusmodi, extra necessitatis casum videlicet a laico ministratus, pro rato utique ac valido habendus est: cum, si modo rite peracta sint, quæ ad ejus substantiam pertinent, judicio Ecclesiæ nunquam iteretur. Utrumque istud Augustin. L. 2. contra Ep. Parm. C. 13. de laico baptizante disserens, his verbis est complexus: *nulla cogente*, inquit, *necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum.*

ASSERTIO II.

Baptismi solemnis ordinarius & ex officio Minister est Episcopus & Presbyter; Diaconus autem ex delegatione tantum.

105 PRobatur I. pars: nam solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus munus baptizandi peculiariter credidit Christus illis Matth. 28. verbis: *docete omnes gentes, baptizantes &c.* soli item Sacerdotes, sive ii sint Episcopi, sive Presbyteri tantum, singulari deputatione Ecclesiæ hujus ministerii potestatem accipiunt. Ratio præterea pro utrisque universim est: ad eorum enim officium & ordinem pertinet præesse Ecclesiæ, proinde & fores ejus reserare, ac fidelium cœtui Catechumenos cooptare; id quod ministratione Baptismi præstatur. Non solius autem Episcopi istud esse, sed & ad Presbyterum pertinere, colligitur ex verbis, quibus in ordinatione Presbyteri Episcopus utitur, *Presbyterum*, inquit, *oportet præesse;* Augustinus autem L. 3. de Bapt. C. 18. generatim dicit: *nonnisi in Ecclesia Præpositis - - licet baptizare.* Inde & Eugenius IV. in Decr. pro Arm. §. I. de Baptismi Ministro ait: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Est

Eſt tamen in præſenti ea Epiſcopo prærogativa, quod ei cumprimis hujus miniſterii jus competat: Presbytero autem ſolum cum quadam ad eum ſubordinatione. Certe primis Eccleſiæ temporibus, cum Paſchæ & Pentecoſtes diebus Baptismi ſolemnia peragerentur, id muneris obibant ſoli Epiſcopi; neque deinde, creſcente etiam fidelium numero, baptizandi officio unquam fungebantur Presbyteri, niſi accepta peculiari ab Epiſcopis venia. Utriusque teſtimonium perhibent Patres. *Non licet*, inquit S. Ignatius M. Ep. ad Smyrn. *niſi Epiſcopo aut baptizare, aut ſacra facere.* Et Tertull. L. de Bapt. C. 17. *dandi* Baptismi *habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate.* Idem teſtatur Hieron. in Dial. contra Lucif. Auctis ſubinde nimium Parochiis & Eccleſiis, uti mos certis tantum anni temporibus baptizandi ſublatus eſt, ita pariter Sacerdotibus, quibus Eccleſiarum cura eſt credita, univerſim conceſſum, ut, non poſtulata etiam illa ſingulari ab Epiſcopis venia, ſibi ſubjectis Baptismum miniſtrare poſſint. Cœpit id jam Sec. VI. obſervari, ut colligitur ex Sacramentario S. Gregorii & Ordine Romano; hodie autem prorſus in uſum abiiſſe, ipſa Eccleſiæ praxi docemur.

106 Probatur II. pars. Quod enim Diaconi ad ſolemnis etiam Baptismi miniſterium deputentur, ſatis indicant verba, quæ in ordinatione ad eos profert Epiſcopus, *cogitate*, ait, *ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis: Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Hac porro poteſtate, extra neceſſitatis extremæ caſum, uti iis non licere niſi ex delegatione, aperte docet Gelaſius Papa Ep. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ, & Iſidorus L. 2. de Offic. C. 24. idemque non obſcure conjicitur ex Tertull. L. de Bapt. Hieron. Dial. contra Lucif. & Epiphanio Hær. 79. Hinc Catechismus Romanus de Baptismi Miniſtris agens Par. 2. §. 22. ita habet: *ſecundum Miniſtrorum locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi aut Sacer-*

cerdotis concessu non licere hoc Sacramentum administrare plurima SS. Patrum Decreta testantur. Qua de re si Theologos consulas, adeo religiose istud observandum existimant, ut ex communi eorum sententia irregularis fiat Diaconus, si extra casum necessitatis absque venia Episcopi vel Parochi baptizet solemniter. Id quod ex L. 5. Decret. Tit. 28. ubi Cap. 1. legitur: *si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur*, deduci putant propterea, quod Diaconus in sui ordinatione non deputetur ad solemnem Baptismum ordinarie ministrandum.

Satisfit Objectionibus.

107 OBjic. contra I. Assertionem. Christus solis Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus baptizandi potestatem dedit illis apud Matth. verbis: *euntes, docete - - baptizantes &c.* ergo eadem ad laicos extendi nequit. Ac omnino hic fuisse videtur Sec. VII. fidelium sensus: ut enim Joan. Moschus Prati spirit. C. 176. refert, Judæo in itinere a Laicis Baptisma petenti ab iisdem responsum est, *nobis non licet hoc facere, Seculares enim sumus.*

Resp. dist. assertum: solis his a Christo data est potestas baptizandi ex officio & solemniter, Conc. etiam in casu necessitatis & sine solemnitate, Nego. Atque istud conformiter ad sensum Ecclesiæ, ita semper de baptizandi potestate a Christo collata judicantis. Pertinebat videlicet ad misericordiam & providentiam Dei, ut, cum tanta esset Baptismi ad salutem necessitas, impendente mortis periculo obvius quisque ejus ministerio defungi posset, ut observat D. Thom. 3. p. qu. 67. Art. 3. Idem colligitur ex Act. 8. ubi legas a Philippo, tametsi tantum Diacono, Eunuchum baptizatum; & Act. 9. Ananias, qui multorum opinione fuit laicus, Paulum baptizavit;

ipsi

ipſi quin etiam Apoſtoli, adhuc laici & nondum ordinati, Baptismum conferebant Joan. 4. Quid quod eodem apud Matth. loco Chriſtus ad Apoſtolos non modo dixerit, *baptizantes*, ſed & *docete*; iſtud interim nihil impedit, quin laici, imo & mulieres, tametſi eas Apoſtolus in Eccleſia loqui non permittat, privatim & in neceſſitatis caſu licite doceant: cur igitur poteſtati baptizandi anguſtos adeo ponamus limites? Inde laicorum, quorum Moſchus meminit, reſponſum nihil contra Aſſertionem momenti habet, verum ruditatis dumtaxat & ignorantiæ eorum eſt argumentum: quam ipſam multo amplius prodiderunt, cum deinde Judæum eumdem, invaleſcente mortis periculo ardentius inſtantem, in aquæ defectu arena baptizarunt, ut ibid. narrat laudatus Scriptor.

108 Inſtabis I. authoritate Patrum. Nempe S. Cyprianus cum ſibi adhærentibus perinde pro irrito habuit Baptismum laicorum ac hæreticorum, ut teſtatur S. Baſil. Ep. Canonica ad Amphiloch. Can. 1. neque tamen a Stephano Papa eſt unquam reprehenſus ob rejectum laicorum Baptisma. Hieronymus etiam ejusdem videtur fuiſſe ſenſus, Luciferianos enim peculiari Dial. impugnans ita contra eos arguebat: *baptizati a laico ſunt rebaptizandi, ergo &c.* Denique & Auguſtin. Ep. 228. alias 180. Paſtores, ſævientibus Vandalis a grege ſuo perſecutionis metu profugos, reprehendit propterea, quod abſente Sacerdote deſit, qui Baptisma & Pœnitentiam miniſtret; exiſtimavit igitur S. Doctor Baptismi perinde ac Pœnitentiæ miniſterium ſolis Sacerdotibus convenire.

Reſp. Cypriani authoritati, quod ſi is revera (multi enim in dubium revocant) Baptisma a laicis fidelibus collatum rejiciendum putaverit, hocque velut fundamento ad ſuam de hæreticorum Baptismo ſententiam ſtabiliendam uſus fuerit, ſatis jam derogatum eſt contrario Eccleſiæ judicio. Nec obeſt, de laicorum Baptismo non fuiſſe impugnatum: etenim ſumma controverſiæ erat dumtaxat de Baptismo hæreticorum; cum in-

terim contra Cypriani ſententiam, nulla exceptione facta, pronunciatum ſit, jure cenſeas, fundamentum etiam, quo is nitebatur, definitione ea comprehenſum eſſe.

De argumento Hieronymi noſſe oportet: ita eum arguiſſe non ex ſua, ſed ex Luciferianorum ſententia, quæ cum alia eorum opinione non conſentiebat. Ordinationes nempe ab Arianis factas valere negabant propterea, quod eos pro laicis haberent: admittebant ex adverſo eorum Baptisma, tametſi contenderent laicos baptizare non poſſe. Duo hæc, ut nemo non videt, ſunt pugnantia: atque hæc ipſa Hieronymus invicem conferens Luciferianos erroris & antilogiæ arguebat.

Sed nec ex laudata Auguſtini Epiſtola legitima eſt, quæ in objectione fit, illatio. Quod igitur illic S. Doctor vult, id unum eſt: abſente Sacerdote, uti Pœnitentiam, ſic & Baptiſmum ſolemnem non miniſtrari, deſtitui itaque ſuo fideles ſolatio. Quod ſi interim de Baptismo etiam privato ac non ſolemni locutus eſt, congrue dixeris eo ſenſu id accipiendum eſſe: quod abſente Paſtore pronum ſit, ut ex incuria vel imperitia laicorum quandoque Baptismi miniſtratio penitus negligatur, ſicque ſaltem aliqui ſalutis remedio, culpa in Paſtorem ipſum redundante, priventur.

109 Inſtabis II. Mulieribus ſaltem & Paganis non videtur concedenda baptizandi poteſtas.

Mulieribus certe eam convenire negat Tertull. L. de veland. Virgin. C. 9. Ejusdem ſenſus fuit Epiphanius; hinc Hær. 42. & 79. Marcionitarum erroribus accenſet & illud, quod docuerint mulieres baptizare poſſe. Concilium item Carthagin. IV. peculiari Can. 100. vetat, ne mulieres baptizent.

De Paganis idem eruitur ex Patribus. Etenim Hieron. in Dial. contra Lucif. novam rem eſſe ait, ut Chriſtianus fiat a non Chriſtiano. Auguſtinus autem L. 2. adverſus Ep. Parm. C. 13. non audet quidquam definire de Baptismo, quem non baptizatus contulerit. Gregor. III. Ep. 1. ad Bonif. denuo baptiza-

ptiza-

ptizari jubet a Paganis baptizatos, ut videre eſt de Conſecr. diſt. 4. C. quos a Paganis. His non abſimilia leguntur in Concilii Eliberitani Can. 38. & Compendienſis Can. 3.

Reſp. laudata adverſus Mulieres teſtimonia agunt de ſolemni dumtaxat Baptismi miniſterio, & Sacerdotalibus quibusdam officiis, quorum Sectarii quidam poteſtatem faciebant mulieribus. Verba Tertulliani ſunt: *non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre.* Epiphanius autem de Marcionitis, *apud eos*, inquit, *mulieres Epiſcopi ſunt & Presbyteri.* Concilium etiam Carthag. de ſolemni Baptismo loqui patet ex præcedente Can. 99. quo ſtatuitur: *mulier, quamvis docta & ſancta, propter viros, in conventu docere non præſumat.* Hæc vero omnia nihil a noſtro ſenſu alienum habent, cum & ipſi a ſolemnis Baptismi miniſterio mulieres arceamus.

Non magis urget authoritas, qua Baptismus a Pagano miniſtratus impugnatur. Quod enim ad Hieronymum attinet, cit. loco id contendit unum: Luciferianos in ſua de Arianorum Baptismo & Ordinationibus doctrina ſecum ipſis pugnare, ut ſub finem N. prioris notavimus; in hanc rem deinde, præter alia, & illud affert, quod veræ Chriſtianæ fidei inſtitutio haberi non poſſit ab Arianis, ut qui ipſi vera fide deſtituti ſint: atque hoc dumtaxat ſenſu ait, verum Chriſtianum fieri non poſſe a non Chriſtiano. Auguſtinus autem, tametſi contra Parmenianum, ac etiam L. 7. de Bapt. contra Donat. C. 53. diſputans, non eſſe ſibi tutum dicat in quæſtione hac certi aliquid ſtatuere: addit attamen hoc eodem contra Donat. Cap. non dubitaturum ſe, ſi in Concilio de ſententia ferenda urgeretur, aſſerere generatim, *habere eos Baptismum, qui ubicumque, & a quibuscumque illum verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & aliqua fide accepiſſent.* Demum Gregor. III. (idem eſt de Conciliis) eum dumtaxat rejicit Baptismum, quem Paganus ſine invocatione SS. Trinitatis miniſtravit. Certe, ſi forma Baptismi rite obſervata ſit, pro rato habendum,

nec repetendum esse, expressis verbis decreverunt Sec. V. Pontifices, S. Leo Ep. ad Rusticum Narb. Ep. & Gelasius I. teste Haberto: tum etiam Sec. IX. Sergius II. & Nicolaus I. ac ipsum etiam, quod objicitur, Compendiense Concilium Can. 9.

110 Objic. contra II. Assertionem. Diaconos in Ordinatione monet Episcopus, oportere eos prædicare, baptizare &c. Constat præterea, Philippum Diaconum baptizasse Act. 8. ac etiam aliquando Diaconos præfuisse Parochiis cum potestate non modo prædicandi, sed & baptizandi, ut eruitur ex Can. 77. Concilii Eliberitani An. 305. habiti, & meminit Hieron. in Dial. contra Luciferianos; eadem igitur est Diaconis, quæ Presbyteris, in Baptismi ministerio potestas.

Resp. Si momenta Objectionis conferantur, ut i conferri debent, cum iis, quæ N. 106. retulimus, clarum fiet, Diaconos in Ordinatione Baptismi solemnis ministrandi potestatem solum restrictam accipere: iis videlicet cum limitibus, ut eam exercere non possint, nisi cum peculiari indultu Episcopi vel Presbyteri, aut urgente necessitatis casu. Atque ad hoc conformiter sentiendum est de Philippo, & aliis Diaconis olim in Parochia, cui præerant, baptizantibus.

Corollarium
De Baptismi Ministro.

111 I. NUllo etiam extremæ necessitatis casu quisquam se ipsum baptizare potest. Ratio hujus petitur ex institutione Christi, qui verbis illis, *euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* baptizantem a baptizato diversum esse voluit: quod ipsum in Ecclesia perpetuo religiose observatum est. Hinc Innocentius III. Cap. Debitum. de Bapt. & ejus eff. in suo ad Ep. Metensem Responso invalidum pronunciat Baptismum, quem Judæus in mortis periculo constitutus sibi ipsi contulit, eumque denuo esse baptizandum præcipit; quia (ut inquit ibid.

Pon-

Pontifex) Chriſtus a Joanne baptizatus eſt, & nemo generat ſe ipſum, præcepitque Dominus Apoſtolis: ite, baptizantes eos &c.

II. Ex D. Thomæ hic qu. 67. Art. 6. & communi Theologorum ſententia, non eſt validus Baptismus a pluribus ſimul ita collatus, ut unus miniſtret materiam, alter formam enunciet; qui enim hoc caſu vera ſit forma dicentis, *ego te baptizo?* cum, alio affundente aquam, ipſe revera non abluat.

III. Ab uno poteſt ſimul pluribus miniſtrari Baptismus hac forma: *ego vos baptizo &c.* Ita baptizaſſe Petrum Act. 2. veriſimile eſt. Neque hic eſt quidquam, quod cum inſtitutione Chriſti pugnet. Hoc attamen baptizandi modo extra neceſſitatis caſum uti non licet, cum ſit contra morem ab Eccleſia receptum. Vide D. Thom. loco paulo ante cit.

IV. Parentes in caſu neceſſitatis Baptismum licite miniſtrant ſuis prolibus. Solicite nihilominus erudiendi ſunt, ne officium hoc extra ſummam neceſſitatem exerceant; idque propter affinitatem ſpiritualem, quæ Baptismi miniſtratione contrahitur, quæque uſui Matrimonii, extra caſum neceſſitatis ſummæ, obicem ponit. Conſule rurſum D. Th. in Supplem. qu. 56. Art. 1. in ☉.

V. Inter Baptismi Miniſtros hic ordo ſervandus eſt ex Rituali Romano: *Sacerdos Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, Vir fœminæ, niſi pudoris gratia deceat fœminam potius quam Virum baptizare infantem non omnino editum; vel niſi melius fœmina ſciret formam & modum baptizandi.* Idem tradit Græcorum diſciplina, ut ſcribit Gregor. Protoſyncellus in Epitome Divin. Myſter. congruitque Ordo a S. Carolo Borrom. præſcriptus in Actis Eccl. Mediol. Par. 4. de Miniſtro Baptismi.

§. II.

Quibus possit ministrari Baptismus?

QUæstionem hanc ad quatuor capita revoco. Quæri nempe potest: num Baptismi capaces sint universim adulti? num infantes? & hi quidem etiam nondum ex utero nati? an denique ipsi mortui; De singulis his sunt quædam controversiæ, quarum alias Sectarii, alias Orthodoxi DD. excitant. Seorsim de singulis ferenda est sententia.

De Baptismo adultorum.

VAria esse potest adultorum conditio, seu sexus, seu gens, seu status eorum attendatur. An igitur omnes sine discrimine capaces Baptismi? ac, num aliqua iis prævia dispositione opus?

ASSERTIO

Quilibet adultus, sive Vir, sive mulier, seu Gentilis, energumenus, amens &c. potest valide & cum fructu baptizari; prævia attamen aliqua dispositio est omnibus necessaria.

112 PRobatur I. pars ex illo apud Matth. *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* quibus verbis Christus ex sensu Patrum & Ecclesiæ omnibus, nullo sexus aut conditionis facto discrimine, uti Verbum Dei, sic & Baptismum ministrari voluit. Et quidni ita vellet? qui, omnium volens salutem, pro medio ad eam assequendam omnibus necessario Baptismum constituit. Inde Apostolus ad Gal. 3. omnes in Christo baptizatos Christum induisse asserens, continuo adjicit: *non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo JESU.* De

De energumenis attamen, amentibus & furiosis ex Concilii Arausic. Can. 13. & 15. Eliberitani item Can. 37. tum etiam ex Innoc. III. Cap. Majores. de Bapt. & ejus eff. id observa: cum sani sunt, baptizandos non esse, nisi dum per intervalla quædam ita sibi redduntur, ut Baptismum se percipere agnoscant; quod si contra in mortis periculo versentur, non expectatis ejusmodi intervallis, baptizandi sunt, modo antea Baptismi votum habuerint.

113 Probatur II. pars: nam adultos valide baptizari non posse, nisi habeant suscipiendi Baptismi propositum & intentionem, constat ex L. I. Differt. V. §. II. & III. Ut eum porro etiam cum fructu percipiant, hoc est, ut gratiam justitiæ Baptismo propriam consequantur, juxta Concil. Trident. Sess. 6. Cap. 6. se ipsos ad eam prævie disponere debent per fidem, spem, timorem Dei, odium & detestationem peccati, propositum novæ vitæ & servandi divina mandata.

Singula hæc ad præviam dispositionem requiri, docet constans praxis Ecclesiæ, de his omnibus Catechumenos instituentis, ac per hos virtutum actus ad Baptisma præparantis; tum etiam cit. loco Tridentinum confirmat ex S. Literis. *De hac*, inquit, *dispositione scriptum est*: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. *Hebr.* 11. *Et*, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. *Et*, timor Domini expellit peccatum. *Eccl.* 1. *Et*, pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum &c. *Act.* 2. *Et*, euntes - docete omnes gentes baptizantes - - docentes eos servare, quæcumque mandavi vobis. *Matth.* 28. *Denique*, præparate corda vestra Domino. 1. *Reg.* 7.

114 Oppon. adversus I. partem. Scriptorum complurium testimonio Gentilibus & Catechumenis lapsis secundum veteris Ecclesiæ disciplinam negatus est aliquando Baptismus; de valore etiam Baptismi Clinicis collati dubitarunt PP. quidam; ergo ex

sen-

ſenſu veteris Eccleſiæ adulti omnes non ſunt capaces Baptiſmi.

Reſp. Si quando e Gentilibus aliquis ad Baptismi lavacrum admiſſus non eſt, id tum accidit ſolum, cum de ſimulatione ſuſpectus fuit. Id quod in iis quia pronum erat, differebantur communiter, dum ſincera eorum voluntas probaretur. Quod ſi interim gravi morbo corripi eos contigit, ac Baptismi propoſitum aliquando prodiderint, ſine cunctatione baptizabantur, ut colligitur ex Conc. Arelatenſis I. Can. 6. Eliberitani Can. 39. & Siricii Ep. 1. ad Hymerium Tarracon. Idem eſt de Catechumenis graviter lapſis; tametſi enim, dum pœnitentiam explerent, a Baptismo arcerentur: hujus tamen illis deinde fiebat gratia, aut ſaltem impendente mortis periculo, ut ſtatutum legimus in Conc. Eliberit. Can. 45. & 68. Conc. item Nicæno I. Can. 14. & Neo-Cæſarienſi Can. 5. Quis fuerit de Clinicorum Baptismo veterum ſenſus, jam ſupra inſinuavi hoc L. N. 31. in Reſp. ad Object. De hac Baptismi dilatione, quæ ſecundum veteris Eccleſiæ diſciplinam frequens erat, conſule Joſeph. Vicecomitem L. 2. de antiqu. Bapt. ritibus.

De Baptismo Infantium.

115 BAptismum Infantibus conferri poſſe e veteribus Sectariis negarunt Valdenſes, Apoſtolici, Petrobuſiani, & Henriciani; e modernis idem docent authore Nicolao Stock ſub An. 1521. exorti e ſchola Lutheri Anabaptiſtæ, ſic dicti propterea, quod baptizatos in infantia rurſum baptizent ætate adulta. Errori ſuo prætexunt hi illud ſectæ Lutheranæ principium: juſtificationem haberi per ſolam fidem; cujus cum parvuli capaces non ſint, Baptismi pariter capaces non eſſe inferunt, Luthero & Calvino repugnantibus, mirumque ſe ad eorum argumenta torquentibus.

Ortho-

Orthodoxorum una eſt ſententia, Infantes valide & cum fructu baptizari. E Patribus interim quidam differendum eorum Baptisma putarunt; & Tertull. quidem L. de Bapt. C. 18. ad ætatem usque adultam, quo ipſi pro ſe reſpondere poſſint: Gregor. Nazianz. autem Orat. 40. in ſancta Lumina, ad triennium vel quadriennium, non tamen ultra propter mortis periculum. Quæ de utroque hoc capite ſit Eccleſiæ doctrina, dabit

ASSERTIO.

Infantes ſunt Baptismi capaces; nec expectandus eſt in iis rationis uſus, aut ætas etiam adultior.

PRobari poteſt I. Aſſertio multis ex Scriptura deſumptis rationibus, ut videre eſt apud Bellarm. L. de Bapt. C. 8. Præcipuæ ſunt duæ. 116

Prima: juxta illud Matth. 9. *non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus - - non veni vocare juſtos, ſed peccatores*, Chriſtus omnium peccatorum eſt medicus; igitur & infantium culpa originali inquinatorum: at ad abolendam illam hoc providentiæ ſtatu neceſſarium eſt Baptismi remedium; ergo ex inſtitutione Chriſti hoc illis applicari poteſt, ac etiam applicandum eſt.

Altera ratio: capaces Regni Cœlorum utique capaces ſunt & medii ad illud conſequendum ſumme neceſſarii, nempe Baptismi juxta illud, *niſi quis renatus &c.* Joan. 3. atqui primum de infantibus negari non poteſt; etenim Deus *omnes vult ſalvos fieri* 1. ad Timoth. 2. & Chriſtus Matth. 19. parvulos ad ſe venire jubens, addit, *talium eſt enim regnum Cœlorum*, ergo &c.

Non deſunt interim Anabaptiſtis effugia, quibus Lutherani & Calviniani nobiscum in præſenti ſentientes, cum Traditionis authoritatem rejiciant, ſufficienter occurrere nequeunt;

quin premuntur adeo, ut dogma, quod tuentur, sine Verbi Traditi præsidio sustinere nequeant. Hinc cum Orthodoxis

117 Probatur II. Assertio, ac una rationes ex S. Literis deprompta confirmantur Traditione, & perpetua Ecclesiæ consensione, quam discimus ex Patribus & Conciliis.

E Patribus nominandi sunt cumprimis: Irenæus L. 2. C. 39. *omnes per se ipsum* (Christus) *venit salvare, omnes inquam, qui per ipsum renascuntur in Deo, infantes & parvulos, juvenes & seniores.* Origenes in C. 6. Ep. ad Rom. *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum.* Cyprianus Ep. 59. ad Fidum, *hæc fuit in Concilio nostro sententia a Baptismo - - neminem per nos debere prohiberi - - tum magis circa infantes ipsos & recens natos observandum putamus.* Augustin. L. 1. de pec. mer. C. 26. contra Pelagianos peccatum originale probans, *quia parvulos*, inquit, *baptizandos esse* (Pelagiani) *concedunt, qui contra authoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt, concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris.* Quid hoc loco clarius? vides a S. Doctore pro parvulorum Baptismo laudari Traditionem & universæ Ecclesiæ sensum ita certum, ut ne Pelagiani quidem illi refragari auderent, quamvis hinc validissime urgerentur. Plura in hanc rem legi possunt apud eumdem Augustinum L. 10. Gen. ad lit. C. 23. & Serm. 10. de verbis Apost. item apud Tertullian. L. de Bapt. C. 17. & 18. tum Gregor. Naz. Orat. 40. in Bapt. Chrysostomum Hom. ad Neoph. Ambros. L. 2. de Abraham C. 11. & 81. Hieronymum denique Ep. ad Lætam, & L. 3. contra Pelagianos.

Ex Conciliis complura hanc eamdem doctrinam peculiari Decreto firmarunt. Certa est Concilii Carthag. An. 253. sub S. Cypriano celebrati contra Fidum definitio, quam Augustinus Ep. 166. alias 28. ad Hieronymum memorans, ita scribit: *B. Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Eccle-*

siæ

ſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum - - mox natum rite baptizari poſſe cum ſuis quibusdam Coepiſcopis cenſuit. Idem ſanxit deinde Milevit. An. 416. Can. 2. Gerundenſe An. 517. Can. 5. Bracarenſe III. An. 578. Can. 7. Omnibus his ſuum adjecit momentum Tridentina Synodus Seſſ. 7. de Bapt. contra Novatores Baptismum parvulorum approbans Can. 12. & 13. ac demum Can. 14. rejiciens opinionem Erasmi docentis, eos, qui in infantia baptizati ſunt, adultiores dein interrogandos, num ratam habeant pro ipſis factam in Baptismo a Patrinis ſponſionem: nec cogendos, ſi renuerint, ad eam obſervandam. Vide cit. tres Canones pro fronte hujus Libri.

Reſpondetur Adverſariis.

118 ANabaptiſtæ ex S. Literis ita arguunt: Chriſtus Matth. 28. dixit, *euntes, docete. baptizantes &c.* & Marci ult. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: S. Petrus autem Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum;* nequit igitur Baptismus conferri niſi capacibus doctrinæ, fidei, & pœnitentiæ; at parvuli horum capaces non ſunt, ergo nec Baptismi.

Reſp. negandam eſſe illationem primam in ſenſu Anabaptiſtarum. Nempe in poſtremis duobus ex Marco & Act. Apoſtolorum locis ſermo eſt de adultis dumtaxat, ut qui ſoli actus fidei & pœnitentiæ ſunt capaces. Idem ob eamdem rationem dicendum de illo Chriſti apud Matth. verbo *docete;* præſertim cum ibidem addatur, *docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*, quod utique ſolis adultis convenit. Non præcepit ergo, inquies, Chriſtus cit. apud Matth. verbis etiam parvulos baptizari? præcepit imo, nec baptizari tantum, ſed & doceri; eo tamen cum diſcrimine: ut baptizarentur qui-

dem etiam in infantia, cum in ea sint capaces Baptismi; docerentur autem deinde usum rationis consecuti, qua ætate primum idonei sunt ad doctrinam percipiendam. Ita exponi debere hos textus suadet primum ipsa ratio: tum & Scripturæ, Traditionis, ac Ecclesiæ universalis authoritas, de qua vide N. 116. & 117.

119 Instabis I. cum Tertulliani Sectatoribus: ex dictis quidem sequi, periclitantes in vita parvulos baptizari posse; at, cum periculum abest, expectari oportere ætatem adultiorem. Nempe, Christus ipse, non infans, sed vir annorum triginta baptizatus est; e veteribus etiam multi ad provectiorem ætatem Baptismum distulere, ut Constantinus & Valentinianus Imperatores, ipse imo S. Ambrosius, ut in ejus vita refert Paulinus; dilationem porro hanc probasse videtur vetus Ecclesia, cum non nisi expleto Catechumenatu, qui in complures annos proferebatur non raro, Baptismi gratiam Catechumenis fecerit. An non autem hæc omnia Tertulliani sententiam affirmant?

Resp. ex dictis non sequi quidquam, quod Tertulliani opinionem fulciat; cum argumenta, ex S. Literis & Traditione deprompta, non pro periclitantibus dumtaxat, sed universim pro parvulis pugnent. Nec est, cur Baptismum a Christo in ætate adulta susceptum objiciat Adversarius: præterquam quod enim Christus non ex necessitate, sed ad exemplum humilitatis tantum baptizari voluerit; non omnia etiam, quæ is observavit, perinde fidelibus observanda incumbunt. Novimus Christum fuisse circumcisum, Baptisma Joannis suscepisse, legem Moysi servasse; quis autem propterea his omnibus fideles obstringi dixerit?

Minus Ambrosii & quorumdam aliorum facta in exemplum trahi debent. Erant omnino e veteribus aliqui, qui Baptismum in longius differrent; alii quidem, quo ad percipiendam ejus gratiam amplius se compararent: alii, ut a pœnarum Ca-

no-

nonicarum rigore immunes liberius cupiditati suæ vacarent; quidam etiam, ut in ipso vitæ exitu Baptismi lavacro expurgati piaculares flammas evaderent. Quocumque interim prætextu procrastinationes hæ factæ sunt, evenit non raro, ut aliqui repentina morte oppressi sine Baptismo decederent: aut etiam ultro a proposito deficerent. Inde dilationes has universim non probavit Ecclesia; quin ad occurrendum tanto malo peculiaribus Canonibus declaravit irregulares eos, qui per ægritudinem lecto affixi baptizarentur, ut jam alias de Clinicorum Baptismo dictum est.

A diuturniore etiam Veteris Ecclesiæ Catechumenatu non recte arguitur. Observatus nempe is erat in adultis tantum; infantes contra fidelium, non expectata adultiore ætate, sine dilatione baptizari voluit Ecclesia. Adultorum porro Catechumenatus, in longum etiam nonnunquam productus, eo spectabat: ut propositi sinceritas & virtus probaretur, ac fides Christiana jam ante Baptismum in eorum animis firmas radices ageret; ne, quod eo rerum statu pronissimum erat, cum Ecclesiæ probro ad Gentilismum deinde deficerent. Passim nempe tum miscebantur Christiani Gentilibus, eorumque qua blanditiis & præmiis, qua minis ac diuturnis vexationibus ad defectionem solicitati in continuo fidei labefactandæ periculo versabantur. His subinde malis exoluta Ecclesia longius illud Catechumenatus tempus sapienti consilio sustulit, voluitque Catechumenos sine dilatione baptizari, ut primum ad recipiendum Baptisma forent idonei. Veteris hujus Catechumenatus notitia dabitur Differt. IV. §. I.

Instabis II. cum Erasmo: cogendi saltem non sunt sic baptizati parvuli ad leges Ecclesiæ servandas, nisi deinde usum rationis nacti ultro ipsi ratum habeant Baptismum; qui enim per sponsionem, quam sine eorum mandato Patrini fecerunt, ad id obligari possint? qui item hanc obligationem contrahant in Baptismo, cum per eum in infantia nondum efficiantur fi- 120

 deles,

deles, utpote fide destituti? Quod si autem hæc Erasmi sententia obtineat, satius videtur, differendum esse parvulorum Baptisma ad ætatem adultam, in qua ipsi pro se spondere possint.

Resp. argumentationem Erasmi penitus esse alienam a principiis veræ Religionis, quam se tenere profitebatur. An non enim universim baptizati omnes, proinde & parvuli, juxta Apostolum ad Gal. 3. Rom. 8. & 1 Cor. 6. per Baptismum redduntur *Filii Dei*, *cohæredes seu fratres & membra Christi*, *templa Spiritus Sancti*, & ad Eph. 4. *unum Corpus* cum fidelibus, seu membra Ecclesiæ? hoc uno autem nomine, tametsi desit Patrinorum sponsio, per ipsum Baptismum uti inseruntur Ecclesiæ, ita & legibus ejus subjiciuntur. Neque per hoc, ut Erasmus putat, ulla parvulis irrogatur injuria; quin anticipata potius in illos exercetur misericordia, cum, vel sortis suæ ignari, liberantur a servitute Diaboli, & subduntur jugo Christi, cui servire regnare est. At nescientibus, inquies, imponitur jugum? ita profecto, sed *jugum suave & onus leve* Matth. 11. ac tale denique, cui, si in infantia non subjicerentur, in adulta ætate jure naturali & divino ultro se subjicere deberent.

Fideles ergo (urget Erasmus) efficiuntur infantes per Baptismum? ita plane. Non eo quidem sensu, quasi actualem fidem habeant, ut adulti; fideles attamen multis aliis nominibus, puta: propter susceptum Fidei Sacramentum; propter fidem habitualem in Baptismo cum gratia acceptam; propter fidem Patrinorum & Ecclesiæ eorum loco nuncupatam; quia denique inserti Ecclesiæ, seu cœtui fidelium. Neque mirum istud videri debebat Erasmo, quando & ipse infantes, quod rationali anima informarentur, ex vero rationales dici voluit, tametsi actum rationis exercere non possent. Clarissimum in hanc rem demum accedat Augustini testimonium Serm. 14. de verb. Apost. *ad verba*, inquit, *aliena sanatur infans, quia*

ad

ad factum alienum vulneratur. - - Credit in altero, qui peccavit in altero. Credit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur; hoc habet authoritas Matris Ecclesiæ &c. Et rursum: *ubi ponis parvulos baptizatos? profecto in numero credentium. Nam & ideo consuetudine Ecclesiæ antiqua, Canonica & fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur. Et si de his quærimus: iste infans Christianus est - - an fidelis? respondetur: fidelis, utique a fide: fides enim a credendo; inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse aperte Hæreticus.* Verum contra hæc, & jam prius dicta

Instabis III. ex varia scholasticorum opinione de Baptismo infantium, qui ex infidelibus sunt progeniti. Si certum sit, infantes esse Baptismi capaces, eosque præterea sine injuria legi Christianæ subjici: certum erit perinde, etiam infidelium proles absque injuria Parentum, tametsi ii inviti sint, baptizari posse, ac re ipsa baptizandas esse; at hoc alterum nequit dici certum; igitur nec primum. 121

Resp. I. id, quod ex doctrina hactenus data Adversarius arguit, multiplex controversiæ genus complectitur: in quo quia consentientibus Doctorum suffragiis recepta sunt aliqua, alia scholarum litibus etiamnum obnoxia, certa ab incertis libet secernere. Itaque

Certum est I. infidelium proles, invitis etiam Parentibus, valide baptizari. Quid enim huic Baptismo ad veritatem Sacramenti desit? *Non scriptum est*, inquit Augustin. Ep. 98. alias 23. ad Bonif. *nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate. - - sed nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

Certum II. Filios infidelium mancipiorum, seu qui serviliter subjecti sunt Principi Christiano, etiam licite baptizari invitis Parentibus. Nempe, pleno jure hi subsunt Dominis suis, ut adeo absque injuria proles eorum subtrahi possint. Idem sentiendum de iis, qui jure belli ita in Victoris potesta-

tem

tem veniunt, ut fas sit illi proles Parentibus eripere. Potiori denique jure istud dicendum de filiis hæreticorum, qui, cum Ecclesiæ sint subditi, cogi possunt ad servandas ejus leges. Inde Ecclesia semper probavit Imperatorum leges contra Hæreticos latas; & omnino, *cur - - non cogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditi filii alios coegerunt, ut perirent?* Augustin. Ep. 185. alias 50.

Certum III. Filios infidelium, qui ne quidem civiliter subduntur Principi Christiano, non posse licite baptizari invito Parente utroque: dempto mortis proxime impendentis periculo. Asserti ratio est: nam his sine injuria proles subtrahi nequeunt propter jus a natura illis concessum educandi filios rationis impotes. Quod si autem illis relinquantur baptizati filii, certum est periculum profanandi Sacramenti: neque enim ex institutione Parentum infidelium aliud expectes, quam ut proles in eorum superstitionem abeant. Cæterum, si vel unus Parentum consentiat, aut saltem sit Christianus, invita licet parte altera, licite baptizatur infans juxta Concilii Tolet. IV. C. 62. cum quivis Conjugum instituendæ prolis jus habeat. Atque hoc insinuatur illis Asserti verbis: *invito Parente utroque.*

Quod jam reliquum est controversiæ, eo recidit: num proles infidelium, qui Principi Christiano civiliter subduntur, reluctante utroque Parente licite possint baptizari? affirmat Scotus cum sua schola: negat S. Thomas 2. 2. qu. 10. Art. 12. cum plurimis Theologis. Meam si requiras opinionem, censeo cum D. Thoma sentiendum.

Inducor ad id 1*mo* ratione, quam S. Doctor cit. loco Art. 2. insinuat: nempe, in hujusmodi infideles nihil juris habet Ecclesia; iidem præterea Principi suo seculari subjiciuntur solum quoad politica & temporalia, non vero etiam in spiritualibus & supernaturalibus, ut est Baptismus & Christiana prolium educatio: sine injuria igitur cogi non possunt ab Ecclesia aut Principe suo seculari, ut proles Baptismo tingi curent,

rent, aut Christianis tradant educandas. Fac vero eas invitis Parentibus baptizatas: vel eas deinde potestati patriæ per vim subduces, vel Parentibus suis educandas relinques? at primum sine injuria fieri nequit: alterum autem cum evidenti profanationis Sacramenti periculo est conjunctum, ut jam supra utrumque insinuavi, ergo &c.

Inducor 2*do* constanti sensu & usu Ecclesiæ, quæ nunquam egit apud Principes, ut invitos infideles cogerent Christiana sacra amplecti, iisque proles initiari; quin coactionem hujusmodi etiam improbavit, ut clarum fit ex Gregorio Mag. & Concilio Toletano IV. cui 62. Episcopi subscripserunt. Gregorii certe L. 1. Ep. 45. verba sunt: *intentionem quidem hujusmodi laude dignam censeo, sed timeo, ne animarum, quas eripi volumus, dispendia subsequantur; dum enim quispiam ad Baptismi fontem, non prædicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renasci videbatur.* Idem etiam L. 2. Ep. 52. novum & inauditum esse ait hunc prædicationis modum. Toletanum autem C. 56. *præcipit sancta Synodus*, inquit, *nemini deinceps ad credendum vim inferri &c.* quæ cum generatim dicta sint, ad præsentem etiam controversiam referenda videntur. Conformiter jam ad hæc

Resp. II. illationem, quam N. 121. faciunt Adversarii, distinctione explicandam esse. Scilicet: perinde infidelium proles, invitis Parentibus, poterunt baptizari, valide quidem semper, de quo uno agit Assertio, Conc. etiam licite, iterum distingue: si Parentes infideles sint mancipia, seu serviliter subjecti, Conc. si civiliter tantum subjiciantur suo Principi, Nego. Singulorum ratio ex jam dictis petenda est. At forte

122 Instatis IV. cum Scoti Sectatoribus. Baptismus est juris divini positivi propter Christi præceptum; cedere proinde debet jus naturale paternum in filios: præsertim cum Parentes ipsi jure divino teneantur providere filiis de medio ad salutem ne-

necessario, & potestas, quam in filios habent, sit in ædificationem, non in destructionem, ut dicitur 2. Cor. 13. Complura sunt præterea Principum Christianorum exempla, qui infideles civiliter sibi subditos ad amplectenda Christiana sacra vi ac minis compulerunt, ut Childericus Rex in Francia, Sisebutus in Hispania, Carolus M. in Germania &c. Licebit ergo universim ac sine discrimine quorumvis infidelium proles baptizare.

Resp. negandam esse illationem: utrumque enim est juris divini, cum Deus sit author legis naturalis; jus præterea naturale est magis necessarium quam positivum: huic proinde in concursu illud præferendum. Inde, ex communi Theologorum sententia, uxor (idem est de filiosfamilias comparate ad Patrem) non obligatur votum implere repugnante marito, tametsi voti vinculum sit juris divini. Quamvis autem hoc ipso jure teneantur Parentes filiis de salute providere, nec habeant potestatem in filios nisi in ædificationem: ad hoc ipsum attamen implendum cogi non possunt ab eo, qui in illos jurisdictione non polleat quoad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis. Numquid perinde jure divino quisque obstringitur rebus a Deo acceptis ad salutem uti: an vero propterea, si qui sanitate, opibus &c. abutantur, fas erit cuique hæc illis eripere.

Neque urgent quidquam Principum quorumdam exempla; quamvis enim pius zelus, & bona eorum fides laudaretur, universim attamen hujusmodi coactiones improbatæ sunt a Concilio Toletano IV. & Gregorio M. supra citatis, ac etiam Nicolao I. in Resp. ad Bulg. C. 41. Nominatim Childerici factum improbavit Gregor. Turon. L. 6. Hist. Francorum C. 17. Sisebuti vero Concil. Tolet. IV. C. 55. De Carolo M. non una est in præsenti sententia. Baronius quidem scribit eum vi coegisse Saxones ad Catholica sacra: at simul addit, eos fuisse apostatas & hæreticos, jureque belli præterea in potestatem Caroli devenisse; ut adeo duplici hoc nomine & cogi ad Baptis-

ptismum, & proles illis absque injuria eripi potuerint. Alii ex Alcuino Caroli M. familiari conjiciunt, non fuiſſe a Carolo coactos Saxones, verum clementia ejus & ſapienti conſilio ad fidem inductos; verba Alcuini ſunt in Ep. 7. ad Carolum M. *ecce*, inquit, *quanta devotione & benignitate pro dilatatione nominis Chriſtiani duritiam infidelis populi Saxonum per veræ ſalutis conſilium emollire laboraſti &c.* Ipſe quin Adrianus Papa de Saxonum converſione Carolo M. gratulatus his dumtaxat utitur verbis: *perduxiſtis*, *deduxiſtis anniſu veſtro &c.* quibus non indicatur coactio.

De Baptismo infantium,
Qui nondum ſunt nati ex utero materno.

123 INſantes, ex utero Matris nondum ulla ſui parte egreſſi, in duplici ſorte collocari poſſunt. Alii quippe ita continentur utero materno, ut & hic nondum apertus ſit, & ipſi ſecundinis ſuis etiamnum integre involvantur, atque adeo ad abluendum eorum corpus aqua pertingere nequeat; ac iſtis quidem hoc ſtatu Baptiſmi lavacrum miniſtrari non poſſe, non controverto, cum ad Baptiſmum neceſſario requiratur ablutio corporis. Aliorum in utero materno is ſtatus eſt, ut ad ipſum eorum corpus abluendum aqua perferri poſſit: id quod evenit initio puerperii, cum Mater videlicet parere nititur; tum enim ex Cl. Medicorum judicio diſcinduntur involucra infantium, ac uteri materni oſtium ita aperitur, ut peritæ obſtetrices ipſum infantis corpus poſſint manu contingere. Atque de his ſolis eſt controverſia: num hoc ſtatu valide baptizentur?

 ASSER-

ASSERTIO.

Probabile est, Infantes, nondum ulla sui parte ex utero Matris egressos, valide baptizari initio puerperii, cum ostium uteri materni aperitur.

124 PRob. I. ratione. Infantes hoc statu tum ablui possunt, tum etiam capaces sunt Baptismi a Christo instituti, seu lavacri regenerationis spiritualis; possunt igitur baptizari valide.

Quoad 1*mam* Asserti partem standum est, ni fallor, non aliorum, quam Medicorum judicio. Hi vero, præterquam quod post Hippocratem de Nat. puer. summa consensione doceant, puerperii initio aperiri ostium uteri materni, ac etiam infantium involucra discindi, testantur etiam: peritam obstetricem ad corpus infantis ita posse manu pertingere, ut eum aqua abluat, quin ei etiam (si forte lædatur) cataplasma applicet. Suggerunt adhæc iidem, Recentiores præsertim, complures modos, quibus obstetrix ablutionem hanc perficiat: ope videlicet vel siphunculi, vel spongiæ aqua imbutæ, vel ipsa manu madida &c. Si in hanc rem porro nominatim velis Medicorum testimonia, reperies laudata apud Gabr. Gualdum in Opusc. de Infant. Bapt. C. 5.

Quod ad 2*dam* Asserti partem attinet, ita argumentum instituo. Ab adversa parte nihil adfertur, quo opinionis hujus probabilitas certo elidatur, ut patebit ex Responsis ad objecta; pronunciandum est igitur pro illa; præsertim cum isthic agatur de salutis remedio, quod comparate ad hujusmodi parvulos est unicum. Sed nec periculum est profanandi per frustrationem Sacramenti: cum enim sententiam hanc, non certam, sed probabilem dumtaxat asseram, hoc casu parvulis conditionate solum, *si nempe capaces sint*, Baptismum esse conferendum contendo. Quod si Assertum hoc argumento etiam positivo firmari velis, dixisse sufficiat: infantes hos salvari vult Deus; Baptismus ad id hoc providentiæ statu est medium ne-

necessarium; hoc illis per ablutionem applicari potest; ex filiis iræ possunt effici filii Dei per sanctificationem, ut de Joanne Bapt. in utero sanctificato novimus; hoc ipsum quid aliud est, quam spiritualis regeneratio? probabile igitur est, parvulos hoc statu capaces esse Baptismi ex institutione Christi. Sane præcipuus Baptismi a Christo instituti finis erat, ut esset in remedium culpæ originalis; cum igitur huic in utero materno sint obnoxii infantes, iisque una hoc remedium integre applicari possit, cur non perinde ejusdem ex institutione Christi sint capaces?

125 Prob. II. authoritate. Tametsi plurimi post S. Augustinum Theologi in contrariam abeant sententiam; non desunt tamen complures, qui eamdem in præsenti nobiscum opinionem tueantur, quin ulla usque huc Ecclesiæ censura notati sint. In horum classe a Cl. Berti numerantur, Florentinus de Cocq de Bapt. Sect. 7. Franc. Henno disp. 3. qu. 1. Concl. 2. Farvacques de Sacram. in Bapt. infant. Aurelius Piette qu. 8. cumprimis autem Gabriel Gualdus Clericus Regul. in Opere, quod de hac controversia ex proposito elucubravit. Atque hi sunt, quos Cl. Berti pro hac sententia (ipse oppositam secutus) citans, paulo liberius insectatur, dum eos Theol. suæ L. 31. C. 18. *Juniores literatulos*, & *Anatomicos potius, quam Theologos*, eorum autem opinionem *Recentiorum commentum* compellat.

Adeo nempe Viro Cl. infirma visa est laudatorum DD. authoritas; quasi vero sententia hæc & recens nata sit, & ab his solis propugnetur. Juverit igitur eorum authoritatem firmare pluribus, idem sentientibus, magni nominis Theologis: Lessio nempe, Bonacina, Tannero, Dicastillo, qui simul citat Vasquezium, Pessantium, Toletum & alios. Reperies hos laudari apud Marin Tract. 19. de Bapt. Disp. 1. Sect. 5. N. 81. ubi ipse opinionem eamdem amplectitur. Quin apud eumdem hoc eodem loco Gobat, Layman, Valentia, Gonzalez,

 Lud.

Lud. Fildere & Didacus de la Fuente plures ſimul pro ſe citans, præterea docent: valide baptizari infantem utero materno concluſum, ſi aqua pervenire poſſit ſaltem ad membranas eum circumdantes. Authores hos recenſens Marin addit: ſententiam hanc *valde probabilem eſſe & piam*, *ideoque in praxi tenendam*. Ad hæc, ni fallor, celebrium Virorum nomina Cl. Berti, cum ſcriberet, animum vix adverterit: ac ſi advertiſſet, non eos utique, niſi orbe literato reclamante, in *Juniorum literatulorum* claſſem retuliſſet. Mihi quidem eorum tanta eſſe videtur authoritas, ut poſitæ Aſſertionis probabilitatem extrinſecam ſatis ſuperque conficiant. Ad quam ipſam denique facit judicium complurium Sacræ Facultatis in Celeb. hac Univ. Viennenſi Doctorum, qui ſententiam hanc An. 1753. ex propoſito juſſi ad momenta theologica exigere, conſentientibus eam approbarunt ſuffragiis.

Diluuntur Objecta.

126 OBjicitur I. Authoritas Librorum Ritualium, ac ex his praxis & ſenſus Eccleſiæ. Et in Romano quidem Rituali juſſu Pauli V. edito Tit. de baptiz. parv. ſtatuitur: *nemo in utero Matris clauſus baptizari debet; ſi tamen infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite &c.* Eadem legas in Rituali Gregorii XIII. Sacramentali item Ambroſiano S. Caroli Borrom. pro Eccleſia Mediolanenſi, & paſſim aliarum etiam Eccleſiarum Ritualibus, in quibus ipſa fere Ritualis Romani verba recitantur.

II. Parvulos in utero materno baptizari non poſſe expreſſis verbis docent, S. Auguſtinus L. de pec. mer. C. 27. & Ep. 187. alias 57. ad Dardanum, Iſidorus L. 1. ſentent. C. 22. relatus a Gratiano de Conſecr. diſt. 4. C. 115. S. Thomas 3. p. qu. 68. Art. 11. ad 1. Bonavent. in 4. diſt. 6. Art. 1. & cum Suarez paſſim Theologi alii, qui omnes gravibus momentis pugnant. Ajunt nempe cum Auguſtino, III.

III. Baptismum esse institutum pro natis dumtaxat; id vero inferunt ex illis Christi verbis: *nisi quis renatus fuerit &c.*, cum igitur hi parvuli nondum nati sint, ex institutione Christi capaces esse nequeunt Baptismi. *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit*, ait Augustin. in supra cit. Ep. & mox ibid. *illa sanctificatio*, inquit, *qua efficimur templa Dei & in unum omnes templa Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt.* Urgent deinde,

IV. Baptismi effectum esse: ut baptizati adscifcantur inter membra visibilis Ecclesiæ, ac ad ejus forum pertineant; at parvulus, qui ex utero materno in lucem nondum prodiit, effectus hujus est incapax; incapax igitur & Baptismi valide suscipiendi.

Resp. ad I. legem in Romano & reliquis Ritualibus latam esse de eo, quod communiter & regulariter circa parvulos, in utero materno clausos, observandum est; cum igitur hi in hoc statu communiter & regulariter in ipso corpore ablui non possint, vel propter uteri ostium non sufficienter apertum, vel propter membranarum involucra, aut copiosas sordes corpori infantis circumfusas, utique communiter & promiscue baptizandi non sunt. At cum ablutio ad Baptismum sufficiens perfici potest (ut eam sub initium puerperii, aperto uteri ostio & discissis parvuli involucris, peritæ obstetricis manu perfici posse ostendimus) memorata lex ad hunc casum extendi non debet: quin potius, cum sit odiosa, ob rationes allatas exceptionem & restrictionem patitur in favorem infantis, qui in extrema hac necessitate omni, quo fieri potest, modo juvandus est. Nec obest, legem hanc simul esse favorabilem, in favorem videlicet Sacramenti latam: jam enim supra dictum est, profanandi Sacramenti periculum sufficienter evitari conditionata Baptismi collatione. Sane & in aliis legibus generalibus hujusmodi exceptiones & restrictiones jura concedunt, cum graves intercedunt causæ.

Resp.

Resp. ad II. sunt, qui cum Farvacques, Piette, Gualdo, & Marin loco supra cit. N. 83. S. Augustinum & Isidorum pugnare dicant solum contra errorem Pelagii, diverso proin, ac objiciatur, sensu loqui existiment, idque omnino non incongrue; si tamen nobis contrarii sunt, ab iis, uti & reliquis in objectione laudatis Doctoribus recedimus: quod idem faciunt gravissimi Theologi nobiscum in præsenti sentientes. *Sed demus*, ait Marin cit. N. 83. *quod ita senserint Augustinus & Isidorus, ut clare sentit D. Thomas; hoc non tollit, quod decursu temporis ex auctoritate tam gravium Virorum sit valde probabilis sententia opposita, pro praxi tenenda; etsi speculative judicetur falsa.* Cæterum ne speculative quidem falsam esse existimo, cum ratio ex Augustino petita non ita certa sit, ut rem conficiat. Hinc

Resp. ad III. Baptismum quidem, juxta illud *nisi quis renatus &c.* ex Christi institutione esse pro hominibus *natis*; at qui isthic ad mentem Christi nomine *natorum* veniant, non est certum adeo, ut e numero eorum parvuli, qui aperto uteri materni ostio proximi sunt partui, penitus expungi debeant. Tametsi enim Christus volens hominem per Baptismum renasci spiritualiter, eum jam prius natum supposuerit, nuspiam attamen diserte expressit: num oporteat esse natum sensu stricto, ut communiter dicimus eum, qui ex utero materno egressus in lucem prodiit: an sensu tantum latiore aliquo. Cur igitur determinate sensu stricto & vulgari nativitatem in baptizando requiramus? sensu porro latiore, eoque congruo, pluribus nominibus dici possunt *nati* hi parvuli.

Nempe 1*mo*, si nativitatem corporalem intellexit Christus, dici possunt *nati inchoative*, cum aperto utero & discissis involucris proximi sint partui; vel *nati ex ovario in uterum*, tametsi non *ex utero*; vel denique *nati in utero*, hoc est *generati*, quo sensu Matth. 1. legimus, *quod enim in ea natum est*, idque ob proprietatem verbi γίνομαι, quod utrumque significat

cat *nascor*, & *gignor*. Hoc postremo sensu nativitatem si accipias, nihil vetabit dicere, hos parvulos jam prius in utero Matris *generatos*, proprie *regenerari* per Baptismum, qui juxta Concil. Trid. est *Sacramentum regenerationis*. Ex qua ipsa prætcrea Baptismi definitione non obscure colligitur: in illo Christi effato, *nisi quis renatus &c.* τὸ *renatus* sumi pro *regeneratus;* cum igitur hi parvuli jam prius sint in utero generati, in sensu a Christo intento possunt per Baptismum fieri *renati*, hoc est, *regenerati ex aqua & Spiritu;* quodque hinc consequitur, ex Christi institutione sunt Baptismi capaces. 2*do* iidem parvuli in utero materno dici possunt *nati moraliter* hoc sensu, quod per culpam originalem jam hoc statu contractam fiant *filii iræ;* sicut per Baptismum efficiuntur *filii Dei*. Eodem proin jure, quo dici potest homo in Baptismo *renasci in filium Dei:* dici etiam potest jam in utero *nasci in filium iræ*.

Expositiones hæ, ut vides, sua non carent probabilitate; igitur probabile etiam est, parvulos jam in utero materno eam habere nativitatem, quæ illos spectata Christi institutione sufficienter capaces reddat Baptismi, per quem regenerentur & renascantur spiritualiter. Demum

Resp. ad IV. Quamvis ultro detur, infantes hos per Baptismum non inseri Ecclesiæ visibili: capaces attamen sunt Baptismi vel ideo, quod per eum consequantur remissionem culpæ originalis, qui est præcipuus Baptismi effectus. Ita nemo dixerit B. Virginem fuisse Baptismi incapacem propterea, quod is in illa, utpote a labe originali præservata, operari non potuerit emundationem sibi propriam; sicut igitur ad id ut B. Virgo valide baptizaretur, satis erat eam per Baptismum characterem consequi, & in Cœtum fidelium cooptari: perinde, ad asserendam in parvulis istis Baptismi capacitatem, satis erit posse eos Baptismi remedio ab originali culpa emundari. Cæterum, parvulos hos ajo per Baptismum etiam membra fieri visibilis Ecclesiæ, ejusque foro subjici, ut qui aperto uteri o-

ſtio ſint ſufficienter viſibiles: aut ſaltem viſibiles inchoative & proxime. Numerantur iidem jam in numero viventium: cur non igitur etiam in numero viventium fidelium? Subjiciuntur foro corporalis Medici, a quo cataplasmate etiam admoto juvari poſſunt: cur non ſubjiciantur perinde foro ſpiritualis Medici, ſeu Eccleſiæ? Ac ſane, ſi eos hoc ſtatu baptizatos emori contingat, nec niſi jam mortuos in lucem edat Mater, ſepeliendi forent in loco ſacro: Baptismo igitur illo ſubjecti ſunt judicio & foro Eccleſiæ, ejusque proinde membra effecti.

Corollarium.

127 I. SEntentia, quam tuemur, tam a ratione theologica, quam ab authoritate magnam habet probabilitatem, ut vides; eadem eſt in favorem infantium de ſalute periclitantium; tenenda igitur in praxi, idque adeo, ut ſecundum eam (quod ſupra laud. Marin. N. 81. monet) in favorem animæ, etiam contra propriam opinionem, agere poſſimus & debeamus. Conferendus itaque hoc ſtatu parvulis Baptismus: at non niſi tum, cum grave eſt periculum, ne, antequam in lucem prodeant, in utero materno prius emoriantur.

II. Eadem ſententia cum probabilis dumtaxat ſit, Baptiſmus hic ſolum conditionate eſt conferendus, ut jam ſupra monui; inde, ſi parvulum deinde vivum ex utero prodire contingat, rurſum baptizari debet ſub conditione, hac videlicet forma: *ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Atque de his erudiendæ & monendæ ſunt obſtetrices, ne incuria aut ignorantia earum infantes in ſalutis diſcrimen adducantur; præſertim, cum caſus, de quo agimus, non infrequens ſit.

De Baptismo mortuorum.

128 E veteribus Sectariis quidam exiſtimabant, ipſis mortuis poſſe

ſe cum fructu conferri Baptismum. Et Cerinthiani quidem ac Marcionitæ vivum aliquem pro mortuo tingebant, ut ſcribit, præter alios, Epiphan. Hær. 28. & Chryſoſtom. Hom. 40. in 1. Cor. C. 15. Cataphryges vero & Archonticos ipſis mortuis contuliſſe Baptismum commemorat Philaſtrius Hær. 49. & Theodoretus L. 1. Hæret. fabul. C. 11. Erroris porro hujus occaſionem ſumpſiſſe videntur ex 1. Cor. Epiſtolæ C. 15. v. 29. vel, ut Turrianus putat ex lotionibus Phariſæorum, quibus mos erat, vivos abluendi pro mortuis illis, qui in legali immunditia deceſſerunt. Nobis in originem erroris inquirere non vacat; ſatis igitur fuerit eum paucis perſtringere. Pro quo ſit

ASSERTIO.

Nec vivi pro mortuis, nec ipſi mortui poſſunt baptizari.

Aſſertio certa eſt ſpectata Baptismi inſtitutione ex illis Chriſti verbis apud Matth. 19. *euntes docete - baptizantes eos &c.* & Joan. 3. *niſi quis renatus &c.* accedente una ſenſu & praxi Eccleſiæ. Nominatim autem ratio 1*mi* eſt: nam vivi, etſi mortuos juvare poſſint pio ſuffragio, pro illis tamen baptizari nequeunt, cum Baptismus ſoli ſuſcipienti proſit; ei autem, qui non baptizatus in peccato originali deceſſit, ne pia quidem fidelium ſuffragia ſubſidio eſſe poſſunt. Ratio 2*di* eſt: quia mortui ſunt extra ſtatum viæ, nullius proinde Sacramenti ſuſcipiendi capaces, ut conſtat ex L. I. Diſſert. V. §. I. Hinc Concilium Carthagin. III. Can. 6. *cavendum eſt*, inquit, *ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat.* Idem legere eſt in Codice Canonum Eccl. Africanæ C. 18. 129

Oppones: Baptismum hujusmodi approbat Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 29. ubi, *alioqui*, inquit, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* ergo &c. 130

 Reſp.

Resp. Nego Assertum; neque omnino illud ex laudatis Apostoli verbis recte deducitur: quamvis una fatendum sit, obscura ea esse, nec satis constare de genuino illorum sensu. Id ex proposito quidem cit. Cap. agere Apostolum, ut futuram corporum resurrectionem demonstret, certum est ex contextu: quin etiam dubitari nequit, in hanc rem uti eum argumento a Baptismo mortuorum petito; at, quid potissimum per hunc Baptismum intelligi voluerit, pronum statuere non est. Sane, si Pauli Epistolarum Interpretes consulas, mirum invicem divisos, ac in opiniones prorsus varias distractos reperies, ut videre est in Cornel. a Lap. ad hunc Pauli locum, & apud eum laudatos Suarezium & Bellarminum; vel Estius in cit. Ep. novem expositiones adducit. Duæ sunt reliquis præferendæ.

Cum Calmeto nempe quidam existimant: Paulum isthic loqui de Baptismo, quem aliqui, exemplo Pharisæorum inducti, vivis conferebant pro mortuis. Errorem interim hunc non probat Apostolus: verum ex erronea eorum consuetudine arguit dumtaxat contra illos, vel ideo admittere eos oportere futuram corporum resurrectionem. Hujus opinionis fuit Tertullianus, qui L. 5. contra Marcion. C. 10. ait, hæc Paulum scripsisse, *ut tanto magis sisteret* (firmaret) *carnis resurrectionem; quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent.*

Alii, Chrysostomum secuti, τὸ *pro mortuis*, sumendum putant pro *corporibus morti obnoxiis;* quasi nempe Paulus dixerit: si caro non resurget, nec immortalitate donabitur, cur in fide & spe resurrectionis baptizantur corpora morti subjecta, ac certo moritura? Nempe (quod Cl. Berti Theol. suæ L. 22. C. 6. probat, ac isthic observandum est) ætate Apostoli ante susceptionem Baptismi moris erat Catechumenos recitare illum articulum: *Credo carnis resurrectionem.* Istud dicendi fundamentum præbet ipse Chrysost. Hom. 40. in 1. ad Cor. Ep. ubi simul hæc Apostoli verba ita explicat: *hoc ergo*, inquit, *in*

in memoriam revocans Paulus dicebat, si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis, id est, corporibus? propter hoc enim baptizaris mortui corporis credens resurrectionem, id est, quod non maneat mortuum. Et pro hac quidem Chrysostomi expositione & illud facit, quod ea apprime congruat cum priore Apostoli argumento, quod hoc ipso Cap. a Christi resurrectione ducit, ac demum v. 22. ait: *& sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, tam in anima nempe, quam in corpore; ubi vides τὸ *moriuntur:* idem significare, ac *mortales & morti obnoxii sunt.* Quid quod idem etiam ad Rom. 8. v. 10. *Corpus mortuum pro mortali* sumat.

Hæc interim quamvis verisimiliter dicta sint, suis tamen difficultatibus non careant, ut legere est apud Cornelium a Lapide, Estium, Vossium, Raynaudum, & alios Pauli Epistolarum Interpretes, ac cumprimis Cl. Calmetum in peculiari Dissert. de Baptismo mortuorum.

DISSERTATIO IV.
DE BAPTISMI CÆREMONIIS.

§. I.

Quæ fuerint secundum veteris Ecclesiæ disciplinam Baptismi Cæremoniæ?

NUllis hodie Ecclesia utitur in Baptismo ritibus, quorum origo referenda non sit ad veterem disciplinam, ut ex §. II. patebit; præter hos interim & alii complures, quos jam abolitos novimus, a primævis Christianis observati sunt. Ac horum quidem aliquos hoc L. sparsim jam insinuavimus; referendi nunc sunt e reliquis præcipui, qui videlicet cumprimis ad veteris disciplinæ notitiam in præsenti faciunt, ut: de loco & tempore Baptismi, de Catechumenatu, ac demum ritibus quibusdam post Baptismum peculiariter observatis. De

De loco & tempore Baptismi.

131 I. Apostolorum ætate nondum erant Baptisteria, seu loca ad ministrandum Baptismum peculiariter deputata. Ut enim vel sacræ Literæ Act. 8. & 16. docent, conferebatur passim quovis loco, in domo privata, carcere, fluviis &c. Ipso interim jam Ecclesiæ Seculo I. teste Dionys. Areop. L. de Eccl. Hier. C. 4. erigi subinde cœperunt Baptisteria: at quorum usus, Gentilium & Tyrannorum metu, tribus primis Seculis vix nisi in domibus privatis, aut loco aliquo extra urbes abdito esse potuit. In ipsas deinde Ecclesias sub Sec. IV. & V. illata, ad Cornu Evangelii in figuram conchæ vel navis coronatæ efformabantur in ea profunditate & amplitudine, ut compluribus etiam adultis simul mergendis sufficerent. Nec deerat, pro Ecclesiarum facultate, apparatus magnificentia. Ipsa non raro concha, quæ aquam excipiebat, integre construebatur ex auro, argento, vel lapide pretioso; cumprimis autem Baptisterii apex, in turris vel coronæ figuram assurgens, omnis generis ornatu & pretio excultus spectabatur, ut notarunt, præter alios, Simeon Metaphrastes & Damasus Papa. Specimen aliquod habe in Baptisterio, Constantini M. sumptibus constructo, quod Damasus in Sylvestri Pontificis vita ita describit: *alveus*, inquit, *quantum aqua continet*, *ex argento purissimo librarum* 3008. *in medio fontis columna porphyretica*, *quæ portat phialam ex auro purissimo libr.* 50. *in labro fontis agnus ex auro purissimo libr.* 30. *ad dexteram agni Salvator ex argento purissimo libr.* 170. *ad sinistram agni Joannes Bapt. ex argento libr.* 100. *Cervi septem*, *fundentes aquam*, *ex argento*, *quorum singuli pensant libr.* 80. *&c.* De Baptisteriorum præterea universim veneratione vix attinet dicere: quando, ob peculiarem eorum consecrationem, singularibus adeo gaudebant immunitatibus, ut reis etiam confugientibus securum præberent asylum.

132 II. Tempus Baptismi ne in primæva quidem Ecclesia idem semper erat. Quamvis enim, teste Ambrosio in Ep. ad Eph pri-

primum omnes docebant & baptizabant, quibuscumque diebus vel temporibus fuit occasio; ipsa tamen adhuc Apostolorum ætate inductus est mos Baptismi ministrandi primum quidem in Paschate tantum, tum etiam Pentecoste: idque propterea, ut vel ipsa dierum solemnitate monerentur fideles de gratia per Christum & Spiritum S. in Baptismo accepta, ut notat Author Const. Apost. L. 5. C. 20. & Leo I. in Ep. 4. ad Epp. Siciliæ. Ita autem tempus hoc (extra casum necessitatis) religiose observatum est, ut, cum Episcopi quidam Sec. IV. Apostolorum etiam & Martyrum Festis baptizare cœpissent, laudatus Leo I. Ep. 78. eos, velut Traditionis Apostolicæ oblitos, redarguens, demum concluderet: *admonemus igitur & protestamur, ut ab hac præsumptione cessetur, & summam hanc Dei per Baptismum gratiam nonnisi in Paschali festivitate & Pentecostes die credentibus conferatis &c.* Quamvis vero subinde morem hunc Ecclesiæ quædam ex parte desererent, ut plurimum attamen perduravit usque ad Sec. IX. tempora videlicet Caroli M. Ludovicii Pii, & filii ejus Lotharii, quorum ea de re leges extant, ab Albino Flacco, Rabano Mauro, & aliis Scriptoribus coævis collectæ: dum denique hoc ipso decurrente Seculo invalesceret consuetudo quovis die baptizandi, ut meminit Theophilactus in C. 10. Lucæ scribens. Nec sine consilio id factum: præter alia enim, teste Basilio cum Socrate & Echio Hom. 12. de Bapt. veterem hunc morem abolendi causa erat, quod, ob longiorem Baptismi in certos dies dilationem, multi sine eo e vivis excesserint; quin etiam non pauci a suscipiendi Baptismi proposito ultro desciverint.

De Catechumenatu.

I. Catechumenus idem est, ac *viva voce instructus*, a græco videlicet verbo κατηχεῖν, quod est *viva voce instruere.* Compellantur autem hodie etiam hoc nomine universim 133

Ba-

Baptismi Candidati, cum (si doctrinæ capaces sint) instructione prævia ad hoc Sacramentum comparentur. Ac horum quidem in veteri Ecclesia diversi erant gradus. Etenim 1*mo* dicti sunt *Audientes*, qui Baptismi desiderio tenebantur, ac propterea publicis Catholicorum instructionibus intererant; hi ipsi 2*do* dicti sunt *Christiani*, cum, adscribi Christianis volentes, sua darent Episcopis nomina; 3*tio Catechumeni*, post abrenunciationem Dæmoni viva voce factam; 4*to Initiati*, postquam sacris exorcismis expiati sunt; 5*to Competentes*, cum jam in rebus fidei satis instructi omnes simul Baptismum peterent; 6*to Electi*, ii videlicet, qui facto scrutinio & collatis fidelium ac Episcoporum suffragiis deligebantur præ reliquis, velut in fide magis firmi & ad Baptismum idonei; demum vocabantur *Catholici* post Baptismum susceptum.

134 II. Quamvis autem intra 2*dum*, 3*tium*, & 4*tum* Catechumenatus gradum vix nisi diei unius mora regulariter interponeretur; ad 5*tum* attamen, nempe competentium, non continuo patebat aditus: uti nec ab hoc ad ipsum Baptismum, qui fere in longius tempus (nisi necessitas aliud exposceret) differebatur. Meminit utriusque Concil. Constantinop. VI. Can. 95. ubi de Baptismi Candidatis agens, ait: *primo quidem die eos Christianos facimus; secundo autem Catechumenos; denique tertio adjuramus, simul etiam ter in faciem & aures inspiramus, & sic initiamus, & diu in Ecclesia versari & Scripturas audire facimus & tunc ipsos baptizamus.* Diuturnior igitur Catechesis dilati in longius Baptismi causa erat: præsertim cum Competentibus sublimiora etiam fidei mysteria ediscenda fuerint, iidemque multis pœnitentiæ operibus exercerentur. Ut enim ex Conc. Carthag. IV. Can. 85. & Tertull. L. de Bapt. C. 20. constat: in publico fidelium cœtu sistebant se nudis pedibus, attonso capite, & cilicio cooperti; a vino, carnibus & uxoribus abstinebant; præter Orationes denique crebras & jejunia, Confessionem etiam omnium retro delictorum publicam

cam præmittebant. Nec tamen in his semper & ubique constans fuit Ecclesiæ disciplina ; vel Catechumenatus tempus, nunc prorsus exiguum, alias ad annos etiam tres vel duos productum fuisse novimus ; dum subinde ad paucos menses, immo demum ad quadraginta vel octodecim dies reduceretur. Constant hæc omnia ex Concilii Nicæni I. Can. 2. Eliberitani Can. 42. Hieronymo Ep. ad Pammachium, & multis aliis apud Joseph. Vicecomitem L. 2. de Bapt. Rit. Hodie jam Catechumenatus nullum certum tempus est ; definire illud ad Pastores pertinet, quorum sapienti arbitrio Ecclesia id relinquit.

De Ritibus post Baptismum observatis.

I. Post ablutionem, ritu mersionis ab ipso Episcopo peractam, baptizatus induebatur veste alba ad talos usque producta ; symbolum ea erat innocentiæ per Baptismum acceptæ : simul & admonitio de puritate animi deinceps curanda. Ita induto osculum & amplexum dedit Episcopus in signum pacis cum Deo initæ, & charitatis Christianæ. Sequebatur ad hæc publica populi gratulatio, & in lætitiæ testimonium solemnis cantus. Porrigebatur præterea recens baptizatis Eucharistia : adultis quidem sub utraque specie : infantibus autem sub specie vini ; quin & Confirmationis Sacramentum statim a Baptismo collatum legimus. Lac & mel etiam gustandum fuisse datum Neophytis usque ad Seculum VIII. colligitur ex Ord. Rom. idque ad significandam gratiæ divinæ & Legis Evangelicæ suavitatem, simulque ut admonerentur, se esse per Baptismum denuo genitos juxta illud 1. Petri 11. *sicut modo geniti infantes, rationale, sine dolo lac concupiscite &c.* quæ verba etiamnum Ecclesia recitat Domin. in Alb. 135

II. Persolutis Baptismi in Templo Cæremoniis, solemni cum comitatu in domos suas reducebantur Neophyti : sequebatur illic convivium : varia denique lætitiæ signa edebantur to- 136

toto octiduo. Hoc exacto in Templum deducti, veste alba exuebantur ab Episcopo; inde octavus a Paschate dies dictus *Dominica in albis*, quasi (ut observat Burius in Onom.) *Dominica post Sabbathum in albis*. Facit in hanc rem S. Augustini Sermo 157. de temp. cujus initium ita habet: *Paschalis solemnitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur: ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Vide de his Vicecom. in suis LL. de Bapt. Ritibus.

§. II.

Quæ sint etiamnum in Ecclesia usu receptæ Baptismi Cæremoniæ?

CONsuetæ in moderna Ecclesia Baptismi Cæremoniæ adeo religiose observandæ sunt, ut si eas in necessitatis casu omitti contigerit, suppleri deinde, cum possunt, debeant, ut docet praxis Ecclesiæ, & monet Rituale Romanum: ne fructu videlicet, qui ex iis provenit, fraudentur Neophyti. Quæ porro sint illæ? non est, cur alioquin notas minutim recenseamus; satis fuerit referre præcipuas, earumque antiquitatem & significationem mysticam exponere: quo vel hinc Sectariorum, adversus Baptismi Cæremonias cavillantium, licentiam reprimi facile quilibet conjiciat. Dicemus autem primum de Patrinis & nominibus baptizandorum: tum de ritibus Baptismo præmitti solitis: demum de iis, quæ Baptismum consequuntur.

De Patrinis & nominibus baptizandorum.

137 I. EX usu jam a veteri Ecclesia recepto in Baptismo adhibentur *Susceptores*, qui baptizandum de sacro fonte levent

ac

ac suscipiant. Vocantur iidem *Sponsores*, quod pro parvulis fidem in Baptismo spondeant & profiteantur : *Patrini* item, vel *Compatres*, quasi alii Patres, qui videlicet per Baptismum genitos Parentum instar, cum necesse est, in rebus fidei instituant, quod proprium esse eorum munus, docet Catech. Tridentinus. Antiquitatem porro moris Patrinos in Baptismo adhibendi satis declarant veterum Patrum testimonia, ut Dionysii Areop. L. de Eccl. Hier. C. 2. Tertulliani L. de Bapt. C. 18. ac, præter alios, Augustini Sermo 116. de Temp. & L. 1. de peccat. mer. C. 34. quibus locis Patrinorum fieri mentionem reperies. Quin, cum mos hic sit adeo vetus, ut vel Dionys. Areop. eum commemoret : idemque præterea sit ubique receptus : nec initium institutionis illius ostendi possit, jure eum ad Traditionem Apostolicam retuleris.

138 II. Ritum in Baptismo nomen imponendi aut mutandi etiam veteribus usitatum fuisse, clarum est ex Dionysio Areop. de Hier. Eccl. C. 2. & Dionysio Alexandr. apud Eusebium L. 7. Hist. C. 20. quamvis una fatendum sit, eos, qui adulta ætate baptizati sunt, non semper mutasse nomina, ut patet de Saulo Act. 9. Cornelio Act. 10. de Ambrosio, Augustino, & aliis. Unde potissimum ritus hujus origo sit, non satis constat. Bellarminus eam repetit a Circumcisione, in qua parvulis nomen impositum legimus Lucæ 1. de Joanne, & Lucæ 2. de Christo; Bertius vero ab antiquo Catechumenorum ritu, quos ante Baptismum nomina sua dedisse supra notavimus; at hæc incerta. Uti nunc autem, sic & in primæva Ecclesia, observatum fuit, ut, non gentilium, sed Christianorum nomina in Baptismo imponerentur; id quod jam in Concil. Nicæno inter Canones ex Arabico in Latinum conversos & a Franc. Turriano editos, Can. 30. legitur constitutum. Quin supra laud. Dionysius Alex. C. 25. memorat, primis Ecclesiæ Seculis ut plurimum fuisse fidelibus indita Apostolorum nomina, maxime Petri, Pauli & Joannis; subinde autem promiscue quorumvis Sanctorum, præ-

ſertim Martyrum, ut legere eſt apud Chryſoſtomum Hom. 12. in Ep. 1. ad Cor. & Theodoretum Serm. 8. de Græc. affect. Cauſa porro Sanctorum nomina in Baptismo imponendi, uti nobis, ſic & veteribus erat ex laud. Theodoreto, ut fidelibus deſervirent in tutelam, & ſanctitatis imitationem.

De Ritibus Baptismo præmitti ſolitis.

139 I. CUm Chriſtianum ante omnia oporteat abrenunciare Dæmoni & fidem profiteri veram, Baptismo præmittitur abrenuntiatio & confeſſio; utramque autem parvulorum nomine Patrini peragunt. Antiquitatem hujus ritus teſtantur Dionyſius Areop. Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Cyrillus Hieroſ. Auguſtinus, & alii cit. apud Bellarm. L. de Bapt. C. 25. Audiantur pro omnibus Tertull. & Auguſt. Primus L. de Spectaculis C. 1. *aquam ingreſſi*, inquit, *Chriſtianam fidem in ſua legis verba profitemur; renunciaſſe nos Diabolo & pompis ejus, ore noſtro conteſtamur.* Alter vero in Op. contra Julian. L. 11. *recole, quemadmodum in Eccleſia Chriſti - - Baptismatis myſteria celebrentur; & invenies, quod abrenuncient & parvuli per ora geſtantium, ſicut credunt per ora geſtantium.* His Exorciſmus & exſufflatio ſubjicitur eo fine, ut ritu hoc Dæmon, cui abrenunciarunt Catechumeni, ab eis longe depellatur. *Eccleſia filios fidelium*, inquit Auguſt. L. 6. contra Julian. *nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & a principe mortis erueret.* Et infra: *id tu commemorare timuiſti, tanquam ipſe ab orbe toto exſufflandus eſſes, ſi huic exſufflationi, qua Princeps mundi a parvulis ejicitur foras, contradicere voluiſſes.* Reliquos PP. veteres apud laud. Bellarminum reperies. Intra exſufflationem porro & Exorcismum ſal deguſtandum datur Catechumeno, ad ſignificandum vitæ incorruptionem & bonorum operum ſaporem; quanquam & aliæ ab aliis cauſæ aſſignentur. Cæremoniæ hujus meminit Origenes Hom.

6.

6. ſuper Ezech. & Concil. Carthag. III. Anno 397. celebratum Can. 5. & plures alii PP. cit. a Joſepho Vicecom. L. 2. de antiqu. Bapt. rit.

II. Poſt exorciſmum Saliva, cineri modico permixta, tanguntur aures, nares, & lingua, ac dicitur: *ephphetha*, id eſt, *adaperire*, idque in Latina Eccleſia dumtaxat: in Græca enim ritum hunc non eſſe in uſu probat Græcorum Patrum & Euchologiorum de eo ſilentium. Originem, antiquitatem, & myſticam ſignificationem hujus cæremoniæ ſi requiras, audi Ambroſium L. de Myſter. C. 1. ubi fideles alloquens, *aperite ergo aures*, inquit, *& bonum odorem vitæ æternæ in allato vobis munere Sacramentorum carpite; quod vobis ſignificavimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus ephphetha, quod eſt, adaperire - - hoc myſterium celebravit in Evangelio Chriſtus, cum mutum curaret & ſurdum* Marci 7. In eumdem ſenſum loquitur L. 1. de Sacramentis C. 1. quamquam autem opus hoc quidam alterius cujuſdam vetuſti Authoris eſſe velint, plurimi attamen illud Ambroſio attribuunt. Satis vero vel ex his diſcimus, ritum hunc longe ante S. Ambroſii ætatem in uſu fuiſſe: eumdem ſimul originem ducere ab exemplo Chriſti, qui Marci 7. ſurdum & mutum ſaliva, item Joan. 9. cœcum luto, ex terra & ſputo facto, liniens ſanavit. Ritus idem ſymbolum eſt, quo ſignificatur, Chriſtianum aperire debere aures & linguam ad audienda & proferenda eloquia Dei: neque niſi fidei ac devotionis fragrantiam & odorem percipere. 140

III. Ante ipſum denique Baptiſmum unguntur Catechumeni oleo in pectore & ſcapulis. Unctionis hujus Cæremonia antiquiſſima omnino eſt, niſi quod in primæva Eccleſia non ſcapulæ modo & pectus, ſed totum corpus unctum fuerit. Lege in hanc rem Cyrillum Hieroſ. Catech. Myſtag. 2. Hieron. in Cap. 2. Jerem. Baſilium L. de Spir. S. Cap. 27. ubi ritum hunc a Traditione Apoſtolica repetit. Myſticam vero ejus ſignificationem quod attinet, de ea ſcribens 141

Innoc. III. a S. Thoma 3. p. qu. 66. Art. 10. ad 2. citatus ita habet: *baptizandus in pectore inungitur, ut per Spiritus S. donum abjiciat errorem & ignorantiam, fidem rectam suscipiat - - inter scapulas autem inungitur, ut per Spiritus S. gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat, - - ut per fidei Sacramentum sit munditia cognitionum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis &c.* In eumdem sensum loquitur Ivo Carnoten. Serm. de Sacramentor. Dedicat.

De Ritibus Baptismum consequentibus.

142 I. BAptismo peracto Neophytus in vertice capitis ungitur sancto Chrismate. Unctionem hanc Bellarminus introductam putat propterea, quod non semper adfuerit Episcopus, qui continuo post Baptismum ex usu veteris Ecclesiæ Confirmationis Sacramentum conferre potuerit. Utut istud se habeat: de antiquitate ritus dubitare non licet, cum ejus meminerint vetustissima Ritualia apud Martene & Goarium, Patres item fere omnes jam sæpius laudati, præsertim Damasus in vita Sylvestri, Innocentius I. Ep. 1. C. 3. & Hieronymus in Dial. contra Lucif. ubi simul monet, Presbyteris non licere sine Chrismate baptizare. Mysterium unctionis hujus ex mente Ivonis Carnoten. Serm. 4. de Sacram. eo refertur, *ut charitas, quæ per Spiritum S. datur, semper abundet in corde secundum illud Eccl. 9. oleum de capite tuo non deficiat.* Alii unctione hac significari putant, Christianos in Baptismo fieri participes Sacerdotii Christi & regiæ ejus dignitatis juxta illud 1. Petri 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium &c.* Post Unctionem imponitur Neophyto tunicella, seu linteum candidum, ad significandam puritatem in Baptismo acceptam. Ritus hic reliquiæ sunt veteris illius consuetudinis, cujus meminimus supra N. 135. & 136. Ejusdem testimonium habetur

ex

ex Ambrosio L. de Myster. C. 7. Dionysio Areop. de Eccl. Hierar. Cap. 1. & 2. Augustino 157. de Temp. & aliis.

143 II. Ultima demum Baptismi cæremonia est, cum Neophyto: aut vice ejus Patrino porrigitur accensus cereus. De hac, præter alios, legere est apud Gregorium Naz. Orat. in Bapt. sub finem, Augustinum in Ps. 65. & Gregorium Turon. L. 5. Hist. C. 11. Gregorii Nazianz. verba recitare libet: *Baptismus*, inquit, *luminum nomine appellatur, quod purget & illustret; unde etiam fit, ut faces eo tempore in lætitiæ signum accendamus.* Ex his autem patet ritum hunc adhiberi in symbolum fidei illuminantis, ac (quod addit Bellarm.) in tesseram acceptæ in Baptismo gratiæ, per quam transferimur a potestate tenebrarum ad lumen & sortem Sanctorum. Ex mente vero Ivonis Carnot. Serm. de Sacram. Neoph. *ad ultimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii: sic luceat lux vestra &c.*

Hæc jam vero vel compendio notata satis indicant, Baptismi Cæremonias, quas ex usu hodierno Ecclesiæ adhibemus, nec novitias, nec superstitiosas esse. Ob mysticum videlicet sensum, qui illis inest, ordinantur ad cultum divinum, & ad sacrorum mysteriorum venerationem, pietatemque fidelium animis ingenerandam. Eædem præterea, immo & longe plures aliæ, a primævæ Ecclesiæ fidelibus observatæ sunt. Cessent itaque Sectarii sacros hos Baptismi ritus cavillis suis impetere, noverintque se illis, non nobis dumtaxat, sed toti retro sanctæ fidelium antiquitati simul esse injurios. Qui plura demum de Baptismi ritibus nosse velit, consulat Authorem Ordinis Romani, Alcuinum, Amalarium & Rabanum a Bellarmino L. de Bapt. C. 24. laudatos, cumprimis autem Josephum Vicecomitem, qui LL. 5. Baptismi ritus copiose ac erudite explicat.

LIBER III.
DE
Confirmatione.

BAptismo subjicimus Confirmationis Sacramentum, quatuor Dissertationibus de eo disceptaturi; I. aget de Natura & Institutione hujus Sacramenti. II. De ejus Effectibus & Necessitate. III. De Ministro & Subjecto. IV. De Cæremoniis. Ne autem a proposito discedamus, Conciliorum Decreta præmittenda sunt.

CANONES CONCILII TRIDENTINI.
Ex Decreto Sessionis VII. de Confirmatione.

I. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

II. Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

III. Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

DECRETA ALIORUM CONCILIORUM.

Concil. Eliberitanum in Hispania sub An. 305. *celebratum, quamvis non sit œcumenicum, propter antiquitatem attamen commemorandum censui. Meminit vero illud Sacramenti Confirmationis Can.* 38. *ubi, postquam statuit, Catechumenum in necessi-*

tate

tate infirmitatis positum posse baptizari etiam a Laico, *adjicit* : ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit. *Item Can.* 77. si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizavit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.

Constantinopolitanum I. An. 381. *Can.* 7. *de Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus*, *loquens*, *ita habet* : signatos & unctos primo sacro unguento in fronte, oculis, in naribus, in ore, & in auribus in Ecclesiam admittimus : & signantes eos dicimus : signaculum doni Spiritus Sancti.

Concilium Florentinum in Decr. Eugenii pro Armenis : secundum, *inquit*, Sacramentum est Confirmatio ; cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ ; forma autem est : signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.

Idem Florent. in cit. Decr. de Confirmationis effectu ait : per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide. *De Ministro item* : Confirmationis ordinarius Minister est Episcopus - - legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili & urgente causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Sacramentum.

Propositiones, *quæ in præsenti materia damnatæ forent a Summis Pontificibus*, *occurrunt nullæ*.

DISSERTATIO I.
DE NATURA ET INSTITUTIONE CONFIRMATIONIS.

§. I.

Quid nomine Confirmationis veniat? Et, an ea sit verum novæ Legis Sacramentum?

ALtero inter Sacramenta loco Confirmatio numeratur propterea, quod per eam gratia in Baptismo accepta non modo augeatur, sed & roboretur, ac in ea confirmemur: unde & nomen accepit. Nec novitium illud est: legitur quippe usurpatum jam in Concilio Arausicano I. An. 442. ab Arelatensi III. An. 455. quin & a Synodo Romana An. 315. sub Sylvestro; quanquam & aliis nominibus Sacramentum hoc PP. veteres non raro compellasse noverimus. Dicebatur nempe etiam *manus impositio*, *unguenti mysterium*, *Chrisma salutis*, *Chrisma Sanctum & supercœleste*, *signaculum Dominicum & spirituale*, *Sacramentum perfectionis vel consummationis aut plenitudinis* &c. ut videre est apud Cyprianum Ep. 71. ad Jubaj. Ambrosium L. de Myster. C. 7. Augustinum L. de Bapt. C. 16. & L. 2. contra Lit. Petit. ac alios. Vel hinc autem conjicias, veteres Confirmationis Sacramentum & agnovisse, & in pretio habuisse. Alius interim de eo est Sectariorum quorundam sensus; id hodie etiam totis viribus agunt, ut Confirmationem e Sacramentorum numero expungant. Ac de hoc quidem eorum errore primum commemoranda sunt aliqua: tum statuenda ex sensu Ecclesiæ Sacramenti Confirmationis definitio: demum ejus veritas contra Novatores asserenda.

Sectariorum Doctrina.

I. LUtherani & Calviniani negant Confirmationem esse verum Sacramentum, Lutherum & Calvinum secuti duces,

cœ-

cœcos cœci. Lutherus in L. de Capt. Bab. ita se explicat: *nos Sacramenta divinitus instituta quærimus, inter quæ ut Confirmationem numeremus, nullam invenimus causam. - - Satis est, pro quodam ritu Ecclesiastico, seu Cæremonia Sacramentali Confirmationem habere, similem cæteris cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum.* Major est Calvini licentia in Confirmatione insectanda, ut qui ne inter ritus quidem sacros eam referendam existimaverit; quin L. 4. Instit. C. 19. non est veritus eam compellare *vacuum & frigidum signum, abortivam Sacramenti larvam, Baptismi contumeliam, oleum Diaboli mendacio pollutum* &c. ac demum in Antid. Conc. Trid. ad Can. 1. de Confirm. *ex eorum*, ait, *numero me nequaquam esse profiteor, qui otiosam Confirmationis cæremoniam esse putant, - - utpote qui eam inter maxime exitiales Satanæ præstigias numerem.* His non absimilia legas apud Melanchtonem, Kemnitium, Antonium de Dominis, & alios qua Lutheri, qua Calvini asseclas, in eumdem de Confirmatione errorem hodie jam penitus consentientes. Non prætereundum attamen, in Conciliabulo Lipsiensi An. 1548. Theologos Lipsienses & Wittembergenses religioni sibi non duxisse a Magistri sui doctrina recedere, cum sancirent: *septem admittenda Sacramenta, ac in hoc numero ponendam esse Confirmationem.* Neque interim posteros nacti sunt sectatores; Lutheri ac Calvini sententia denique obtinuit apud Novatores.

II. Num ante Lutherum & Calvinum fuerint ejusdem de Confirmatione erroris Sectarii, incertum est: quin verisimilius videtur, nullos fuisse. Provocant equidem Novatores nostri ad Novatianos, Valdenses, Wiclefitas, & Hussitas. At erraverint hi, aut negando ullum de Confirmatione suscipienda esse præceptum: aut ordinariam ejus administrationem simplici Sacerdoti concedendo; non comperiuntur attamen ipsam Sacramenti Confirmationis veritatem negasse. Non primum Novatiani: neque enim ipsis hunc errorem attribuunt ac 2

curati Hæresum Scriptores, Epiphanius, Augustinus, Philastrius Brixien. & Joannes Damascenus; quin Cyprianus Ep. 76. ad Magnum supponit eos confirmasse, cum eo loco probet, Baptismi & Confirmationis Sacramentum a Novatianis collatum esse invalidum. Non etiam Valdenses: nam in Confessione fidei Uladislao Regi Hungariæ oblata, ac etiam in Apologetica ad eumdem Oratione professi sunt septem Sacramenta, ac inter hæc *Sacramentum Confirmationis etiam temporibus Apostolorum observatum.* Non denique Wiclefitæ & Hussitæ: tota certe Wiclefi doctrina in ejus *Trialogo* continetur, nec tamen illic reperias lædi vel verbo Sacramenti Confirmationis veritatem; imo inter ipsos Wiclefi Articulos a Concilio Constantiensi Sess. 8. damnatos, unicus est de Confirmatione, nempe 28. in hoc autem non Sacramenti veritas, sed Minister dumtaxat ejus impetitur. Idem est de Hussitis, cum Joannes Hus (teste Ænea Sylvio) ab opinionibus Wiclefi nec latum unguem discesserit, omnem veritatem in ejus libris contineri professus. Verisimilius itaque est, nullum ex tota retro antiquitate, ne ex hæreticorum quidem scholis, proferri posse erroris hujus exemplum: primosque Lutherum & Calvinum fuisse, qui ad impugnandam Sacramenti Confirmationis veritatem signa sustulerint. Quanquam, tametsi eis ultro concedatur hæc causæ societas, quod tandem erit patrocinium, in communionem venire cum fidei hostibus? nisi forte patrocinium esse velint: ejusdem criminis habuisse socios.

Definitio Confirmationis.

Confirmatio est Sacramentum, quo confertur baptizatis Spiritus S. robur, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide confitendam.

3 RECepta est apud Orthodoxos hæc definitio, ac plane congruit cum descriptione, quam legimus in Catech. Concilii Tri-

Tridentini P. 2. de Sacr. Tit. de Confirm. Dicitur vero in ea, per Confirmationem conferri *Spiritus S. robur, cum ad* &c. cum enim Sacramentis omnibus commune ſit operari gratiam Spiritus Sancti, Confirmatio id peculiare habet præterea, quod conferat *gratiam roboris*, ſeu gratiam cum ea plenitudine, quæ confirmatum perficiat ac corroboret ad fidem Chriſti conſtanter profitendam, ita ut (quod laudatus Catech. habet) *novæ virtutis robore firmior, perfectus Chriſti miles eſſe incipiat.* Conſulto etiam additur: *confertur baptizatis* &c. quo ſignificatur Confirmationis Sacramentum non niſi in homine Sacris undis abluto ratum eſſe poſſe, ut conſtat ex Zachariæ Sec. VIII. Pontificis Reſponſo in Ep. ad Bonifacium: tum etiam ex eo, quod Baptismus ſit univerſim omnium Sacramentorum janua.

Vel hinc autem conficias, quod quamvis Baptismus ſit maxime conjunctus cum Confirmatione, ut loquitur S. Melchiades Papa in Ep. ad Epp. Hiſp. cit. *de Conſecr.* diſt. 5. Cap. *de his*: diverſitatem attamen inter utrumque eſſe, non tantum quoad materiam & formam, quod patebit ex §. III. & IV. verum etiam quoad gratiæ effectum. Hinc ipſe Melchiades in Ep. laudata utriuſque diſcrimen pluribus deſcribit: *in Baptismate,* inquit, *ad militiam recipitur homo, in Confirmatione coarmatur ad pugnam: in fonte Baptismatis* Spiritus *S. plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat: in Baptismo regeneramur ad vitam, poſt Baptismum ad pugnam confirmamur: in Baptismo abluimur, poſt Baptismum roboramur: regeneratio per ſe ſalvat in pace Baptismum recipientes, Confirmatio armat & inſtruit ad agones.* Hac jam vero & definitione & differentia Sacramenti Confirmationis præmiſſa, de ejus etiam veritate ſit

ASSERTIO.

Confirmatio est verum & proprie dictum Legis Evangelicæ Sacramentum.

Assertio hæc est de fide post claram Concilii Trident. Sess. 7. Can. 1. de Sacram. in Gen. & Can. 1. de Confirm. definitionem: in qua jam præiverat Eugenius IV. cum in Decr. pro Arm. septem novæ Legis Sacramenta recensens, *secundum*, ait, *Sacramentum est Confirmatio.* Reliquum est igitur, ut ejus veritatem contra Novatores comprobemus duplici Argumento; altero quidem ex S. Literis: ex Universalis Ecclesiæ Traditione altero.

4 Argumentum I. ex S. Literis suggerunt cumprimis Actus Apost. ubi Cap. 8. legitur: *cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini JEsu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et rursum Cap. 19. *his auditis baptizati sunt in nomine Domini JEsu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

Ex his jam sic arguo; per ipsos Novatores tota Sacramenti ratio habetur, cum adest signum sensibile a Christo institutum cum promissione gratiæ sanctificantis; at hæc confirmationi convenire ex laudatis Scripturæ locis recte infertur; igitur ex Sacris Literis conficitur, Confirmationem esse verum Sacramentum. Nec ambigi potest de Min. propositionis veritate, si Scripturæ attendantur verba. *Oraverunt & imponebant manus* Apostoli; en signum sensibile! Cum autem manus imponerent, *Spiritum S. accipiebant fideles;* en! non promissam tantum, sed collatam etiam per hoc sensibile signum

Spi-

Spiritus Sancti gratiam! Denique *imponebant manus* super fideles, ut acciperent Spiritum Sanctum; an vero ritum illum, & in hunc quidem finem usurpassent Apostoli, nisi ad id potestatem a Christo accepissent, huncque ipsum exteriorem ritum in eum finem Christus instituisset?

At mandatum forte Christi ritu hoc utendi, & perpetuum ejus in Ecclesia usum præterea requirent Novatores? neque istud deest. An enim Christus, qui hanc potestatem Apostolis contulit, non eos etiam illa uti voluit? præsertim cum usus ejus non utilis modo, sed & necessarius sit sæpe fidelibus ad salutem, quam institutione sua spectavit Christus. Sed nec de perpetuo Confirmationis in Ecclesia usu dubitari potest, ut ex Argumento altero pronum erit judicare.

Argumentum II. ex universalis Ecclesiæ Traditione indubitatum est, si Patres & Concilia præsertim Seculorum primorum, hanc ipsam doctrinam tradiderint, ac in eam Orientalis etiam Ecclesia consentiat. Ita autem rem se habere, evincunt primum

E Patribus: Tertullianns L. de Bapt. C. 7. *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.* Et C. 8. L. de Resur. Car. *caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur; caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Aperte hic Tertullianus designat tria Sacramenta, quæ Neophytis continuo dari solebant, Baptismum videlicet, Confirmationem, & Eucharistiam. Cyprianus Ep. 73. *quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequantur.* Cyrillus Hierosol. in Catech. 3. ex proposito agens de Sacram. Confirm. *vobis*, inquit, *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod imaginem gerit* il-

illius, *quo unctus est Christus;* hoc autem est Spiritus Sanctus, seu gratia Spiritus Sancti, in effectu nempe. Deinde, proposito Christi adversarium vincentis exemplo, subdit: *sic & vos post Sacrum Baptisma & Chrisma mysticum induti armis Spiritus Sancti adversus vobis oppositam potestatem consistatis & præliemini* &c. Ambrosius de Myst. L. 3. C. 2. post Baptismum *sequitur spiritale signaculum*, *quod audistis hodie legi; quia post fontem superest*, *ut perfectio fiat*, *quando ad invocationem Spiritus S. infunditur*. Augustinus denique L. 2. contra Lit. Petit. C. 104. *in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari*, *quod in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est*, *sicut ipse Baptismus*. En primorum quinque Seculorum Patres! his si plures cupias, adi Bellarminum L. de Confirm. C. 3. 5. & 6.

Ex Conciliis, præter Eliberitanum, Florentinum, & Tridentinum, jam pro fronte hujus Libri citata, huc facit Nicænum I. quod Can. 1. decrevit, *Novatianos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem*. Hanc vero fuisse Confirmatoriam gravis conjectura est: cum enim progressu temporis (teste Theodoret. L. 3. Hæret. Fab.) Novatiani, Magistri sui exemplum secuti, Sacramentum Confirmationis non contulerint, gravis conjectura est, voluisse Concilium redeuntibus illis manus imponi in Confirmationem. Istud interim pro certo haberi nolim. Magis hoc loco laudandum est Concil. Constantinopolit. I. pro fronte Libri cit. Item Arausicanum I. An. 441. quod Can. 2. sub medium ita habet: *de eo autem*, *qui in Baptismate quacumque necessitate faciente non Chrismatus fuerit*, *in Confirmatione Sacerdos commonebitur*. Per *Sacerdotem* hic intelligitur Episcopus ex usu loquendi quorundam veterum, ut colligitur ex L. 7. Const. Apost. Can. 42. ac etiam Tertull. L. de Bap. C. 17. Denique Hispalense II. An. 619. nominandum est: nam Cap. 7. enumerans ea, quæ Presbyteris simplicibus ministrare

non.

non licet, *nec per impositionem manus*, inquit, *fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare.* His adde Arelatense I. & II. Laodicenum, Aurelianense & Meldense apud Bellar. L. de Confirm. C. 4. relata.

Demum Orientalis Ecclesiæ in præsenti cum Latinis consensionem evincunt Græcorum, Armenorum, Æthiopum, & reliquorum Orientalium Libri Rituales, qui (teste Auth. Perp. Fid. Tom. 5.) tam Confirmationem ministrandam, quam ritum in ea observandum præscribunt. His adde Orientalium, ac nominatim Philoxeni Ep. Hieropolitani, B. Jacobi Ep. Edesseni, Joannis Patr. Antiocheni, & Nestorianorum Liturgias a Renaudotio in Liturg. Orient. Collect. Tom. II. editas: e quibus Cl. hic Author in suis ibid. eruditis Notis dilucide ostendit, Orientales has Ecclesias ejusdem nobiscum de Sacramento Confirmationis ejusque charactere esse sententiæ. Idem denique docemur ex Censura Jeremiæ Patriarchæ Constantinop. & Constantinopolitana, Jassensi, ac Hierosolymitana Synodis, in quibus Cyrillum Lascar, facta ad Calvinianos defectione, septem esse Sacramenta negantem, solemnibus Decretis condemnatum memoravimus supra L. I. Dis. II. §. II. N. 5.

Non est itaque, quod Calviniani nobis objectent *Confessionem Orientalem* a *Cyrillo* vulgatam. Nunquam certo illa ab Orientalibus pro legitima est habita; quin potius ut *pseudoconfessio* (Authore etiam ejus in memoratis Synodis condemnato) rejecta, ac continuo confutata a Georgio Coressio, Gregorio Proto-Syncello, Cyrillo Beræensi, & cumprimis Meletio Syrigo peculiari Tractatu contra Cyrillum Lascar An. 1640. edito. Consule de argumento hoc copiose disserentem Authorem Perp. Fid. Tom. 4. & 5. ac ex eo Aut. de Re Sacram. L. 3. Quæst. 1. C. 1.

 Dilu-

Diluuntur Dallæi Objectiones.

E Novatoribus Recentioribus Joannes Dallæus Calvinianus, ſtudio præ aliis majore, ſuæ & Lutheranæ Sectæ adverſus Confirmationis Sacramentum argumenta collegit, eademque, tribus in hanc rem Libris conſcriptis, vulgavit. Quo itaque Adverſariis occurramus, ſatis fuerit Dallæum argutantem audire, & refellere. Ita autem

6 Objicit I. ex S. Literis. Loca Scripturæ ad probandam Aſſertionem laudata memorant ſolam impoſitionem manuum, non autem etiam unctionem, per quam hodie ex uſu Catholicæ Eccleſiæ perficitur Confirmatio: in iisdem præterea legitur, per Spiritum Sanctum, ſuper eos, quibus manus imponebantur, advenientem, collatum quidem fuiſſe donum linguarum & prophetiæ, non autem perinde etiam dōnum gratiæ interioris corroborantis, qui proprius dicitur Sacramenti Confirmationis effectus; ergo ex S. Literis non recte infertur Confirmationem, de qua iſthic agimus, eſſe verum Sacramentum.

Reſp. ad I. Antec. partem: Scripturæ ſilentium de unctione non eſt certum argumentum exiſtimandi ea Apoſtolos nunquam fuiſſe uſos, ut jam alias in ſimili ex Joan. 20. & 21. teſtimonio dictum eſt; præſertim cum Traditio, qua docemur antiquum fuiſſe in Eccleſia unctionis uſum, non improbabile ſuggerat fundamentum aſſerendi, ipſos etiam Apoſtolos cum impoſitione manuum ſimul unctionis ritum quandoque ſaltem adhibuiſſe. Utut interim ſit iſtud: ex S. Literis Sacramenti Confirmationis veritas ſufficienter probatur vel ideo, quod ex illis conſtet de ſigno aliquo ſenſibili, quale utique eſt manuum impoſitio; neque enim negamus, hodie etiam apud DD. Orthodoxos diſceptari de Confirmationis materia eſſentiali, ut patebit ex §. III.

Reſp. ad II. par. ejuſdem propoſitionis: in cit. Scripturæ locis ſufficienter ſignificari fidelibus his, non tantum lingua-

rum

rum & prophetiæ, verum etiam gratiæ interioris donum fuisse collatum. Ratio in hanc rem est 1*mo:* nam fidelibus illis idem, qui Apostolis, conferebatur Spiritus Sanctus juxta illud Act. 11. v. 15. ubi Petrus, *cecidit Spiritus S. super eos*, inquit, *sicut in nos in initio;* Apostoli autem acceperunt Spiritum S. non mere quoad dona exteriora, sed cumprimis quoad interiorem roboris gratiam, ut colligitur ex intrepida eorum fidei professione & prædicatione, ac etiam Christi promissione Act. 1. *accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti.* Ratio est 2*do:* quia Spiritus S. per manuum Apostolicarum impositionem datus est ille idem, de quo Christus dixit Joan. 14. *rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum - - quem mundus non potest accipere - - apud vos manebit, & in vobis erit &c.* Jam vero dona illa externa non fuerunt diuturna, capaxque eorum est etiam mundus, seu infideles & peccatores; præter dona igitur hæc dabatur etiam interior Spiritus S. gratia, quæ etiamnum manet in fidelibus, quamque mundus non potest accipere.

Universim porro Asserti hujus nostri fundamentum habemus in Patribus. Etenim S. Irenæus, qui Sec. II. floruit, fuitque Discipulus Polycarpi, auditoris S. Joannis Evang. L. 4. C. 75. scribit, Apostolos per manuum impositionem contulisse Spiritum Sanctum, qui est *esca vitæ*; ex mente itaque Irenæi non conferebantur sola linguarum aut prophetiæ dona; verum etiam Spiritus S. qui esset per gratiam interiorem *vitæ esca*, cujus proprium est *augere & roborare.* Idem colligitur ex S. Cypriano Ep. 73. dicente: *quod nunc quoque apud nos geritur* (nempe quod observarunt Apostoli) *ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur;* at Cypriani ætate fideles per manus impositionem non consequebantur Spiritum Sanctum quoad dona linguarum

& prophetiæ; ergo Apoſtolorum temporibus, præter hæc dona exteriora Sancti Spiritus, conſequebantur etiam internum gratiæ donum. Adverſus iſtud attamen

7 Inſtat Dallæus: baptizatis a Philippo Act. 8. per impoſitionem manuum Apoſtolicarum conferebatur Spiritus Sanctus; ſed non is utique, qui pro gratia interiore ſumitur, hanc enim jam in Baptismo acceperant; ergo is tantum, cujus nomine intelligitur donum linguarum, prophetiæ & miraculorum.

Reſp. Diſt. Min. non is, qui pro gratia interiore regenerante ſumitur, Conc. non etiam is, qui venit nomine gratiæ roborantis & confortantis, Nego Min. & illat. Primam omnino gratiam memorati fideles in Baptismo acceperant: non item etiam alteram. Idem certe & Apoſtolis eveniſſe novimus; quamvis enim jam ante Paſſionem Chriſti haberent Spiritus S. gratiam, qua plene emundarentur, ut colligunt PP. ex illo Joan. 13. *qui lotus eſt* &c. plenitudinem attamen & virtutem Spiritus S. gratiæ non niſi poſt Aſcenſionem Chriſti in Pentecoſte ſunt conſecuti juxta promiſſionem Act. 1. factam: *baptizabimini in Spiritu Sancto, - - accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti, & eritis mihi teſtes* &c.

8 Objicit II. non poſſe Traditionis authoritate probari Confirmationem eſſe Sacramentum. Qui enim, inquit, Traditione iſtud doceamur, cum primis duobus Seculis Sacramentum hoc Eccleſia ignoraverit? ignoraſſe autem inde arguit, quod Clemens Rom. Juſtinus, Athenagoras, & alii Patres, qui Sec. I. & II. floruerunt, quorumque Scripta extant, nuſpiam Confirmationis meminerint; doctrina igitur hæc, infert, non eſt ab Apoſtolis tradita, ſed fœtus poſterioris ævi.

Reſp. I. tametſi hoc Patrum ſilentium ultro concedamus, nondum erit, unde plaudat Dallæus. Etenim 1*mo*, ut dogma aliquod certum eſſe conſtet, neceſſe non eſt, omnes ſcriptores ejus meminiſſe: modo veritas illius aliunde ſatis innoteſcat. Ne ipſius quidem Baptismi mentionem reperies in Athe-

na-

nagoræ, Theophili & Tatiani Scriptis; nec tamen propterea vel Dallæus censuerit Baptismum e Sacramentorum numero expungendum. *2do* silentii hujus ratio esse potest multiplex: seu quod hoc argumenti genus ad propositum eorum non pertinuerit; seu quod ejus pertractandi necessitas tum nulla fuerit, ut in simili notavimus L. I. Diss. II. N. 48. & sequ. *3tio* denique, quia omnia veterum Patrum Scripta ad nos non pervenerunt; quin eorum etiam, quæ extant, multa esse manca & mutila certum est. Non igitur continuo propterea existimandum, penitus siluisse laudatos PP. de Confirmatione, quod de ea in modernis eorum Operibus nihil legamus.

Resp. II. Non tam pertinax esse in præsenti Patrum I. & II. Seculi silentium, ut vult Dallæus. Ipsum certe Clementem Rom. pro I. Sec. jure possumus laudare; nam L. 3. Constit. C. 16. ait: *postea Episcopus baptizatos ungat chrismate*, & C. 17. *Chrisma Confirmatio Confessionis est*, tum Ep. 4. *omnibus festinandum est renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo* &c. *Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus S. gratia ab Episcopo, ut memoratum est, confirmatus* &c. Quia interim scripta hæc pro supposititiis habent Recentiores quidam cum Labæo, libet proferre aliud Clementis Rom. testimonium, ex ejus videlicet Ep. ad Corinthios, quam pro germano Clementis fœtu Eruditi agnoscunt; in hac autem inter alia dona, quæ Corinthii acceperant, Confirmationem numerans, *plena etiam*, inquit, *super omnes effusio Spiritus Sancti facta est*, ut apud primos Christianos per impositionem manuum. Pro Sec. II. fit S. Irenæus N. 6. cit. & illi coævus Tertullianus, de quo dictum Num. 5. His adde Dionysium Areop. de Eccl. Hierar. C. 3. & 4. ubi Chrisma, *deificum unguentum*, unctionem vero per illud factam, *divinæ generationis Sacrosanctam perfectionem* compellat. Legatur in hanc rem & Justinus M. Qu. 137. ad Orthodoxos, Theophilus item Alex. in Op. ad Autolycum.

9 Instat I. Patres ac Scriptores posterioris etiam ævi Confirmationis nomine baptizandorum Catechesim intelligunt: aut certe non aliud, quam ritum Baptismi, eamque ipsam Chrismatis unctionem, quæ mox a Baptismo adhibetur: hinc etiam eumdem prorsus illi, quem Baptismo, effectum attribuunt; nequit igitur ex Traditione ostendi, Confirmationem esse peculiare quoddam Sacramentum.

Resp. N. Assertum, quod Dallæus nulla vel verisimili ratione aut authoritate confirmat. Ac ut singula refellam paucis: Catechesis præmittebatur Baptismo, neque ea ad Infantes, ut pote ejus incapaces, pertinebat; Confirmatio contra ipsis etiam Infantibus, ac non nisi post Baptismum conferebatur, ut constat ex omnibus Libris Ritualibus, Ordine Rom. C. de Ord. Sabbati Sancti, Augustino Tract. 6. in 1. Ep. Joan. & aliis; non est igitur Confirmatio idem, quod Catechesis. Sed nec eadem ex mente Patrum est merus Baptismi ritus vel ideo, quod secundum eos alius sit Baptismi Solemnis Minister a Ministro Confirmationis, ut videbimus Diss. III. §. I. Ex hoc ipso autem patet, unctionem Baptismalem a Confirmatoria diversam esse; quid quod præterea hæc in fronte fiat, illa vero in vertice; uti hanc ipsam diversitatem L. I. de Instit. Cleric. C. 28. notat Rabanus, quem tamen suarum esse partium voluit Dallæus. Denique, non eumdem etiam esse unctionis baptismalis effectum ac Confirmatoriæ, clarum est ex pluribus jam ante L. I. & II. sparsim dictis, & amplius patebit ex dicendis hoc L. Diss. II. §. I. Atque hoc ipsum discere poterat Dallæus vel ex Rabano, cujus authoritate rursum in præsenti pugnat. *Signatur*, inquit ille cit. L. C. 30, *baptizatus chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem in fronte; ut priori unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus S. gratia septiformis cum omni plenitudine Sanctitatis & Scientiæ & virtutis venire in hominem* de-

declaretur. Nihil his certe clarius adferre poterat ad diversitatem effectuum assignandam.

Instat II. non posse saltem firmari Traditionem consensione Orientalis Ecclesiæ. Nempe (ut arguit Dallæus) Græci in suis Euchologiis Baptismum & Unctionem Confirmatoriam uno complectuntur Officio, cui titulus, *Ordo Baptismatis;* iidem ab Eucharistiæ perceptione arcent non *chrismatos;* censent igitur *Chrismationem confirmatoriam* eumdem esse cum Baptismo ritum, præsertim cum a Sacra Mensa prohibeantur solum nondum baptizati, aut gravis noxæ rei. Præterea, Sacramentum Confirmationis penitus ignorari ait ab Æthiopibus, Chaldæis, Arabibus, Armenis & aliis in Oriente Christianis, istudque confirmat testimonio Alvarezii in Itiner. Antonii Govea, Guidonis Carmelitæ, Prateoli, & aliorum; non est ergo ea, quam asserimus, de Sacramento Confirmationis Ecclesiarum consensio. 10

Resp. Nego Assertum, idque conformiter ad dicta N. 5. rursumque, ut ibi, appello Authorem Perp. Fid. ex proposito istud multis comprobantem ex Orientalium Ritualibus libris & scriptoribus. Renaudotium item in Collect. Liturgiarum Orientalium, & ejusdem Notis ad illas. Idem etiam evincit authoritas Ecclesiæ Orientalis Patrum, ut Firmiliani in Ep. inter Cyprianicas 75. Cyrilli Hierosf. in 3. Catech. Chrysostomi Hom. 18. in Acta, & Concilii Laodiceni Can. 48.

Nominatim vero ad prob. Asserti primam dico: apud Græcos Confirmationem sub Officio Baptismatis contineri propterea, quod ea ex ritu veteri statim a Baptismo conferatur; ex ipsis interim eorum Euchologiis patet, distinguere illos Confirmationem a Baptismo. Causa eadem est illis non confirmatos arcendi a Mensa Eucharistica: vetus videlicet consuetudo erat Ecclesiæ, simul cum Baptismo Confirmationem & Eucharistiam ministrandi, ut jam alias dictum. Quod ad probationem Asserti alteram attinet: Author. Perp. Fid.

spar-

ſparſim Tom. 3. 4. & 5. authentica profert teſtimonia, ab ipſis Ægyptiis, Syris, Armenis, aliisque Orientalibus ſignata, quæ teſtantur ab eorum Eccleſiis Confirmationem pro Sacramento recipi: ut adeo univerſim ſuſtineri non poſſit, quod ex laudatis ſcriptoribus aſſerit Dallæus. Non negaverim interim, aliquos in regionibus illis reperiri, qui ſchismatis aut ruditatis vitio laborantes Sacramenti hujus notitiam non habeant, in quos forte memorati ſcriptores incurrerant; at a particularibus his ad univerſam Orientis Eccleſiam argumentum duci nequit.

Objectiones reliquæ, quas Dallæus ex Orthodoxorum Theologorum de Confirmationis inſtitutione, materia & forma, ritusque varietate diſſidiis adornat, facile diluuntur partim ex iis, quæ in ſimili jam L. I. & II. dicta ſunt: partim ex dicendis per decurſum hujus Libri.

§. II.

An, & quando ſit a Chriſto inſtitutum Confirmationis Sacramentum?

Opiniones variæ.

11 UNa eſt Novatorum ſententia, Confirmationis Cæremoniam eſſe inventum mere humanum; cujus ipſius authorem eorum aliqui Melchiadem Papam faciunt. Orthodoxi contra omnes, uti aliorum Sacramentorum, ſic & Confirmationis inſtitutionem ad Chriſtum referunt: neque niſi in ejus modo ac tempore deſignandis invicem diſſident.

Et de modo inſtitutionis quidem lis in eo eſt: num Chriſtus immediate per ſe ipſum, an mediate tantum per Apoſtolos vel Eccleſiam Confirmationis Author fuerit? Nec deſunt omnino Doctorum aliqui, qui teſte D. Thoma 3. par. qu. 72. Art. 1. ad 1. alterum aſſerant; quos inter cumprimis nominan-

nandus est Alensis, Confirmationis institutionem Concilio Meldensi attribuens. Plurimi interim, præsertim post Tridentinum, ab ipso immediate Christo institutum Confirmationis Sacramentum docent. At hos inter rursum

De institutionis tempore major est controversia. Henriquez & Basilius Legion. ipsa imo Synodus Senonensis censuit, tum esse Confirmationem a Christo institutam, cum Matth. 19. parvulis manus imponeret. Maurus & Mastrius cum Suarez in supra cit. D. Thomæ locum Disp. 32. Sect. 2. id factum putant in Cœna ultima, argumento ex Ep. Fabiani Papæ ducto. Alii cum laud. Doct. Angelico dicunt, sola promissione hoc Sacramentum instituisse Christum, idque eo tempore, quo Joan. 16. promisit se missurum Spiritum Sanctum: cum ex adverso Scotus in 4. dist. 7. qu. 1. cum suis existimet, ipsa etiam exhibitione eum fuisse Confirmationis authorem tum videlicet, cum Joan. 20. Apostolis re ipsa daret Spiritum Sanctum. Non desunt denique, qui ipsum Pentecostes diem institutionis hujus tempus esse velint. Ex tot variantibus Scholarum opinionibus quamlibet sequaris partem, parum refert, modo sua sit Orthodoxæ doctrinæ integritas. Atque de hoc agendum est primum: tum etiam de altero proferenda sententia.

ASSERTIO I.

Confirmationis Sacramentum est a Christo institutum.

Assertio hæc continet fidei dogma in Concil. Trid. Sess. 7. de Sacr. in gen. Can. I. definitum. Contra Novatores autem veritas ejus vel inde conficitur, quod per Confirmationem conferatur gratia sanctificans, ut jam dictum §. priore, & pluribus dicetur infra Diss. II. §. I. cum igitur solus Deus, aut Homo-Deus possit esse author gratiæ, solus pariter ille potest signo alicui adnectere gratiam, seu deinde signum illud ipse per se ipsum, seu per alium vicaria potestate determinet; 12

determinasse autem re ipsa Christum, patet ex facto Apostolorum, ad conferendam Spiritus S. gratiam impositionem manus adhibentium: quod utique facturi non erant, nisi hunc ipsum exteriorem ritum in eum finem Christus determinasset, aut certe determinandi illum potestatem iis contulisset. Ad istud confirmandum facit etiam summa in præsenti Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali consensio: ac denique ea, quæ de Sacramentorum institutione generatim dicta sunt. L. I. Diss. II. §. III.

ASSERTIO II.

Christus immediate per se ipsum Confirmationem instituit; certo attamen non constat, quod nominatim sit hujus institutionis tempus.

13 PArtis *1mæ* probatio petenda est ex paulo ante cit. L. I. Diss. II. §. III. ubi a N. 57. allata pro Sacramentis in genere Scripturæ & Patrum ac Concil. Tridentini testimonia, isthic speciatim pro Confirmationis institutione applicanda sunt.

Pro Parte *2da* id nunc dixisse sufficiat: nullum ab opinionis adversæ Patronis proferri argumentum, quo Confirmationis a Christo institutæ tempus certo determinari queat, ut patebit ex N. 17.

14 Animadvertendum interim: cum Christus aliquo suæ in terris commorationis tempore Confirmationem instituerit, id tum saltem eum utique præstitisse, dum post Resurrectionem, antequam Cœlum inscenderet, ipsis quadraginta diebus cum Apostolis conversatus, iis non modo virtutem supervenientis Spiritus Sancti, qui præcipuus Confirmationis effectus est, promisit; sed & cum Episcopalis muneris prærogativa, in mysticum Ecclesiæ corpus potestatem contulit illis Joan. 20. verbis, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ac dein post in-

insufflationem, *accipite Spiritum Sanctum*, *quorum* &c. Ac omnino, si de conjectura dumtaxat probabili fiat quæstio, verisimilius est, hoc illud fuisse Confirmationis a Christo institutæ tempus: cum in eo reperiamus & promissum Sacramenti effectum, & ejus Ministrorum authoritatem; opiniones autem aliæ multo infirmioribus nitantur conjecturis.

Respondetur ad Objecta.

Contra Assertionem I. Novatores ita arguunt. I. Apostoli non acceperunt a Christo Sacramentum Confirmationis, cum hujus in Scriptura nullum extet vestigium; ergo nec conferebant illud impositione manuum: quomodo enim darent, quod non acceperunt? ab Apostolica igitur illa manuum impositione nullum est argumentum dicendi, Christum instituisse Confirmationem. 15

II. Patres ipsi Confirmationis institutionem repetunt ab Ecclesiastica regula, a consuetudine Ecclesiarum, & voluntate Majorum; ergo Author ejus nequit dici Christus. Pro Asserti probatione laudant Cornelium Pap. qui apud Euseb. Hist. Eccl. L. 6. C. 43. de Novatiano ait: *sed neque postquam liberatus est a morbo*, *reliqua percepit*, *quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent*: *neque ab Episcopo consignatus est*. Item Hieronymum Dial. contra Lucif. ubi Luciferiano dicenti, *Ecclesiarum esse morem*, *ut baptizatis manus imponantur*, assentitur inquiens: *non abnuo*, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem* &c. Denique Augustinum, qui L. 3. de Bapt. C. 16. de Spiritu Sancto per manus impositionem collato agens, per eum, inquit, *hoc intelligi Majores nostri voluerunt*, *quod Apostolus ait: quoniam charitas DEI diffusa est* &c.

III. Melchiades Papa primus omnium Confirmationem esse Sacramentum pronunciavit in Ep. ad Episcopos Hispan.

scitote (de Baptismo & Confirmatione inquiens) *utrumque magnum esse Sacramentum;* ex merito igitur Melchiades hujus Sacramenti Author dicendus est.

Resp. I. generatim: tametsi hæc omnia dentur Novatoribus, ac ultro etiam concedatur, a Papa aliquo vel Ecclesia institutum esse Confirmationis Sacramentum, verum attamen manet, mediatam saltem institutionem ad Christum esse referendam: cum omnis Ecclesiæ potestas sit a Christo; atque adeo, quod Ecclesia potestate vicaria a Christo accepta instituit, id jure dici debeat a Christo saltem mediate institutum. Id vero in præsenti ad affirmandam contra Novatores Ecclesiæ doctrinam satis est. Cæterum neque istud evincit posita Objectio. Hinc

Resp. II. in particulari, ac nominatim ad Argum. I. supra jam N. 4. ostensum est, Apostolicam manuum impositionem fuisse verum Confirmationis Sacramentum; recte igitur ab illa argumentum ducimus. At quomodo, inquies, Apostoli dabant, quod non acceperant? Equidem fateor verisimilius esse, Apostolos effectum dumtaxat Confirmationi respondentem, non autem etiam ipsum Sacramentum Pentecostes die accepisse: cum signum sensibile linguarum ignearum super eos apparentium non fuerit permanenter & pro tota Ecclesia a Christo institutum. Quid vero tum? ut dare illud nihilominus possent, satis erat eos a Christo accepisse potestatem illud ministrandi. Ita ob eamdem rationem valide confertur Baptismus etiam a non baptizato, & Extrema Unctio a sacerdote nondum extreme uncto.

Resp. ad II. illa Cornelii verba, *juxta Ecclesiasticam regulam*, appellare dumtaxat ad Baptismi Cæremonias, quas Novatianus, a morbo sibi redditus, in se suppleri non voluit. Ab his certe illic Pontifex (ut vel ex relato textu patet) secernit Sacramentum Confirmationis, eidem simul Spiritus Sancti gratiam attribuens, *hoc autem*, inquit *minime percepto, quomodo*

modo tandem Spiritum S. potuit accipere; quod utique meris Baptismi cæremoniis non convenit. Nec magis urget laudatus Hieronymi locus: quamvis enim is in perſona Orthodoxi cum interlocutore Luciferiano affirmet, Confirmationis uſum eſſe *Eccleſiarum conſuetudinem*, hanc ipſam attamen uterque ibid. in contextu ait fundatam in Scripturæ & Traditionis authoritate: neuter itaque illam inſtitutis mere humanis accenſet. Non favet denique Novatoribus Auguſtinus; ut enim ex ejus verbis clarum eſt, cit. loco id aſſerit unum: per Spiritum Sanctum, qui per manus impoſitionem datur, Majores noſtros intellexiſſe charitatem. Quis vero hinc, niſi imprudens, arguat? Auguſtinum cenſuiſſe, manus impoſitionem eſſe ab homine inſtitutam.

Reſp. ad III. falſum eſſe, primum fuiſſe Melchiadem Sec. IV. Pontificem, qui Confirmationem Sacramentum diceret; multo certe ante illum eadem fuit ſententia Clementis Rom. Irenæi, Juſtini M. Dionyſiii Areop. & Theophili Alexand. quos ſuprá N. 8. in Reſp. II. citatos reperies. Quibus addendi etiam Urbanus & Cornelius Papæ, ille in Ep. ſua Decretali, hic in Ep. ad Fabianum apud Euſeb. L. 6. Hiſt. Eccl. C. 33. Quid quod Melchiades ſupra laudatis verbis reſponderit dumtaxat ad quæſtionem ſibi propoſitam: *an Baptismus vel Confirmatio ſit majus Sacramentum?* Recepta igitur jam tum erat doctrina, Confirmationem eſſe Sacramentum; idque ſolum in quæſtionem vocabatur, num ea Baptismo majus eſſet Sacramentum? ad quod Papa poſteaquam reſpondit, utrumque eſſe magnum, ſimul adjecit: Confirmationem in eo præſtare Baptismo, quod ſolum ab Epiſcopis conferatur.

16 Contra Aſſertionis II. partem 1*mam* opponi poteſt I. authoritas Alexandri Alenſis par. 4. qu. 24. Bonaventuræ in 4. diſt. 7. Ar. 1. qu. 1. & 2. Cardinalis a Vitriaco Hiſt. Occident. C. 37 Docent nempe hi immediatam Confirmationis inſtitutionem haberi ab Apoſtolis vel Eccleſia, ac nominatim

Alenſis cum quibusdam eam in Concilio Meldenſi factam aſſerit.

II. Opponi poteſt Græca Eccleſia, quaſi nempe illa diverſum a nobis ſentiat; cum Jeremias Sec. XVI. Patriarcha Conſtantinopol. Auguſtanam Confeſſionem nomine Græcorum omnium confutans, in Reſponſione I. contra Lutheranos Cap. 7. dicat, *divini unguenti myſterium non extare in ſacris Literis*: & in Reſponſ. II. *reliqua Sacramenta, quæ cum Baptismo & Euchariſtia ſeptenarium numerum implent, inſtituta eſſe ab Eccleſia.*

Reſp. ad I. Momenta, quibus præſens Aſſertio innititur, majora eſſe, quam ut laudatorum DD. Authoritas prævaleat; hinc ab eorum opinione, præſertim poſt Concilii Trident. Definitionem omnino recedendum eſt. Nominatim autem Alex. Alenſis ſententia omni penitus probabilitate deſtituta eſt. Etenim Concilium Meldenſe celebratum eſt ſub Sergio II. An. 845. at jam longe ante doctrina de Confirmatione, & quidem ſub nomine etiam *Sacramenti Chriſmatis*, a pluribus qua Pontificibus & Patribus, qua Scriptoribus aliis fuit propoſita & pertractata, ut vel ex N. 5. certum eſt. Quid quod juxta Labbæi collectionem inter laudati Concilii Canones 80. nullum omnino legas, qui ad Sacramenti hujus inſtitutionem pertineat. Provocant equidem Magiſtri de Ales Sectatores ad tres Canones: nempe 44. quo vetatur, ne Chorepiſcopus *Sanctum Chriſma, Sanctumque Paraclitum Spiritum, ſolis Epiſcopis juxta Decreta Innocentii* (intellige I. qui floruit Sec. V) *tribuere debitum, tradere tentet* &c. item 45. & 46. præcipitur, *ut nemo Epiſcoporum propter Sacrum Chriſma aliquid muneris accipiat*; altero autem, *ut nemo Sacrum Chriſma niſi in quinta Feria majoris ſeptimanæ conficiat.* At, quod hinc vel probabile duci poteſt argumentum? ubi iſthic vel veſtigium Confirmationis a Concilio inſtitutæ? imo jam ante inſtituta ac uſu etiam recepta ſupponitur; præſertim cum in Miniſtro

ejus

ejus designando ad ipsius Innocentii, qui quatuor ante Seculis floruit, Decreta provocetur cit. Can. 44.

Resp. ad II. Græcos nobis perperam objici, ut qui omnia Sacramenta non instituta modo, sed & (falsa quidem opinione) suscepta a Christo crediderint. Audiatur Arcudius Concordiæ L. 1. C. 5. *Simeon Thessalonicensis*, inquit, *ut ostendat Christum Dominum esse authorem Sacramentorum, multis verbis - - - conatur probare Christum suscepisse omnia Sacramenta: quo vitio ex parte laborat Gabriel Philadelphiensis eadem a Simeone mutuatus.* Ejusdem opinionis etiam fuisse Jeremiam Patr. & plerosque Græcos alios asserit Auth. de Re Sacr. L. 3. Qu. 6. in Resp. ad Obj.

Quod jam vero ad primum Jeremiæ locum nobis objectum attinet: dum dicit, *divini unguenti mysterium in S. Literis non extare*, id non de ipsa Confirmationis Substantia, sed de ejus quoad speciem infimam materia, unctione scilicet, est accipiendum, ut verba ipsa indicant. Idem certe Jeremias hoc eodem Cap. de septem Sacramentis agens, aperte profitetur, uti alia, sic & Confirmationem in Scripturis esse expressam, ac divinitus institutam, *unumquodque horum mysteriorum*, inquit, *a Sacra Scriptura sancitum est.* Quin ibidem de ipso *unguenti mysterio* addit, quod tametsi de eo non exstet in S. Literis, *attamen traditum esse a Discipulis verbi, quemadmodum & Dionysius a D. Paulo edoctus in divinis suis scriptis tradidit.*

De altero Jeremiæ loco id habe: verba ejus minus fideliter esse translata e Græco in latium idioma. Neque enim illic, reliqua Sacramenta Ecclesiam instituisse ait, sed tradidisse. Originalis quippe textus ita legitur: ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρέδωκεν ἡ ἐκκλησία, quod idem est, ac, non de suo, sed de Christi deposito Ecclesiam reliqua illa Sacramenta præbuisse. Quod autem paulo ante eodem loco Jeremias Baptismum & Eucharistiam, potiora dicat Sacramenta, ac a cæteris separet, nihil

nihil adversum nos urget: id enim ea dumtaxat causa facit, quod Baptismus & Eucharistia, præ aliis ad salutem sint necessaria; hinc postquam potiora esse dixit, continuo addit: & *sine iis salus nullo modo contingit.*

17 Demum contra Assertionis II. partem 2*dam* pugnant ea momenta, quibus adducti sunt supra N. 11. memorati Doctores, ut Confirmationem institutam dicerent alii quidem tum, dum Matth. 19. Christus parvulis manus imponeret: alii in Cœna ultima: alii vero eo tempore, quo Joan. 16. Christus promisit Apostolis missurum se Spiritum Sanctum: cum eumdem Joan. 20. re ipsa daret, alii: quidam denique in Pentecoste. Facit autem

Pro 1*ma* sententia illud, quod manus impositio sit ipsum Confirmationis Sacramentum: quodque hujus sententiæ fuerit Concilium Senonense An. 1528. in Decr. 10.

Pro 2*da* adducitur authoritas Fabiani Papæ, in cujus Ep. 2. Cap. 1. hæc leguntur: *in illa die Dom JEsus, postquam cœnavit cum Discipulis suis - - sicut a Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt - - chrisma conficere docuit.*

Pro 3*tia* quod tum promissa sit gratia per Spiritum S. conferenda, quæ est proprius Confirmationis effectus.

Pro 4*ta* pugnant ea, quæ nos ipsi supra N. 14. attulimus.

Pro 5*ta* denique, quod Pentecostes die Confirmationis effectus re ipsa fuerit collatus, nempe gratia roboris, ac virtus supervenientis Spiritus Sancti.

Resp. tametsi concedatur, e relatis sententiis aliquas probabilitate sua non carere: nulla earum attamen, quod unum hic contendimus, certa dici potest. Et quidem

Non 1*ma*: quamvis enim ea manus impositio *typus* ac *Symbolum* Confirmationis fuerit, nihil tamen est, quod illam fuisse *Confirmatoriam* evincat. Quin cum Chrysostomo apud Possinum in Symbolis communior est opinio, fuisse meram benedi-

dictionem, qualis nempe apud Hebræos exemplo Ephraim & Manasse Gen. 48. v. 14. per impositionem manus adolescentibus conferebatur. Ad id opinandum facit & illud: quod parvuli illi Christo oblati vix fuerint Baptismo tincti, proinde nec capaces Confirmationis Sacramenti; imo nec conveniens fuerit aliquem confirmari ante Apostolos, & ante adventum Spiritus Sancti. Quod vero ad Synodum Senonensem attinet, congrue dici potest, eam nomine *institutionis* intellexisse solum *designationem* quandam *symbolicam* Confirmationis. Quod si autem *veram institutionem* intelligat, nihil vetat ab ea recedere, cum nulla id certo comprobantia argumenta proferat.

Non 2*da:* nam imprimis Epistola Fabiani inter apocrypha ejus Opera passim ab Eruditis rejicitur; nec in ea aliud præterea commemoratur, quam confectio Chrismatis, cujus usus futurus erat multiplex, puta: in Baptismi cæremonia, in Episcopis consecrandis &c. At etiamnum, inquies, Ecclesia die Cœnæ Domini Chrisma conficit, idque in memoriam Sacramenti Chrismatis hoc die instituti. Hanc equidem moris hujus causam esse non constat; quin V. Beda L. 6. in Luc. C. 6. cum Thoma Vald. & Domin. Soto morem hunc observari putat in memoriam Domini a Cœna in *montem Olivarum* egressi, ad præsignandum, quod Chrismate confirmandi essent, qui in morte ejus baptizarentur. Alii alias adferunt causas, ut videre est apud Bertium Theol. L. 32. C. 3. N. 2.

Non 3*tia:* quia promissio sola gratiæ non est ipsa Sacramenti institutio, ad quam præterea & signi sensibilis, cui talis gratia annectatur, determinationem requiri, supra diximus. Alias eodem jure liceret arguere, Confirmationem esse institutam Is. 44. vel Joel. 11. ubi legitur facta Spiritus Divini promissio.

Non 4*ta:* Licet enim opinio hæc reliquis sit verisimilior, attamen non constat, tum nominatim signum aliquod Sacra-

menti Christum determinasse; determinari certe jam ante poterat, aut deinde posterius.

Non denique 5ta: Secus enim Christus ipse immediate non instituisset Confirmationem; nec apparet hic rursum ulla signi Sacramentalis institutio; quin nec ipsi Apostoli eo die Confirmationis Sacramentum susceperunt, sed ejus dumtaxat effectum sine Sacramento.

§. III.

Quæ ex Institutione Christi sit Confirmationis materia?

TOta in præsenti controversia est de Confirmationis materia *proxima;* qua definita, haud difficile cuique erit etiam *remotam* designare. Quæritur autem nominatim: an materia hæc sit manuum impositio? an sola *Chrismatio*, seu Chrismatis unctio? an simul utraque? Quæstio sane implexa, & difficultatibus adeo gravibus impedita, ut vix eam, certum aliquid statuendo, expedire liceat, nihildum de hoc Ecclesia decretorio oraculo definiente. Inde varietas sententiarum illa, qua invicem colliduntur DD. Orthodoxi, quamque etiam haud parum sustentare videtur Græcorum in Confirmatione ritus a Latino diversus; de quibus ipsis prius speciatim pauca referre juverit, quam opinionem, quæ aliis verisimilior videtur, exponamus.

Græcorum & Latinorum in Confirmationis ritu diversitas.

18 I. REceptus in Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum ministrandi ritus, ut ex Sacramentario Gregorii M. item Ordine Rom. ac Pontificali Rom. constat, ita habet. Primum, Episcopus confirmandis manus imponit, extendens videlicet eas-

eas versus illos: simulque recitat Orationem, qua petit in confirmandos *emitti septiformem Spiritum Sanctum &c.* Deinde, oratione finita, tincto in chrismate pollice ungit confirmandos in fronte signum crucis efformans, ac dicens: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii &c.* Contra

II. Græci (saltem posteriores) cum Syris, Æthiopibus, aliisque maximam partem Orientalibus non præmittunt unctioni manuum impositionem ullam, ut testatur Auth. Perp. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 11. & Goarius in Not. ad Euchol. Græc. ubi simul addit: *nudam manuum impositionem, capitis obumbrativam, - - nullam in Euchologiis antiquis, aut recentibus MSS. aut editis reperiri.* Tota igitur Confirmationem ministrandi ratio apud Græcos & Orientales his absolvitur: Episcopus, sine manuum impositione, præmittit Orationem, qua precatur Deum, ut confirmando *largiri velit signaculum doni Spiritus sui, sancti Corporis item & pretiosi sanguinis Christi communionem, eumque Sanctitate sua custodiat, in vera fide confirmet, a maligno eruat &c.* Post recitatam orationem hanc confirmandum ungit in formam crucis chrismate in fronte, oculis, naribus, in utraque aure, ore, in pectore, manibus & pedibus, hæc enuncians verba: *signaculum doni Spiritus Sancti.* Ita Laud. Goarius; idemque videre est in Euchologiis & Scriptoribus Græcis, de quibus consule Auth. Perp. Fid. paulo ante laudatum. Est etiam Græcos inter & Latinos in ipso chrismate conficiendo diversitas, de qua dicetur Diss. IV. ubi simul reliquos, qui *accidentales* dicuntur, Confirmationis ritus exponemus. 19

Variæ DD. Orthodoxorum de Confirmationis materia opiniones.

I. UTi in aliis, sic & in præsenti, diversa est Novatorum in 20

 Eccle-

Ecclesiam pugnantium, & DD. Catholicorum invicem collidentium conditio. Novatores, Confirmationis Sacramentum negantes, toti in eo sunt, ut confirmatoriam manus impositionem & unctionem mendaciis & calumniis insectentur, ut videre est apud Bellarm. L. de Confirm. C. 1. Orthodoxi contra, utramque ut sanctam & Traditione acceptam reverenter excipiunt, ac etiam in horum alterutro, vel in utroque simul materiam Confirmationis agnoscunt, in eoque solum definiendo diffident: quid eorum nominatim materiæ, ad Sacramenti substantiam necessariæ, rationem habeat?

21 II. Quatuor autem præcipuæ sunt partes, in quas dividuntur. Sunt videlicet, qui solam impositionem manuum *essentialem* Confirmationis materiam & semper fuisse, & nunc etiam esse velint: unctionem vero pertinere solum ad cæremonias accidentales, eamdem tamen ex præcepto & usu Ecclesiæ observandam. Ita sensit Petrus Aureolus, Altissiodorensis, Jacob. de Vitriaco, & alii apud Sirmondum Antirrhetici secundi C. 7. ubi ipse hanc opinionem omnium acerrime propugnat. Quidam ex adverso cum D. Thoma, Gregor. Valentia, Bellarmino, Maldonato, Vanroy, Arcudio, Simonetto, & aliis in sola unctione materiam hujus Sacramenti constituunt. Recentiorum plurimi eam, ut adæquata sit, in manus impositione simul & unctione haberi putant; suntque hujus opinionis Natalis Alexander, Ludov. Habert, Card. Gotti, Tournely, Auct. de Re sacr. Berti &c. Non desunt denique, qui cum Ruardo Tappero & Morino existiment, Christum pro materia Confirmationis ita instituisse manus impositionem & unctionem, ut vel utraque, vel alterutra etiam tantum, nempe vel sola manus impositio, vel sola unctio sit sufficiens & adæquata hujus Sacramenti materia. Opinionem hanc Bellarminus L. de Confirm. C. 9. censet probabilem: Tournelyus vero prorsus commodam ad conciliandum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ in Confirmatione ministranda ritum; quamvis neuter eam sequatur.

III. Ex

III. Ex hac inter Orthodoxos opinionum varietate Sectarii occasionem sumunt ipsam Sacramenti hujus veritatem impugnandi; at perperam istud ab iis fieri, constat ex dictis in simili L. I. Dissert. II. §. II. & sparsim alibi. An enim propterea rei alicujus existentia neganda est, quod partes eam constituentes nondum penitus exploratas habeamus? Sane, Confirmationem esse verum Sacramentum satis superque evincunt momenta, quæ hic §. I. a N. 4. attulimus. Nihil igitur nobis erit in præsenti amplius cum Novatoribus negotii; cum DD. Orthodoxis dumtaxat disceptabimus, idque agemus, ut ex controversis eorum opinionibus eam, quæ verisimilior est, statuamus ac propugnemus. 22

ASSERTIO I.

Verisimilius est, ad valide perficiendum Confirmationis Sacramentum sufficientem materiam esse tam solam manuum impositionem: quam solam chrismatis unctionem: tum etiam utramque simul.

PRo Assertione, quæ tres complectitur partes, hoc unum ac omnibus commune sit argumentum: Sacramentum Confirmationis in Ecclesia ministratum est quandoque tantum per manuum impositionem, aliquando per solam unctionem chrismate factam, ut plurimum vero simul per utramque: quocumque autem horum ritu ministraretur, habebatur pro rato ac valido; at istud indicio est, quidvis horum sufficientem esse Confirmationis materiam, ergo &c. Min. propositio controverti nequit; solum igitur positæ Maj. Assertum probandum est, id quod de singulis ejus partibus seorsim præstabimus. Et quidem

Probatur I. pars Asserti. In sacris Literis Act. 8. & 19. ubi Apostolos legimus Confirmationis Sacramentum contulisse, nulla fit unctionis mentio, verum solius manuum impositio- 23

 nis,

nis, *imponebant* (inquit facer textus) *manus super illos*, & *accipiebant Spiritum S. - - cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos*; sufficiens igitur tum erat Confirmationis materia manuum impositio sine unctione: quodque hinc consequitur, eadem & deinceps, ac nunc etiam est sufficiens.

Accedit authoritas Patrum & Conciliorum quorumdam, eorum videlicet, qui Confirmationis Sacramentum exponentes solius manuum impositionis meminerunt. Ita Irenæus contra Hæref. L. 4. C. 75. *quibus*, inquit, *imponebant Apostoli manum, accipiebant Spiritum S. qui est esca vitæ.* Firmilianus in Ep. ad S. Cyprian. quæ est inter Cyprianicas 75. majores natu, qui præsident Ecclesiæ, seu Episcopos, & *baptizandi*, & *manum imponendi*, & *ordinandi possidere potestatem* asserit; Confirmationem autem ab eo isthic per manus impositionem intelligi, dubitari nequit, cum ibidem de ea se loqui dicat, quam Paulus Act. 19. in baptizatos faciebat. Hieron. in Dial. contra Lucif. non se abnuere ait, morem Ecclesiarum esse, ut ad baptizatos *Episcopus ad invocationem Spiritus S. manum impositurus excurrat &c.* Ex Conciliis nominasse suffecerit Arelatense I. & Eliberitanum. Illud Can. 8. de hæretico, qui valide baptizatus est, ad Ecclesiam redeunte statuit, *ut manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* Alterum autem Can. 38. eum, qui a laico in necessitate baptizatus est, vult ad Episcopum perduci, *ut per manus impositionem perfici possit.* His addi potest ex Nicæno I. Can. 1. de quo jam supra N. 5. dictum; ex Parisiensi item VI. An. 829. L. 1. C. 33.

24 Probatur II. pars Asserti ex Patribus & Conciliis illis, in quibus, cum Confirmationem describunt, solius unctionis mentionem reperies. Sic Cyrillus Hierof. Catech. 3. postquam dixit, unguentum hoc non amplius esse unguentum nudum, sed Chrisma Christi, adjicit, & *corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero Spiritu sanctificatur.* Et Cyrillus

lus Alex. Comment. in Joel. *Usus olei*, inquit, *post sacrum Baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem.* Item Innocentius I. in Ep. Decent. Eugub. Episc. C. 3. ait, *frontem ex eodem oleo* (quod videlicet supra dixit ab Episcopo consecratum) *signare solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum.* Ex Conciliis huc facit Constantinopolitani I. Can. 7. pro fronte hujus L. relatus. Ibidem vide Concilii Florentini verba, quibus Confirmationis materia dicitur esse *Chrisma confectum ex oleo, - - & balsamo:* unctio autem indicatur in ipsa forma ibi relata, *signo te - - & confirmo chrismate salutis &c.* quin ullatamen manuum impositionis fiat mentio. Quod vero isthic præcipue urget, est Græcorum in Confirmatione per solam unctionem perficienda ritus, quem Latina Ecclesia nunquam in iis improbavit, minus, ceu insufficientem, rejecit. Sane hæc omnia suadent, in Ecclesia Confirmationis Sacramentum fuisse valide ministratum, ac hodie etiam ministrari sola chrismatis unctione, absque manuum impositione distincta.

25 Probatur III. pars Asserti vel ex iis, quæ jam de manuum impositione & unctione præmissæ sunt. Etenim, si vel alterutrum horum ad perficiendamConfirmationem sit sufficiens, quidni utrumque etiam? In quibusdam præterea PP. Confirmationis Sacramentum ita describitur, ut per manus impositionem simul & unctionem perfici dicatur. Vide in hanc rem Tertullianũ supra N. 5. citatum: quod ipsum repetit L. de Bapt. C. 7. ubi post commemoratam *unctionem*, continuo addit: *dehinc manus imponitur &c.* Similiter Gregorius M. in Sacramentario de Confirmatione elevationem manus super capita confirmandorum, simul & chrismationem in eorum fronte præscribit. Et Ven. Beda in C. 1. Cantic. chrisma consecrari debere asserens, subjicit, *quatenus fideles cum impositione manus - - hac unctione signentur.* Eadem legas apud Gregor. III. in Ep. 7. ad Bonif. & apud Innocent. III. L. 1. Decret. Tit. 4. C. 4. Rupertum

pertum L. 5. de Divin. Offic. C. 16. Accedit ritus Latinæ Ecclesiæ, Sacramentum hoc tam manus impositione quam unctione conferentis, ut patet ex Pontificali Rom. & nunc laudatis Patribus.

Ex hac jam Assertione usu & sensu Ecclesiæ comprobata ultro consequitur, quid verisimilius censendum sit de Christi institutione circa materiam Sacramenti Confirmationis. Quo tamen id planius fiat, sit peculiaris

ASSERTIO II.

Verisimilius est, Christum in Confirmationis institutione materiam ejus disjunctive tantum determinasse ita, ut vel sola manus impositio, vel sola unctio, vel utraque simul per modum unius pro Ecclesiæ arbitrio adhiberi possit.

26 Assertionis hujus probationem conficiunt momenta pro Assert. I. allata. Constat nempe ex his Confirmationem in Ecclesia nunc manuum impositionis tantum, alias solius unctionis, ac etiam simul utriusque ritu ministratam, quin tamen unquam Sacramenti valor in dubium vocaretur; cum igitur sine materia a Christo instituta nullum sit ratum Sacramentum, quid ni ultro consequatur, materiam Confirmationis, non determinate in specie una, sed disjunctive dumtaxat in sensu Assertionis Christum instituisse. Revoca hic in memoriam Patrum & Conciliorum testimonia a N. 22. relata, ex quibus varium Ecclesiæ usum discimus, quem ipsum etiam satis prodit quoad Confirmationis ritum Græcos inter & Latinos diversitas.

27 Ad firmandam porro Assertionem non parum momenti addunt etiam Patres illi, qui in Operibus suis Confirmationem modo impositionis manuum, mox vero unctionis nomine designant. Ita Cyprian. Ep. 7. *ungi quoque*, ait, *necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Ep. vero 73.

de

de Petro & Joanne Act. 8. manus imponentibus agens, *quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur*, *ut qui in Ecclesia baptizantur*, *Præpositis Ecclesiæ offerantur*, *ut per nostram orationem & manus impositionem Spiritum S. consequantur*. Similiter Augustin. L. 2. contra Lit. Petil. C. 104. ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum Sacramentum est*, *sicut ipse Baptismus &c.* contra L. 3. de Bapt. C. 16. *quis nunc expectat*, inquit, *ut ii*, *quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur*, *incipiant linguis loqui?* Indicio sane istud est, laudatos PP. existimasse, Confirmationis integritatem perinde haberi, seu manus impositione, seu unctione tantum ministretur: nec uno eodemque semper ritu ministratam fuisse illorum ætate.

28 Pro coronide demum accedat Concilii Florentini & Moguntini An. 1549. celebrati authoritas. Florentinum nempe in Decr. Eugenii pro Arm. postquam Confirmationis materiam Chrisma esse dixit, ac subinde etiam recitavit illa ex Act. Ap. C. 8. verba: *cum audissent Apostoli* &c. subjungit: *loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Quibus quid designavit aliud? quam quod Apostoli, principio saltem, sola manuum impositione in Sacramento hoc conferendo usi fuerint: nunc vero illud conferri per unctionem Chrismatis vel solam, vel cum impositione manuum conjunctam; sola enim manuum impositione non ministratur amplius. Moguntini autem Concilii verba ad rem nostram facientia sunt ea, quibus C. 18. monet Pastores, ut *diligenter populum instruant*, *cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum*, *mox ab ipsis temporibus Apostolorum*, *ex eorundem traditione*, *adhibita chrismatis unctione cœperit conferri.* Non obscure hic tria indicat Concilium: initio videlicet Apostolos sola manuum impositione Confirmationem exhibuisse; eos ipsos subinde usos fuisse etiam unctione, ut quam ipsi no-

bis tradiderint; nunc denique cum impositione manuum simul unctionem adhiberi.

Hæc jam vero omnia invicem collata, etsi non certum, at verisimilius saltem esse id, quod duabus Assertionibus tuemur, evincunt; quod ipsum plurimum confert non modo ad Patres, verum etiam ad differentes Græcorum & Latinorum ritus invicem conciliandos.

Respondetur Adversariis.

29 Oppon. contra I. Assertionis 1*mam* partem. Manuum impositionem esse sufficientem Confirmationis materiam ex Act. C. 8. & 19. arguitur; at Apostolica manuum impositio, quæ isthic legitur, non fuit Sacramenti Confirmationis materia, imo nec Sacramentum; ergo ex laudatis Scripturæ locis non recte arguitur. Min. probari solet authoritate D. Thomæ, qui 3. p. qu. 72. Ar. 2. ad 1. hæc habet: *ad impositionem manus Apostolorum - - descendebat plenitudo Spiritus S. super fideles sub visibilibus signis, - - & ideo non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus.* Et infra Ar. 4. ad 1. rursum referens, quandoque per ministerium Apostolorum datum fuisse effectum hujus Sacramenti, scilicet plenitudinem Spiritus S. per sensibilia signa a Deo miraculose facta, subdit: *& tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus Sacramenti.* Consule cit. Doct. Angelici loca, quo mentem ejus integre assequaris.

Resp. Conc. Maj. N. Min. ac jam omnino supra §. I. N. 4. & 6. in Resp. ad II. comprobatum est, impositionem manuum Apostolicam fuisse verum Sacramentum; ejusdem præterea nomine SS. PP. eam ipsam, quæ nunc in Ecclesia confertur, intelligunt Confirmationem. Ita Hieronym. in Dial. contra Lucif. postquam dixit, Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis manus imponatur, & ita invocetur Spiritus Sanctus, sub-

ſubjicit: *exigis, ubi ſcriptum ſit?* & reſpondet: *in Actibus Apoſtolorum.* Et Iſidorus Hiſpal. de Offic. L. 2. C. 26. *poſt Baptiſmum*, inquit, *per Epiſcopos datur Spiritus S. cum manuum impoſitione; hoc in Act. Apoſtol. feciſſe meminimus Apoſtolos.* Non abſimilia legere eſt apud Innocent. I. in Ep. ad Decent. & Ven. Bedam in C. 8. Act. Apoſt. ac jam ante Cyprian. & Auguſtin. N. 26. laudatos. Quod ſi autem illa manuum impoſitio Sacramentum fuit, ſua utique materia non caruit; quid vero huic manuum impoſitioni defuit, quo minus eſſet materia? Inde in præſenti aſſentiri non poſſumus D. Thomæ; ac ſi ejus obtineat ſententia, non erit amplius, unde ex S. Literis contra Novatores Sacramenti Confirmationis veritatem comprobemus.

30 Inſtari poteſt: vel ideo ſaltem manus impoſitio Confirmationis materia eſſe nequit, quod eadem ſit materia Sacramenti Ordinis; quomodo enim Sacramenta diverſa conſtabunt eadem materia?

Reſp. iſtud nihil obeſſe: eadem enim actio, quæ pluribus Sacramentis eſt communis, per intentionem Miniſtri & adjunctam formam ſufficienter determinatur ad id, ut nunc quidem hoc potius e. g. Confirmationis Sacramentum, quam aliud conſtituat; quo caſu Sacramentorum differentia habetur tam per ſigni ſenſibilis complete ſumpti, quam per effectuum diverſitatem. Exemplum habes in Chriſmatis unctione, quæ ſimul eſt Baptiſmi cæremonia, ſimul Confirmationis materia.

31 Oppon. contra ejuſdem Aſſert. 2*dam* partem. In S. Literis nulla fit mentio Unctionis, quæ ad Confirmationem pertineat: neque Apoſtoli in conferendo hoc Sacramento uſi ſunt unquam unctione; non adhibetur igitur illa ex Chriſti inſtitutione, atque ita nec Sacramenti hujus materia ſufficiens eſſe poteſt.

Reſp. tametſi Aſſertum concedatur, non conſequitur attamen, quod infert Adverſarius. Novimus quippe ſilentium

Scripturæ in multis suppleri Traditione, hanc vero nobis patrocinari, patet ex N. 23. Præterea, si Christus disjunctive tantum materiam Confirmationis determinaverit, ut Assert. II. probatum est, nihil utique est, quod nos urgeat, Apostolos nunquam usos fuisse unctione. Neutrum interea ita certum est, ut volunt Adversarii. Unctionis certe mentio fit 2. Cor. 1. *qui confirmat nos vobiscum in Christo; & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus Sancti.* Hoc autem loco per Unctionem Confirmationis Sacramentum intelligi indicat Ambrosius, cum L. de Myst. C. 6. Confirmationem describens iisdem cum Apostolo utatur verbis: *Signavit te Deus Pater*, inquit, *confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in Corde tuo.* Apostolos etiam, quamvis principio sola manuum impositione Confirmationem ministrarent, subinde tamen & unctionem adhibuisse verosimile est vel ideo, quod unctionis in Confirmatione ritus Traditione Apostolica habeatur, ejusque usus fuerit primis Ecclesiæ temporibus. Ipse certe D. Thomas Ar. 2. supra cit. impositionem manus Apostolicam negans fuisse Sacramenti Confirmationis materiam, continuo subjungit: *utebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa* (divinitus videlicet facta) *non exhibebantur; dicit enim* Dionys. 4. Cap. Eccl. Hier. *est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri* (id est Apostoli) *Chrismatis hostiam nominant.* Idem confirmat etiam animadversio in Concilium Moguntin. a nobis facta N. 27.

32 Instabis I. at nec Traditione probari potest unctionem chrismatis esse Confirmationis Materiam: etenim Patres, quorum testimoniis pro hac Traditione agitur, unctionem cum Baptismo conjungunt, nec nisi instar meræ cæremoniæ, post ablutionem in Baptismo factam (ut dictum est L. II. N. 142.) ex veteris & modernæ Ecclesiæ usu adhibendæ, referunt. Ita Tertullian. L. de Bapt. C. 7. *egressi de lavacro perungimur*

mur benedicta unctione &c. Et Origen. in C. 6. Ep. ad Rom. *omnes baptizati sumus in aquis visibilibus, & in Chrismate visibili &c.* Eadem habent & PP. alii.

Resp. vim argumenti hujus elidit vel authoritas Græcæ Ecclesiæ, quæ Traditione & veterum Patrum testimoniis nixa in ministranda Confirmatione sola unctione utitur: & quamvis eam juxta veterem disciplinam mox a Baptismo adhibeat, in ea tamen diversum a Baptismo Sacramentum agnoscit, Latina etiam Ecclesia in hoc Græcis suffragante. Quomodo autem id nuda dumtaxat sit Baptismi cæremonia, quod diversum a Baptismo constituit Sacramentum? Ad Patres quod attinet, fateor eos nonnunquam de ea solum chrismatis unctione loqui, quæ in vertice fit statim a Baptismo, estque mera ejus cæremonia; at iidem Patres agunt etiam de alia unctione, quæ ab hac diversa est, & quæ Sacramentum Confirmationis constituit; non raro etiam ita obscure Unctionem memorant, ut difficile sit assequi, quam potissimum designare voluerint. Quo igitur judicium ferri possit, attendendus est sermonis contextus, ac cumprimis: quem effectum unctioni illi tribuant, cujusque ministerio, & quo ritu ac tempore eam peragi oportere asserant. Ita cum Cyril. Alex. Comment. in Joël dicit: *usus olei post Baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem;* & Innoc. I. in Ep. ad Decent. C. 3. *frontem ex eodem oleo signare solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum:* hic inquam dubitari nequit memorari unctionem diversam ab unctione baptismali, eamque nominatim, qua Confirmationis Sacramentum perficitur. Etenim ejus unctionis fit mentio, qua *traditur Spiritus Sanctus*, qua *confertur consummatio*: quæ fit *in fronte*, & quidem *post Baptisma a solis Episcopis*, sæpe longiore post Baptismum tempore unctione hac fideles signantibus. An vero horum aliquid unctioni illi, quæ non est Baptismi cæremonia, convenit? imo, an non hæc omnia soli Confirmationis Sacramento sint propria? Idem ar-

 gumen-

gumentum duci poteſt ex Tertulliano, Cyrillo Hieroſ. & Auguſtino, quorum verba N. 5. recitavimus. Verum adverſum hæc

33 Inſtabis II. ex Concilio Arauſicano I. An. 441. cujus Can. 2. ita habet: *nullus Miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate unquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari; de eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, chriſmatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos* (id eſt, Epiſcopus) *commonebitur; nam inter quoslibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt; non ut præjudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* En, inquies, chriſmatio, quæ in Confirmatione ab Epiſcopo adhibetur, ea ipſa eſt, quæ a Miniſtro Baptiſmi præmiſſa eſt: & quæ, ſi in Baptiſmo obſervetur, non reperitur neceſſario in Confirmatione; at hæc unctio eſt nuda Baptiſmi cæremonia, ergo.

Reſp. textum cit. Canonis vel ideo minus habere authoritatis, quod ambiguæ & incertæ ſit lectionis. Sirmondus in ſuo *Antirrhetico* legendum cenſet, ut nunc relatus eſt: Petrus Aurelius autem in *Vindiciis cenſuræ Sorbonicæ adverſus ſpongiam Loemelii*, particula *non* omiſſa, ſic legit poſtremam partem: *ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio;* quibus locis uterque pugnat authoritate tam MSS. Codicum, quam editorum Conciliorum, quod compendio refert Tournelyus Tract. de Sacr. Confirm. Quæſt. 1. Ar. 3. & Berti Theol. L. 32. C. 4. N. 8. Iidem præterea in ſenſu etiam Canonis exponendo diſſenſerunt; Sirmondus intelligendum putavit de unctione in fronte: Aurelius contra de unctione in vertice.

Nobis litem, quæ inter hos duos Cll. Viros prima eſt, ad examen revocare non vacat; pendet hodie etiam cauſa, ſingulisque eorum ſui ſunt graves ex ordine Eruditorum Patroni. Quod vero ad partem controverſiæ alteram, ipſum proinde Canonis ſenſum attinet, paucis opinionem meam aperio, quo argumento occurram. Ac-

Accedendum nempe quoad hoc Aurelio, ac cum eo cit. Canonem de Unctione verticis intelligendum existimo. Argumento in hanc rem mihi est Innocentii I. Decretum An. 416. editum, quod ita habet: *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere liceat, - - non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum.* Hoc porro Decretum cum ignotum esse non potuerit Arausicanis Patribus; ac præterea ex Can. 3. Concilii Vasensis II. An. 442. probabile sit, eorum ætate apud Gallos unctionis in vertice usum fuisse in Baptismo, ultro consequitur, prorsus congrue dici, Canonem Arausicanum decernere; ut si prætermissa fuit in Baptismo verticis unctio, de hac Baptismi Cæremonia ante Confirmationem supplenda moneatur Episcopus. Hinc, si cum Aurelio legas, *ut necessaria habeatur repetita chrismatio*, sensus erit: ex ritu Ecclesiæ ante Confirmationem necessario supplendam esse Baptismi Cæremoniam. Si vero cum Sirmondo legendum sit, *ut non necessaria &c.* sensus est: nullum præjudicium, seu damnum quoad valorem Confirmationis adferendum, quamvis penitus omittatur verticis unctio; cum, omissa etiam illa, valeat unctio frontis confirmatoria, ac per hanc sufficienter suppleatur: atque hoc significare videtur Canon verbis illis, *non ut præjudicans quidquam.* Conformiter jam ad hæc, verba Canoni inserta, *nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est*, pro causa adferuntur, cur videlicet Episcopus de hac verticis chrismatione ante Confirmationem supplenda sit monendus: quia nempe apud omnes in Confirmatione chrismatio tantum una, frontis scilicet, adhiberi solet, non vero etiam altera in vertice, nisi cum in Baptismo omissa fuerit.

His vero attentis, an ex cit. Canone deduci potest, unctionem, cujus in Confirmatione ipsa usus est, meram esse Baptismi cæremoniam? Sed adhuc

Insta-

34 Instari potest III. ex eo, quod PP. Confirmationis Sacramentum commemorantes unctionis tantum mentionem faciant, non recte arguitur, absque ulla manuum impositione per solam unctionem illud fuisse quandoque ministratum; ex Patribus igitur inferri nequit, Unctionem solam sine manuum impositione esse sufficientem Confirmationis materiam. Assertum prob. quamvis in Act. Ap. legamus Apostolos *in nomine JESU Christi* baptizasse, non sequitur attamen, eos in solius Christi nomine, exclusis aliis Divinis personis, Baptismum ministrasse, ergo etiam &c.

Resp. N. Assert. Ad prob. N. illat. Dispar autem horum ratio ex eo petitur, quod aliunde verisimilius sit, Apostolos baptizantes usos fuisse invocatione trium Divinarum Personarum, ut patet ex dictis L. II. Dissert. I. §. IV. N. 43. & rursum a N. 48. præsertim cum certum sit de hoc Christi præceptum Matth. 28. *euntes docete - - baptizantes eos in nomine Patris & Filii &c.* Pro parte autem altera, quam infert Adversarius, nullum ejusmodi momentum adferri potest; quin, *solam unctionem* esse sufficientem Confirmationis materiam, vel Græcorum ritus abunde declarat.

35 Oppon. contra ejusdem I. Assert. 3*tiam* partem. Sola manuum impositio, sola item unctio sunt sufficiens Confirmationis materia; utraque igitur simul pro materia ejus adhiberi nequit: si enim sola manuum impositio sit materia sufficiens, hac sola facta, & pronunciata verborum forma illi respondente perficitur Sacramentum; quod si igitur rursum adjiciatur Unctio cum sua forma, iterabitur Sacramentum.

Resp. Dist. Assertum, sola impositio, vel sola unctio sunt materia secundum se sufficiens, Conc. spectata etiam Ministri intentione, qua is ex ritu Latinæ Ecclesiæ se determinat ad utendum utraque simul per modum unius totalis materiæ, Nego. Similiter distingue Illat. utraque simul pro materia adhiberi nequit, si Minister intentione sua se determinaverit ad uten-

utendum e. g. ſola manuum impoſitione pro totali & adæquata materia, Conc. ſi ſe determinaverit (ut Latinus ex ritu ſuæ Eccleſiæ ſe determinare debet) ad utendum utraque ſimul per modum unius totalis & completæ materiæ, Nego Illat. Ex his ultro conſequitur, quid reſpondendum ſit ad id, quod de iteratione Sacramenti additur. Hujus ſane periculum nullum eſſe clarum eſt; cum ſicut univerſim a Miniſtri intentione pendet, ut aliquod ſenſibile e. g. ablutionis ſignum a Chriſto inſtitutum in hoc particulari caſu ſit potius Sacramenti materia, quam ſignum mere indifferens vel profanum; ita pariter ab ejusdem intentione habetur, ut ex pluribus ſignis pro Confirmationis materia disjunctive inſtitutis, nunc quidem hoc præ alio, aut utrumque ſimul materiam conſtituat, & Sacramentum integre perficiat cum forma illi reſpondente. Exemplum hujus habes in Baptismo, qui tametſi una merſione ſufficienter peragatur, trina merſione nihilominus perinde miniſtrari poteſt; item in Extrema Unctione, ad quam perficiendam ſufficit unius partis e. g. manus unctio, ut fert Eccleſiæ praxis in ægroto jam jam morituro, vel in morbis contagioſis, præſertim peſte graſſante ad evitandum periculum: regulariter attamen unguntur plures corporis partes, oculi videlicet, aures, nares, manus &c.

36 Inſtabis I. Concil. Florentinum in Decr. pro Armen. Confirmationis materiam ait eſſe chrisma; in ipſa igitur etiam Latina Eccleſia nomine materiæ hujus Sacramenti venit ſola unctio, & non etiam ſimul manuum impoſitio.

Reſp. Negandam eſſe illationem. Etenim 1*mo*, quamvis in hoc Decreto nominetur chrisma pro materia, non tamen excluditur manus impoſitio, cujus ætate Eugenii apud Latinos fuit uſus in Confirmatione miniſtranda, quamque tum multi DD. Orthodoxi eſſe hujus Sacramenti materiam docebant. 2*do* quia in Decreto illo minutim omnia non explicantur; ſic nominatim iſthic ſolius remotæ materiæ, nempe chrismatis, fit mentio: non item etiam proximæ, ſeu unctionis ipſius. 3*tio.*

quia Eugenius eam dumtaxat hic refert Confirmationis materiam, qua Armeni tuto uti possint, quamque paulo ante in Decreto Union. Græc. pro Græcis approbaverat. *4to* demum, quia omnia, quæ Decreto illo continentur, non sunt fidei dogma, ut e. g. in Sacramento Extremæ Unctionis etiam renes esse ungendos &c. Decretum nempe illud instructionis dumtaxat instar datum est Armenis, ac ad hos solum, non vero ad universam Ecclesiam directum.

37 Instabis II. Ne in Latina quidem Ecclesia Confirmatio ministratur manuum impositione: nam *1mo* Pontificale Roman. Confirmationis ritum describens, jubet dumtaxat Episcopum manus extendere versus confirmandos, non vero iis imponere; *2do* hæc ipsa manuum extensio longiore etiam nonnunquam tempore sejungitur ab unctione, cum videlicet confirmandorum numerus est magnus; *3tio* ii etiam, qui extensioni manuum non intererant, ab Episcopis quandoque admittuntur ad chrismationem, ac pro rite confirmatis habentur; ergo ne in Latina Ecclesia quidem manus impositio simul cum unctione est instar unius completæ materiæ hujus Sacramenti.

Resp. illationem rursum non esse legitimam; at de singulis, ex quibus illa ducitur, est dicendum. Itaque de *1mo* ita habe: extensionem vel elevationem manuum, quibus verbis Sacramentarium Gregorii M. & Pontificale Rom. utitur, esse in æstimatione morali idem, ac impositionem manuum, nisi de nomine litem moveas; idcirco eam quidam cum Tertulliano Patres *obumbrationem*, vel *impositionem manus obumbrativam* nominant, quod fit per solam manuum extensionem & elevationem. Ad *2dum* dico: longiorem illam moram non obesse, quo minus in unam moraliter materiam coalescat manus impositio cum unctione, præsertim cum eadem Sacramenti actio semper continuetur. Ita Sacramenti Pœnitentiæ unitati ac valori nihil officit longius tempus, quod nonnunquam Confessionem inter & Absolutionem intercedit. Sunt nempe Sacramen-

cramenta compositum dumtaxat morale, in quo partes, quibus illud perficitur, satis est moraliter conjungi. Quod attinet ad 3*tium*, si id aliquando factum, abusus fuit, proinde corrigendus. Sane in Sacramentis ministrandis nihil ex præscripto Ecclesiæ ritu est omittendum, præsertim cum de Sacramenti alicujus (ut in præsenti) materia vel forma dubium est: ne forte vel parte ritus omissa irritum reddatur Sacramentum.

38 Oppon. contra II. Assertionem. Si materia Confirmationis dicatur disjunctive a Christo instituta, Confirmatio non erit unum ac stabile, sed potius multiplex & mutationi obnoxium Sacramentum: quod nempe nunc hoc, alias ritu alio ministretur: aliudque sit per unctionem, & aliud per manus impositionem &c. hæc vero sustineri nequeunt, igitur nec &c.

Resp. Nego Maj. ut enim aliquod Sacramentum sit semper unum ac idem, proinde & stabile, satis est constare illud materia & forma ad eumdem gratiæ effectum significandum & causandum a Christo instituta; quorum nihil deest in præsenti. Nec officit, unctionem esse diversam a manuum impositione: diversitas enim hæc est mere philosophica, non theologica; cum enim tam hæc quam illa ex Christi institutione sint signum sensibile, habens vim significandi & causandi eamdem spiritualis roboris gratiam, in ratione Sacramenti & theologice unum ac idem sunt, eademque materia. Ita nemo dixerit multiplex dari Baptismi Sacramentum, quamvis hoc perinde affusione, ac mersione vel aspersione ministrari possit. Idem est de Confirmatione Græcorum & Latinorum: cum tamen constet eos & diverso uti chrismate, & diverso chrismationis ritu.

39 Instabis I. Congrue dici potest, manuum impositionem, quæ Confirmationis est materia, non esse distinctam ab unctione: cum enim hæc manu fiat, cur ea simul nequeat vocari manuum impositio? Favet certe huic opinioni Ven. Beda, cum in Ps. 26. *illa unctio*, inquit, *quæ per manus impositionem*

fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur. Et Innocentius III. L. 1. Decr. Tit. 15. C. 1. *per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* Ac omnino si istud dicatur, facile conciliabuntur Patres, in Confirmatione describenda vel solam manus impositionem, aut unctionem solam, aut utramque simul commemorantes. Ex hoc autem consequitur, non esse a Christo disjunctive institutam hujus Sacramenti materiam, verum determinate tam unctionem, quam manuum impositionem ab unctione indistinctam: quo sensu & Græca Ecclesia utramque adhibet.

Resp. Negandum esse Assertum. Etenim chrismatio non nisi improprie dicitur manuum impositio; præsertim cum ex probabili sententia confirmatoria unctio valide peragi possit mediante e. g. virga, vel alio instrumento. Præterea hæc expositio non cohæret cum Patrum sensis, manus impositionem ab unctione distinguentibus: minime autem cum verbis Concilii Florentini & Moguntini N. 27. relatis. Inde ab opposita sententia, quæ non paucorum Doctorum est, omnino recedimus. Pro ea interim, quod sciam, Patrum nullus laudari potest. Certe Ven. Bedæ & Innocentii III. cit. locum, nihil urget eo, quo Adversarii volunt, sensu accipi debere. Cur enim Bedæ verba ita exponi non possint? *unctio, quæ fit* præterea *per impositionem manus* distinctam, *Confirmatio dicitur;* præsertim cum idem in C. 1. Cant. inter hæc distinguat, cum ait: *fideles cum impositione manus - - hac unctione signandos esse.* Minus favet Adversariis Innocentius, id enim vult unum: pro manus impositione, qua principio sola confirmabant Apostoli, nunc adhiberi chrismationem, hacque designari illam: simul Sacramentum, quod prius manus impositio vocabatur, nunc jam Chrismationis nomen habere. Idem certe Innocentius, N. sequ. in Resp. citandus, chrismationem a manuum impositione distinguit; superfluum autem fuisset distinguere, si impositionem manus ab unctione indistinctam intellexisset, cum

hoc

hoc Adversariorum sensu haberi nequeat unctio sine manus impositione: quod idem & de Ven. Bedæ verbis est notandum. Cæterum, si reipsa hi in opinione nobis contraria fuerint, ab iis recedimus propter momenta, quibus a N. 25. probata est Assertio.

Instabis II. si ex Christi institutione solum disjunctive determinata est Confirmationis materia, arbitrarium igitur erit cuique Episcopo vel sola manus impositione, vel sola unctione, vel utraque simul Sacramentum hoc ministrare; at istud nemo admiserit, ergo &c. 40

Resp. Ex hac sententia omnino sequi, qualibet ex memoratis materia valide ministrari Confirmationis Sacramentum; non est interim Episcopo integrum pro arbitrio materiæ delectum facere, cum Ecclesiæ suæ ritus cuique observandus sit adeo, ut juxta Concil. Trid. Seff. 7. de Sacr. in gen. Can. 13. in Sacramentorum administratione ne a ritibus quidem, quos accidentales dicimus, sine peccato quis recedere possit. Pro Latinis autem nominatim extat præceptum de Confirmatione per manus impositionem, simul & chrismatis unctionem ministranda. Ita enim Gregorius III. in Ep. 7. ad Bonifac. *oportet*, inquit, *per manus impositionem, & Sacri Chrismatis unctionem confirmari.* Et Innocentius III. L. 1. Decret. Tit. 4. C. 4. ait: *Sacramentum Confirmationis chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre.* Idem præscribitur in Pontificali Rom. jussu Clementis VIII. An. 1596. edito.

Corollarium

De impositione manuum, & unctione, quibus ex veteri disciplina Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur.

I. Sparsim jam sæpius insinuatum est, eam fuisse veteris Ecclesiæ disciplinam, ut Hæretici in gremium Ecclesiæ redeuntes ritu aliquo peculiari, qui tamen non idem semper 41

erat, reconciliati reciperentur. Audiatur de hoc S. Gregorius L. 11. Ep. 67. alias L. 9. Ep. 61. *ab antiqua*, inquit, *Patrum traditione didicimus, ut quilibet, qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad S. Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ revocentur.* Atque istud est, quod occasionem dedit gravis controversiæ: an videlicet manus illa impositio vel unctio fuerit mera reconciliationis cæremonia? an vero Confirmatoria, verumque Confirmationis Sacramentum? Ac de hoc quidem prorsus variæ sunt Eruditorum sententiæ: primum affirmantibus aliis, aliis alterum, ut videri potest apud Sirmondum, Petrum de Marca, Maldonatum, & Morinum citatos a Tournelyo in Tract. de Confirm. Qu. 4. Ar. 2. ubi Cl. hic Theologus ritum hunc meram fuisse reconciliationis cæremoniam propugnat. Mihi, attentis Patrum ac Conciliorum verbis, in quæstione hac medium tenendum videtur. Hinc

42 II. Nominatim de manuum impositione censeo verisimilius esse, eam quandoque fuisse merum reconciliationis ritum, idque indubitanter in iis qui jam ante Confirmationis Sacramentum perceperant: quandoque etiam fuisse confirmatoriam, in iis videlicet, qui nondum fuerant confirmati, quo nempe gratia huic Sacramento propria in fide roborarentur.

Primi fundamentum præbet Decretum Stephani Papæ in Ep. ad Cyprian. *si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam;* quod ipsum Cyprianus Ep. 71. ad Quint. iisdem plane verbis approbat de Hæreticis in Ecclesia baptizatis, quibus tum simul cum Baptismo conferebatur Confirmatio. Idem habetur ex Innocentio I. Ep. 18. ubi ait, *Arianos baptizatos in hæresi suscipi in Ecclesia per manus impositionem sub imagine pœnitentiæ.* En! manus impositio in pœnitentiam dumtaxat, seu in reconciliationem.

Alte-

Alterum eruitur ex SS. Leone & Gregorio PP. Ille in Ep. ad Himerium Episc. C. I. Arianos redeuntes baptizari vetans, *quos nos*, inquit, *cum Novatianis aliisque hæreticis -- per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus.* Alter vero loco supra cit. cum Augustino docens, in hæreticis, sublato hæreseos obice, gratiam operari Baptismum antea sine fructu perceptum, *qui tunc*, inquit, *in illis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum S. acceperint, vel isti &c.* His adde Cyprianum in Ep. 72. ad Steph. ita scribentem: *Hæreticos & Schismaticos profanæ aquæ labe maculatos, quando ad Ecclesiam venerint, baptizari oportere, eo quod parum sit eis manus imponere ad recipiendum Spiritum Sanctum, nisi & recipiant Baptismum: tunc enim demum plane sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur.* In his sane Patrum locis, cum diserte exprimatur Confirmationis Minister, forma, effectus, ipsum imo Sacramentum, dubitari nequit, impositionem manus Confirmatoriam commemorari.

III. Ad Unctionem, qua Hæretici ex ritu quarumdam Ecclesiarum recipiebantur, quod attinet, gravis pariter conjectura est: eam, saltem aliquando, verum fuisse Confirmationis Sacramentum. Argumentum in hanc rem est ex Can. 7. Concil. Constantinopolitani I. ubi hæc habentur: *eos, qui rectæ fidei adjiciuntur -- recipimus secundum hic subjectam consequentiam & consuetudinem. Arianos quidem & Macedianos -- recipimus, dantes quidem libellos & omnem hæresim anathematizantes -- signatos, sive unctos primum Sancto Chrismate, & frontem & oculos, & nares, & os, & aures; & eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus Sancti.* Eadem leguntur in Synodo Trullana Can. 95. Quid vero isthic desideres, quod ad Sacramentum Confirmationis Græcorum ritu conferendum requiratur? unctio igitur hæc non fuit mera reconciliationis cæremonia, sed confirmatoria. 43

An

An eadem unctio in Hæreticis recipiendis mere in reconciliationem, & instar cæremoniæ nudæ aliquando adhibita fuerit, affirmare non ausim; nec omnino in hanc rem succurrit mihi ullum ex Patribus argumentum. Id facilius dederim: si forte ea quandoque non fuerit Confirmatoria, usurpatam fuisse ad supplendam unctionis cæremoniam, quæ in Baptismo adhiberi consuevit, quamque Hæretici baptizantes omiserint.

Atque hæc per occasionem; neque enim mihi propositum erat, imo nec vacabat, quæstionem, inter Eruditos multum controversam, ad plenam crisim exigere: gravia sunt, fateor, etiam oppositum sentientibus momenta.

§. IV.

Quæ sit Sacramenti Confirmationis forma?

44 EXpedita quæstione de Confirmationis materia, haud difficile est de forma ejusdem statuere. Ut autem in illa, sic & in hac definienda variant Authores. Nempe

Qui in sola manuum impositione materiam constituunt, formam esse ajunt eam ipsam orationem, quam Episcopus manus imponens recitat, estque juxta Pontificale Rom. sequens: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu S. quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum S. Paraclitum de Cœlis, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam, Per Dominum &c.* Contra, quibus sola unctio est materia, pro forma habent verba unctioni respondentia; apud Latinos nempe hæc: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris &c.* apud Græcos autem: *signaculum doni Spiritus Sancti.* Ii demum, qui tam solam manuum impositionem, quam solam unctionem, aut utramque simul pro materia sufficere putant: formam pariter

suffi-

sufficientem esse dicunt tam solam orationem memoratam, quam verba sola unctioni respondentia, aut denique illam simul cum his. Nos, quia cum postremis de materia statuimus, reliquum habemus, ut cum iisdem de forma sentiamus.

ASSERTIO.

Sacramenti Confirmationis forma sufficiens est tam Oratio, quæ sub manuum impositione recitatur: quam verba unctioni respondentia: tum etiam utraque simul.

Ex hac Assertione ultro consequitur, de institutione formæ, perinde ac jam dictum est §. III. Assert. II. de materia, sentiendum esse: instituta nempe a Christo & illa est solum disjunctive, non vero determinate in una dumtaxat infima specie. Neque de hoc speciatim agere necessum est: probata enim Assertione posita, hoc alterum in controversiam vocari nequit. Ita autem

45 Prob. I. generatim Assertio: ex dictis Confirmationis materia est tam manus impositio, quam unctio, tum & utraque simul; conformiter igitur ad istud etiam de forma sentiendum est: cum universim verba, quæ materiæ respondent, sint forma Sacramenti. At hoc generatim dumtaxat; jam & singulæ Assertionis partes seorsim probandæ sunt. Itaque

46 Prob. II. Assertio quoad 1mam partem. Dum S. Literæ Act. 8. de Apostolis Confirmationem ministrantibus agunt, sola Oratio cum manuum impositione memoratur: *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, - - tunc imponebant manus &c.* Sicut igitur ex illis S. Jacobi C. 5. verbis, *orent super eum, ungentes eum oleo &c.* cum D. Thoma recte arguitur, Extremæ Unctionis formam esse Orationem, ita & hic &c. Idem argumentum institui potest ex Patribus, in Confirmationis Sacramento solam Orationem cum manuum impositione commemorantibus. Ita Cyprianus Ep. 73. ad Jubaj. *qui in*

Ecclesia baptizantur, *Præpositis Ecclesiæ offeruntur*, *ut per nostram Orationem*, *ac manus impositionem Spiritum S. consequantur*. S. Augustin. L. 15. de Trinit. C. 26. de Apostolis confirmantibus, *orabant*, inquit, *ut veniret in eos* (Spiritus S.) *quibus manum imponebant*, - - *quem morem etiam nunc in suis Præpositis servat Ecclesia*. His non absimilia legere est apud Tertullian. L. de Bapt. C. 8. Ambrosium L. 3. de Sacram. C. 2. Hieronymum in Dial. contra Lucif. C. 4. Siricium Pap. in Ep. 1. ad Himerium, & Leonem Pap. Ep. 129. alias 79. C. 7. Non obscure hinc porro colligitur: etiam post Apostolorum tempora Confirmationem, uti sola manuum impositione tanquam materia, ita pariter sola Oratione tanquam forma, aliquando saltem fuisse ministratam.

47 Prob. 2*da* pars Assertionis ex Concilio Constantinopol. I. & Synodo Trullana N. 42. cit. item Florentino Concil. jam sæpius memorato, in quibus Confirmationis Sacramentum sola unctione & verbis indicativis describitur: quin in Florentino diserte asseritur, ea esse formam hujus Sacramenti. Sicut igitur ex his recte arguimus, solam unctionem esse sufficientem Confirmationis materiam: perinde licebit inferre, verba illa: *signo te &c.* vel *signaculum doni &c.* aut his æquivalentia sufficere pro forma completa. Rursum vero hic pro nobis præcipue facit ritus Græcorum, in solis illis verbis *signaculum doni &c.* formam hujus Sacramenti reponentium, quin de hoc illis litem unquam moverit Latina Ecclesia. Idem esto judicium de reliquis Orientalibus, quamvis horum aliqui ad singularum partium ex ritu suo unctionem formam hanc variatis verbis repetant, ut Coptitæ Alexandrini, Æthiopes &c. Nominatim enim Æthiopes (ut refertur in eorum *Officio Baptismi* Romæ latine reddito, ac typis vulgato) in frontis chrismatione dicunt: *sit unctio gratiæ Spiritus Sancti*; ad unctionem vero narium & labiorum: *hoc est pignus*, seu nota, *Regni Cælorum*; ad aures: *unctio sancta D. N. J. Christi &c.* Huic similis

lis ritus est Coptitarum. Vide hæc pluribus apud Auth. Perp. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 11. sub finem.

Prob. 3*tia* pars Assertionis eodem, ut supra N. 2*. de 48 materia, argumento. Si enim vel sola Oratio deprecativa, vel indicativa verba sola sint sufficiens Confirmationis forma: cur non perinde per modum unius totalis formæ simul conjuncta sufficiant? At cumprimis istud evincit ritus Latinæ Ecclesiæ pro forma hujus Sacramenti utroque simul utentis. Praxim vero hanc docemur non tantum ex Pontificali Rom. Clementis VIII. & usu, quem hodie experimur: sed & ex vetustioribus Libris Ritualibus & Sacramentariis, qui præscribunt Confirmationem esse ministrandam tam oratione, quam verbis unctioni respondentibus. Ita Ordo Rom. circa Sec. VIII. editus C. de Sabb. sancto: *Pontifex - - elevata & imposita manu super capita omnium dicat Orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ spiritus: Omnipotens &c. Oratione expleta - - tincto pollice in chrismate faciat crucem in frontibus singulorum ita dicendo: confirmo te in nomine Patris & Filii &c.* Et in antiquissimo Petaviano Codice in Offic. Sabbathi S. de ritu Confirm. *imponit eis manum in his verbis: Deus Omnipotens &c. postea signat eos - - dicens: signum Christi in vitam æternam &c.* Idem præscribitur in L. vetusto, cui Tit. *Ordo Romanæ Ecclesiæ observari solitus tempore Innocentii Papæ III. & aliorum Pontificum;* & antiquissimo Sacramentario Tolosano in Offic. Sabb. sancti, nisi quod in his forma unctioni respondens sit paulo diversa. Utriusque verba recitat Morin. de Sacram. Pœnit. L. 8. C. 16. Num. 5. & 8. Ex hac vero Ecclesiæ Latinæ praxi quid ni ita arguere liceat: spectata Christi institutione, tam verba deprecatoria, quam indicativa possunt esse forma Confirmationis; dum igitur in ea ministranda utrisque Ecclesia utitur, utraque simul unius formæ totalis instar adhibet: sicque ex sensu Ecclesiæ illa non seorsim tantum, sed & conjuncta Sacramenti hujus formam possunt constituere.

Resolvuntur Objectiones.

49 OBjic. contra 1mam part. Assert. Oratio, quæ manus impositionem in Confirmationis ritu comitatur, rationem Sacramentalis formæ habere nequit; uti enim Sacramentum, sic & forma ejus ex opere operato efficit gratiam: oratio contra hæc, ut quæ deprecativa est, ad effectum gratiæ conducit solum ex opere operantis. Quid quod Act. 19. tametsi memoretur Confirmatio per manuum impositionem collata, Orationis tamen nulla fiat mentio. Si quando itaque in Sacramenti hujus administratione recitata est, ac hodie etiam recitatur deprecativa oratio, ea cæremoniæ dumtaxat accidentalis instar, non vero pro forma Sacramenti haberi debet.

Resp. quamvis oratio extra Sacramentum, cum videlicet ejus pars non est, solum ex opere operantis causet gratiam: eadem attamen, dum partem agit Sacramenti, gratiæ ex opere operato efficiendæ vim habet. Exemplum habes in verbis deprecativis, quæ formam Extremæ Unctionis constituunt. Nihil igitur est, quo minus memorata oratio pro Confirmationis forma habeatur. Sed nec alterum, quod ex Act. 19. ducitur, argumentum evincit quidquam: per ipsam enim manuum impositionem sufficienter innuitur Oratio, tum quod jam ante Act. 8. memorata sit; tum quod ex communi Ecclesiæ usu manus impositio cum Oratione semper conjungatur. Inde Augustin. L. 3. de Bapt. C. 16. *quid est*, inquit, *manuum impositio, nisi oratio super hominem?* & L. 15. de Trinit. C. 26. universim ait, ipsos Christi Discipulos non dedisse Spiritum Sanctum, *sed orasse, ut veniret in eos, quibus manus imponebant.*

50 Objic. contra 2dam part. Assertion. Verba indicativa, quæ apud Latinos & Græcos chrismationi respondent, vix ab institutione Christi repeti possunt. Ac ut primum de iis, quæ Latinis sunt in usu, dicamus: nova ea esse videntur, totique retro

retro antiquitati usque ad Sec. VIII. incognita. Præterquam enim quod S. Literæ & Patres de illis sileant; Gregorius M. in suo Sacramentario Confirmationis ministrandæ ritum describens, non plus refert, quam *Pontificem elevata manu super capita omnium dicere: Omnipotens sempiterne Deus &c.* ac dein *tincto pollice in chrismate facere crucem in fronte unius, & similiter per omnes singillatim;* ubi vides non memorari verba apud Latinos unctioni respondentia: neque ea omnino in ullo legere est Rituali antiquiore, quam sit Ordo Roman. circa Sec. VIII. editus.

Accedit: hanc ipsam Latinorum formam non eamdem semper fuisse, quin ab ea, qua hodie utimur, multum diversam. Ita in Ord. Rom. his verbis absolvitur: *Confirmo te in nomine Patris & Filii &c.* in Codice Petaviano autem supra cit. *Signum Christi in vitam æternam;* & apud Gulielmum Parisien. Ep. L. de Sacram. *consigno te & cruce confirmo;* apud Alcuinum denique L. de Divin. Offic. C. de Sabb. Sanct. non aliud præscribitur Episcopo post finitam Orationem ungenti dicendum, quam: *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Quis jam autem existimet, eam verborum formam, qua hodie Latini utimur, a Christo esse institutam? ut quæ & primis Ecclesiæ Seculis fuit incognita, & posterioribus adeo variata.

Resp. neutro horum evinci, quo minus hodierna etiam apud Latinos Confirmationis indicativa verba pro forma a Christo instituta haberi possint. Et quidem

Non evincit 1*mum:* neque enim ea est, quam Adversarius vult, hujus formæ novitas. Legimus eam quidem primum in Ordine Romano: at non legimus simul, dum ille prodiit, formam hanc ab ullo improbatam. Nova igitur ea tum nemini visa est: sed omnium consensu accepta ut a Majoribus, ab ipsis imo Apostolis & Christo tradita; quod ipsum juxta Augustini & Tertulliani regulam alias laudatam, eo credibilius est, quod a nullo Pontifice aut Concilio originem formæ

illius repetere possimus. Nec mirere antea a nemine fuisse scripto proditam: novimus enim a veteribus Patribus & Scriptoribus multa etiam alia, quæ Sacramentis sunt propria, silentio esse præterita; seu quod tum ex usu jam communi nota fuerint: seu quod ea consulto scriptis vulgare noluerint, ne videlicet Divina Mysteria Gentilium profanationi objicerentur. Habemus in hanc rem argumentum ex Innocentio I. qui in Ep. ad Decentium C. 3. de Confirmationis unctione differens, verba ejus destinato reticet: *verba autem*, inquit, *dicere non possum; ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Sunt interim DD. qui formam Latinorum non obscure indicari existiment 2. Cor. 1. illis Apostoli verbis: *qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* & apud Ambrosium L. de Myster. C. 6. *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.*

Utut interim sit de hoc in præsenti Veterum silentio, nihil ex eo adversum nos inferri vel inde conjicias: quod in quibusdam Liturgiis a Cl. Mabillonio illustratis omittatur forma Consecrationis, quod ipsum in hodiernis etiam Liturgiarum Libris, quibus Græci ritus per Ungariam & Transsylvaniam Sectatores utuntur, observare est; quod item, teste Martene L. 1. de Antiqu. Eccl. Ritibus C. 2. in plerisque antiquissimis MSS. Ritualibus in Confirmationis descriptione nulla fiat mentio impositionis manuum, sed solius Orationis, ut nominatim apud eundem in Pontificali Pictaviensi Seculi IX. videri potest; quod denique teste eodem Martene in aliquibus Codicibus vetustis ne Baptismi quidem forma legatur. Quis vero hinc jure arguat? veteres illos nec certa verborum forma usos fuisse in Missæ Sacrificio & Baptismo, nec manus impositione in Confirmatione. Idem igitur & in præsenti de Veterum silentio esto judicium: præsertim cum alia nobis suppetant

tant

tant momenta, quibus indicativa Latinorum forma Confirmationis Sacramento vindicetur.

Non evincit etiam *2dum*: tota quippe illa diversitas est solum accidentalis, verborumque potius, quam sensus a Christo requisiti; cum in omnibus illis formis actio Ministri & effectus Sacramenti exprimantur, quæ præcipua sunt. Laudatus ex Alcuino locus paulo difficilior est, fateor; inde, si is mutilus non sit, reliquum est, ut dicamus: Ecclesias quasdam Gallicanas circa Sec. VIII. cum impositione manus fuisse usas sola forma deprecativa, verba autem, *in nomine Patris & Filii &c.* una cum Unctione cæremoniæ instar dumtaxat adjecisse.

Hæc eadem servient pro Responso, cum opponitur ea diversitas, quæ Græcorum inter ac Orientalium aliorum, & Latinorum formas intercedit. In omnibus certe his tam actio Ministri quam effectus Sacramenti exprimitur, ut eas invicem conferenti patebit; quod vero istud in quibusdam fiat clarius, in aliis obscurius, id substantiam formæ a Christo institutæ non variat. Animadvertendum porro hic & illud: quod cum Græci in Confirmationis forma, suffragio Ecclesiæ Latinæ approbata, SS. Trinitatis invocationem non adhibeant, jure censeri potest, eam ad substantiam formæ non pertinere.

Objic. contra *3tiam* Assertionis partem. Non minus Græci ac Latini Unctioni Confirmatoriæ præmittunt Orationem deprecativam: hæc tamen apud Græcos rationem formæ non habet, ut quæ per eos in solis indicativis verbis unctioni respondentibus consistit; eadem igitur deprecativa Oratio apud Latinos pro forma habenda non est: quodque hinc consequitur, ex ritu Latinæ Ecclesiæ non recte arguitur, deprecativa simul & indicativa verba posse constituere unam totalem ac completam Sacramenti hujus formam. 51

Resp. complures esse Theologos, qui cum Tournelyo Orationem deprecativam apud Græcos etiam ad formam Confirmationis adæquatam pertinere asserant, idque propterea, quod

quod in omnibus eorum Euchologiis unctioni Confirmatoriæ præmittenda præscribatur. Id vero si ita se habeat, tota vis argumenti jam elisa est.

Quod interim mihi de hoc verisimilius videtur, ut aperiam: censeo omnino, Orationem illam apud Græcos ne partialem quidem esse formam hujus Sacramenti, tametsi eam chrismationi præmittant. Nempe, Græci ipsi memoratam Orationem pro Confirmationis forma non habent, ut quam in solis indicativis verbis constituunt teste Goario in Not. ad Euchol. & Bessarione L. de Sacram. Euch. ubi recitatis verbis, *signum doni Spiritus S.* continuo adjicit: *& hæc verba secundum eos* (Concilii Constantinopolit. I. videlicet Patres, ad quos provocat) *hoc chrismatis Sacramentum perficiunt.* Deinde: cum hæc Oratio a Græcis recitatur, nulla fit manus impositio aut chrismatio; nulla igitur illi respondet materia: cum tamen universim Sacramentorum forma, ceu pars determinans materiam, eam comitari, aut sequi saltem debeat. Denique: hac Græcorum Oratione petitur, ut Deus recens baptizato largiatur *signaculum doni Sancti - - & Sancti Corporis ac pretiosi Sanguinis Christi communionem &c.* sicut proinde deprecatio hæc comparate ad Eucharistiæ Sacramentum, ita & ad Confirmationem est mera præparatio, & nuda dispositionis cujusdam præviæ cæremonia. Alia omnia sunt apud Latinos; ut adeo, tametsi Oratio illa apud Græcos non sit Confirmationis forma, pro tali tamen in Latinorum ritu haberi debeat.

Opponi isthic præterea, paucis mutatis, possunt argumenta supra a N. 37. posita; verum quia ad ea in præsenti, ut illic, cum proportione respondendum est, satis fuerit studiosum Lectorem eo remittere.

DIS-

DISSERTATIO II.
DE EFFECTU ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

§. I.
Qui sint Confirmationis effectus? Orthodoxorum & Sectariorum doctrina

I. Certum est Catholicis omnibus, Confirmationis Sacramento duos peculiares respondere effectus: gratiam roboris videlicet, & characterem. Gratiæ roboris porro nomine intelligitur gratia sanctificans cum ea plenitudine & augmento, cui ex institutione Christi sit adnexum jus ad supernaturalia illa auxilia tempore opportuno concedenda, quibus peculiariter juvemur ac roboremur ad fidem intrepide profitendam, & superandas adversus fidem tentationes, unde unde demum illæ, seu a Mundo, seu a Carne, aut Dæmone, ortum habeant. Character vero Confirmationi proprius est spirituale ac indelebile quoddam signum, *quo* (ut exponit Catech. Concilii Tridentini Tit. de Sacram. in Gen. sub finem) *velut Christi milites ejus nominis publicam confessionem instruimur, & contra insitum nobis hostem armamur: simulque ab iis, qui nuper baptizati sunt discernimur.* 52

II. Lutherani & Calviniani, qui Confirmationem e Sacramentorum numero expungunt, memoratos effectus ei convenire, ut consequens est, negant; neque hic sistunt, acerbis etiam cavillis eos insectantur. Calvinus certe L. 4. Instit. C. 19. primo Confirmationis effectu ex doctrina Catholica (quamquam non satis fideliter) relato, continuo vociferatur: *hanc esse Sathanæ doctrinam, quæ promissiones Baptismi proprias a Baptismo abscissas alio derivet.* Dallæus vero L. 1. C. 3. de Confirm. characterem Confirmationis commemorans, ad *somnia* 53

Catholicorum eum relegat. His non abſimilia leguntur apud Lutherum, Melanchtonem, Kemnitium, & alios. Quorum omnium ſeu cavillis ſeu argutationibus ut occurramus, peculiari Aſſertione tuebimur: gratiam roboris eſſe proprium Confirmationis effectum; ea vero quæ ad ejus characterem propugnandum faciunt, repetenda erunt ex L. I. Diſſert. III. §. II.

ASSERTIO.

Effectus Confirmationis Sacramento proprius eſt gratia roboris in ſenſu jam expoſito.

54 ASſerti hujus veritatem Sectarii, niſi cœcutirent, ultro cognoſcere poterant ex S. Literis, præſertim Act. 8. ubi de Samaritanis dicitur v. 16. *nondum enim in quemquam illorum* (Spiritus Sanctus) *venerat: ſed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU;* ac deinde de Confirmatione additur v. 17. *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Nempe, Samaritani jam baptizati dicuntur nondum accepiſſe Spiritum Sanctum, tametſi fide certum ſit in Baptiſmo conferri Spiritus S. gratiam juxta illud Rom. 5. *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis;* quomodo ergo Samaritani jam baptizati nondum acceperant Spiritum Sanctum? non ſe iſthinc expediet Sectarius, niſi nobiſcum fateatur, non accepiſſe eos cum ea plenitudine, qua deinde acceptus fuit per manus impoſitionem ſeu Confirmationem. Quis vero hic Spiritus Sanctus? ille utique, de quo Joan. 7. legitur, *nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus.* Quomodo autem rurſus ante glorificationem ſeu Aſcenſionem Chriſti nondum erat Apoſtolis datus? numquid ante hanc jam erant & baptizati, & ordinati, & Euchariſtia refecti, ac proinde per hæc Sacramenta Spiritu Sancto donati? Quid quod eum illis aperte Chri-

ſtus

ſtus poſt ſuam Reſurrectionem contulerit, cum Joan. 20. in eos inſufflans dixit: *accipite Spiritum Sanctum;* ejusdem attamen Joannis teſtimonio, *non erat Spiritus datus*, antequam Chriſtus glorificaretur. Non erat videlicet datus ille Spiritus virtutis ac fortitudinis, quem Chriſtus Act. 1. promiſit, *accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti.* Vide in hanc rem dicta Differt. I. N. 6. & 7. in Reſp.

Quod ſi itaque S. Literæ attendantur, gratia Confirmationis id peculiare habet ab ea, quæ in Baptismo confertur; quod cum per hanc regeneremur Chriſto: per illam peculiare robur ac virtutem conſequamur ad Chriſti fidem intrepide profitendam, ac ſuperandas tentationes, quæ adverſum fidem in hac vita nunquam non occurrunt.

55 Pro eadem doctrina Patrum authoritas & Traditio pugnat, unaque ſectarios imperitiæ, aut verius pervicaciæ redarguit. Conſule jam ſupra Diſſ. I. N. 5. laudatos Tertullianum, Cyrillum Hieroſ. & Ambroſium. Huc facit & Cyprianus Ep. 73. ubi Neophytos confirmari ait propterea, *ut per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Et Cyrillus Alexandr. Comment. in Joel. Confirmationem ait ſequi Baptiſma, *ut per Baptiſma juſtificatis conferat ad conſummationem.* Item Patres Concilii Eliberitani Sec. IV. habiti Can. 38. & 77. baptizatum dicunt ad Epiſcopum perduci, *ut per manuum impoſitionem perfici poſſit.* Ex mente igitur veterum Patrum per Confirmationis Sacramentum confertur gratia virtutis ſeu roboris, perfectionis, & conſummationis, ſeu augmenti ſpiritualis. Eundem porro & deinceps Eccleſiæ fuiſſe ſenſum, docemur ex Concilio Florent. quod in Decreto Eugenii pro Arm. hujus Sacramenti effectum referens, *per Confirmationem*, inquit, *augemur in gratia, & roboramur in fide.*

Respondetur Novatoribus.

56 ARgumentum, quo cum Calvino, Kemnitio, & Dallæo Novatores Confirmationis effectum impugnant, huc fere recidit. Injuriam nempe eo inferri Baptismati vociferantur: si enim, inquiunt, gratia Confirmationis sit perfectio & consummatio spiritualis; si gratia eadem sit virtus quædam ac robur: Baptismi Sacramentum non est perfectum sine Confirmatione; nec Baptismi gratia præbet vires ad fidem profitendam & retinendam. Quis vero hæc sine injuria & probro Baptismi afferat?

Resp. argutationem hanc non esse Baptismi vindicias, sed speciosum pallium, quo videlicet verbis male invicem contextis errorem suum Novatores tegant, & lucem veritatis rudioribus eripiant. Ponant itaque primum larvam, ac dein, si veritatis investigandæ studio adversum nos pugnare velint, adeant D. Thomam, qui jam dudum ante illos hujusmodi dubitationibus occurrit, cum 3. p. qu. 72. Ar. 5. in ☉. & rursum ibid. in Resp. ad 1. inter Baptismi & Confirmationis gratiam distinguens, utramque ex sensu Ecclesiæ exposuit, quidque earum singulis proprium ac peculiare sit, explanavit. Ac omnino, ut certum reddatur, in hac de Confirmationis effectu doctrina nihil Baptismo inferri injuriæ, satis est ad hanc explanationem advertisse. Profitemur nempe omnes Catholici etiam in Baptismo dari gratiam ad fidem profitendam & propugnandam: ipsumque Baptismum, tametsi non sequatur Confirmatio, rite perfici, & suos effectus operari; cum vero ad mentem Patrum dicimus Baptismum per Confirmationem perfici, compleri, & consummari: ipsam autem Confirmationis gratiam esse perfectionem, gratiam roboris &c. istud non alio sensu accipi volumus, quam quod per Confirmationem gratiæ in Baptismo collatæ addatur nova, eaque uberior, & cum quadam plenitudine propter peculiare jus illi adnexum ad

speci-

ſpecialia auxilia, quibus peculiariter juvemur ad fortius propugnandam fidem, & facilius ſuperandas adverſus eam quaslibet tentationes. Quid vero in his omnibus Baptiſmi Sacramento eſt injurium? Et ipſi certe Novatores agnoſcunt per Euchariſtiam augeri, hocque ſenſu perfici Baptiſmi gratiam: quin etiam Euchariſtiæ gratiam peculiari nomine *eſcam animæ* compellant; iſtud tamen abſque Baptiſmi injuria dici exiſtimant. Cur igitur culpam, qua ſe eximios eſſe volunt, nobis appingant?

57 At urgent I. in Baptiſmo conferri ſufficiens gratiæ robur ad fidei profeſſionem juxta illud ad Gal. 3. *quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis;* idemque dicendum eſſe ajunt de Euchariſtia, cui Cyprianus Ep. 54. ad Cornelium eandem efficaciam attribuens, *idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium*, inquit, *qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit & accendit.* Nihil igitur eſt, inferunt, cur hoc gratiæ robur peculiari nomine Confirmationi adſcribatur.

Reſp. argumentum hoc verbis quidem proponi aliis, in re autem idem eſſe cum priori, recoctam proinde crambem. Quod igitur a nobis jam dictum eſt, iterum dixiſſe ſuffecerit: tam Baptiſmi videlicet quam Euchariſtiæ gratia (imo id gratiæ cuilibet commune eſt) dat vires ad fidem profitendam; at has præterea Confirmationis gratia peculiariter auget, cum hoc Sacramentum a Chriſto ſit inſtitutum ſpeciatim ad eum finem. Numquid non paſcit animam Baptiſmi gratia? vel per Novatores tamen ſingularis illa prærogativa tribuitur Euchariſtiæ, quod ſit *eſca animæ*, & *panis fortium.* Uti nempe diverſa inſtituit Chriſtus Sacramenta, ita diverſos fines illis præſtituit: quo, qui a multiplici hoſte impetimur, multiplici pariter præſidio communiamur. Atque ad hæc conformiter exponenda ſunt tam Apoſtoli quam Cypriani verba. Notaſſe præterea ad objectum Cypriani locum juverit: agit illic

S. Doctor nominatim de lapsis in persecutione, unaque asserit, iis post amissam Baptismi & Confirmationis gratiam superesse Pœnitentiæ & Eucharistiæ remedium, hocque illis non esse negandum, quo robur fidei recuperent, fiantque idonei Martyrio.

58 Urgent II. satis constare confirmatos a non confirmatis in Virtute & fidei constantia sæpe nihil differre: quin illos etiam fidei imbecillitatem non raro prodere, cum quosdam vel levi tentatione pulsatos succumbere experiamur; certum igitur non est, per Confirmationem conferri peculiare robur gratiæ.

Resp. non recte fieri illationem: pluribus enim de causis id evenire potest, tametsi effectus hic Confirmationi sit proprius. Scilicet, fit non raro, ut confirmati defectu dispositionis necessariæ Sacramenti gratiam non percipiant: aut si percepta est, subinde eam amittant; aut denique auxiliis huic gratiæ respondentibus cooperari nolint. Quid jam vero mirum hos in fide labefactari? cum ex adverso non confirmati gratiam roboris sine Confirmationis Sacramento piis operibus frequentatis sibi promereantur quandoque, adjutique illa, otiosam & vacuam in se eam esse non sinant: neque enim negamus, gratiæ effectum Confirmationi proprium etiam sine illo conferri posse. Cæterum si confirmatoriæ gratiæ vim ac efficaciam nosse cupiant Novatores, advertant tantillum ad Apostolos. Gratia certe, quam in Pentecoste, tametsi sine Sacramento, acceperant, eadem erat, quam deinde ipsi per manus impositionem conferebant. Quanta vero ac qualis illa! jam animose Christum prædicant, quem antea turpiter fugerant: intrepide jam Judæos increpant, quos nuper formidarunt. *O qualis* (exclamat hic D. Gregorius) *o qualis Spiritus S. artifex! implet piscatores, & facit Prædicatores*, prædicatores inquam, qui non modo verbis Christum prædicent, sed & cruciatus ac mortem pro Christo exambiant,

gau-

gaudeantque, si digni habeantur pro nomine JESU pati. Hoc nempe illud gratiæ robur est, de quo Christus dixerat Luc. 24. *sedete in Civitate, quoad usque induamini virtute ex alto;* & Act. 1. *accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti.*

Corollarium.

PRimis Ecclesiæ fidelibus in Confirmationis Sacramento per Apostolos ministrato conferebatur Spiritus S. sub signis visibilibus, simulque cum gratia interiore dono etiam linguarum & prophetiæ, ut ex Act. Ap. constat. Sola interim gratia interior, quam *gratiam gratum facientem* dicunt Theologi, proprius ac permanens fuit Sacramenti effectus: reliqua vero, seu *gratiæ* illæ *gratis datæ*, favor dumtaxat extraordinarius, quem Deus occasione susceptæ Confirmationis peculiari sua providentia fidelibus impendebat. Inde, tametsi deinde posterioribus temporibus in Confirmatione dona hæc externa dari desierint, idem tamen Sacramentum esse non desiit: utpote quod non minus nunc, ac antea, proprium huic Sacramento effectum, gratiam interiorem videlicet, & robur spirituale operatur. Quod si autem quæras, cur gratiæ illæ externæ in Confirmatione non amplius conferantur? tametsi istud a judiciis Dei pendeat, causam tamen a congruo collige ex Augustino, qui Tract. 6. in Ep. S. Joan. *primis temporibus*, inquit, *cadebat super credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, - - signa erant tempori opportuna.* Et L. 3. de Bapt. C. 16. rursum: *neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut dabatur antea ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda.*

59

§. II.

§. II.

An & quæ sit necessitas Confirmationis?

Opiniones DD. Orthodoxorum.

60 I. CONsentiens omnium doctrina est, Confirmationis Sacramentum non esse necessarium necessitate medii ad salutem: hanc quippe sine illo obtineri posse satis patet ex illis Christi Marc. 16. verbis: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* idemque docent PP. præsertim Hieron. in Dial. contra Lucif. Hilarius Arelat. in Homil. de Pentec. & Patres Concilii Eliberitani Can. 77. Quod igitur DD. controvertunt, id unum est: num detur præceptum aliquod divinum aut Ecclesiasticum, quo fideles sub gravi culpa obstringantur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum? Ac de hoc quidem

61 II. Variæ sunt DD. opiniones, quarum præcipuas Suarez in 3. p. D. Th. Disp. 38. Sect. 1. quatuor recenset. Prima affirmat a Christo latum esse præceptum de Confirmatione, si commode fieri possit, ab adultis suscipienda; cujus sententiæ fuit Scotus, Richardus, Thomas Vald. Petrus Soto &c. Altera docet præceptum hoc obligare solum eo casu, dum fides profitenda esset coram Tyranno sæviente, si tamen commoda sit occasio recipiendi hujus Sacramenti; ita Durandus, Gabr. Biel, Turrecremata &c. Tertia admittit quidem dari præceptum Ecclesiasticum: non tamen divinum; ut existimarunt, Alexander Ales, Bonaventura, Paludanus, Sylvester &c. Demum ultima opinio est, nullum penitus esse præceptum: nullam proinde gravem admissurum culpam eum, qui, secluso contemptu, Sacramentum hoc toto vitæ tempore non perciperet; pro qua opinione citantur Ledesma, Adrianus, Angelus, Ruardus Tapperus, Navarrus, quin & S. Thomas. Loca, in quibus opiniones has memorati DD. propugnant, laudari repe-

reperies apud cit. Suarez, qui ibid. poſtremis adhæret. Ac omnino cum his & ipſe ſentiendum cenſeo, adjecta tamen reſtrictione quadam cum Suarezio. Sit igitur

ASSERTIO.

Nulla eſt, per ſe loquendo, Confirmationis neceſſitas ex præcepto ſub culpa gravi obligante.

62 Argumentum in hanc rem eſt: nam præceptum graviter obligans univerſim aſſeri non debet ſine gravi & cogente fundamento; nullum autem ejusmodi in hac controverſia adferri poteſt ſeu ex Scriptura, ſeu ex Patribus: aut, ſi quod eſt, proferatur. Certe Patres, ad quos potiſſimum adverſæ opinionis Patroni provocant, mitiore ſenſu exponi poſſunt congrue, ut in Objectis videbimus. Quin pro nobis videtur facere uſus & praxis Eccleſiæ: neque enim fideles communiter inducuntur ad hoc Sacramentum percipiendum tanquam neceſſitate aliqua obligati, verum invitantur potius ad illud, ceu bonum aliquod & ſalutare remedium accepturi; hinc non adſtringuntur ullis cenſuris, aut mediis aliis, quæ neceſſitatem præcepti, & gravem obligationem indicent. Certe autem nullum in præſenti eſſe juris Divini aut Eccleſiaſtici præceptum vel illud ſatis comprobat: quod ne in mortis quidem articulo omnibus conferatur hoc Sacramentum, imo nec id fieri urgeat Eccleſia, tametſi ſæpe ejus miniſtrandi commoda foret occaſio.

63 Sunt vero in Aſſertione conſulto addita duo: primum, *ſub gravi culpa*; deinde, *per ſe loquendo.* Ratio 1*mi* eſt: nam iſthic ſolum de obligatione gravi diſputamus; an autem & quando peccatum veniale ſit omittere ſuſceptionem hujus Sacramenti, id (ut notat Suarez) ex fine & modo voluntatis judicandum eſt. Ratio 2*di*: ex accidente enim aliquo poteſt dari gravis obligatio ſuſcipiendæ Confirmationis, tametſi obligatio hæc non proveniat ex præcepto aliquo peculiari, de

 quo

quo hic agimus. Ita graviter peccat, qui ex contemptu gravi non suscipit hoc Sacramentum; aut, qui illud suscipere negligit, quamvis practicum conscientiæ dictamen habeat, sine hoc remedio tentationes contra fidem se non superaturum &c. An vero gravis obligatio sit Confirmationis percipiendæ ante Ordines, controvertitur inter Doctores, cum Concil. Trident. Sess. 23. C. 4. prohibeat prima tonsura initiari non Confirmatos. Quia interim hoc loco nec censura ulla imponitur; nec quidquam additur, quod præceptum graviter obligans indicet, probabilius est, hoc casu omissionem Confirmationis non futuram peccatum, saltem grave, ut existimat cit. Suarez, & apud eum ibid. Soto, Victoria & Navarrus.

64 Neque dicas: unctione verticis in Baptismo usurpata suppleri Confirmationis Sacramentum; nullo igitur casu illud esse necessarium. Negandum etenim omnino est Assertum; idque potissimum tribus ex causis. 1*mo*, quia unctio hæc verticis est mera Baptismi cæremonia, & quidem probabilius ortum habens ab institutione Ecclesiastica: nequit igitur esse ejusdem cum Confirmationis Sacramento efficaciæ, nec hoc per illam suppleri. 2*do*, quia, ut constat ex Libris Ritualibus & Pontificalibus, usus & praxis Ecclesiæ est Sacramentum Confirmationis ministrandi iis etiam, qui in Baptismo jam antea uncti sunt in vertice. 3*tio*, quia roboris gratia, quæ hujus Sacramenti effectus est proprius, a nullo Patrum aut Conciliorum memoratæ unctioni attribuitur.

65 Sunt equidem, qui cum Hugone Victor. Rabano & Bellarmino existiment, unctionem verticis in Baptismo institutam esse propter eos, qui articulo mortis præventi Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscipere nequeunt; at DD. hi nuspiam asserunt, unctionem illam effectum Confirmationi proprium operari. Id igitur solum volunt: hanc Baptismi cæremoniam *propter transitum mortis* esse institutam, ut illa Confirmationis Sacramentum figuretur, ac veluti adumbretur, hac-

que

que ipſa figura & umbra ſignificetur fidelibus peculiaris utilitas Sacramenti, quo vel ſic ſuſcipiendi ejus deſiderium in baptizatis excitetur.

Ac Bellarminum quidem L. de Bapt. C. 27. non plus voluiſſe certum eſt; Hugonem vero L. 2. de Sacr. Par. 7. C. 3. & Rabanum L. 1. de Inſt. Cler. C. 28. eodem ſenſu fuiſſe locutos ex contextu colligitur: quem niſi attendas totum, ſolumque loca eorum aliqua conſulas, pronunciata quædam reperies, quæ cum recepta ab Orthodoxis doctrina ægre conciliabis. Ita illud Hugonis, cum ibid. dicit: unctione hac verticis oſtendi, *quantum Sacramentum iſtud* (Confirmationis) *ſit neceſſarium ad ſalutem, cum tam ſolicite univerſis cavetur, ne ſine ipſo ab hac vita ſubtrahantur.* Illudque Rabani loco cit. cum baptizatum, propter tranſitum mortis, a Presbytero liniendum eſſe chriſmate aſſerens, pro cauſa addit: *quia quicunque non eſt Chriſti, regni ſui particeps fieri nequit, ideoque neceſſarium eſt, ut ſtatim ſuccurratur baptizato cum chriſmatis unctione, ut Spiritus S. participationem accipiens alienus a Chriſto non exiſtat.* Verborum ſane horum rigorem mitiore ſenſu emolliendum eſſe nemo non videt.

66 Cæterum, quod ſi Hugo & Rabanus, ac quidam alii oppoſitum nobis ſenſerint, non eſt, cur in præſenti eorum authoritate percellamur. Fundant nempe ſe illi in Pontificali Damaſi, ubi in Vita S. Sylveſtri legitur, hunc Pontificem Epiſcopis privilegium conceſſiſſe, *ut baptizatum conſignent propter hæreticam ſuaſionem;* in articulo autem mortis *Presbyteros etiam propter tranſitum mortis conſignare poſſe.* Jam vero Pontificale hoc dubiæ admodum eſt fidei: certe Hieronymus illud inter Damaſi Opera non numerat; Sylveſtri etiam vita, quæ in eo refertur, fabulis reſperſa eſt: ut: S. Helenam Conſtantini Matrem Judæorum opera pene adhæſiſſe eorum religioni, ad eamdem filium invitaſſe &c. Quin id ipſum, quod jam de privilegio Epiſcoporum recitavimus, commentum eſt: quo-

modo enim a Sylvestro concessum consignandi privilegium Episcopis? quibus hoc consignandi munus jam inde a primis Ecclesiæ temporibus proprium fuit, ut constat ex Patribus, quorum jam aliquos sparsim laudavimus, quosdam etiam adhuc Differt. III. §. I. laudaturi. Eruditos certe si de hoc Pontificali consulas, passim illud Damaso abjudicant, ac posteriori cuidam Scriptori attribuunt; interpolatum saltem, ac corruptum esse ab aliquo dubitari nequit. Vide Pagium in Breviar. Rom. Pontificum, Natalem Alex. in Hist. Eccl. Sec. IV. Baronium item, Bellarminum &c.

Resolvuntur Objectiones.

IN præsenti controversia cum Tournelyo, Simonetto, Lud. Haberto & Bertio Recentiorum plurimos habemus adversarios: omnium autem acerrime in opinionem a nobis assertam pugnat, aut verius invehitur Author Rei Sacram. L. 3. Q. 8. Cap. 2. §. 1. Concl. 2. hinc consulto ejus argumenta primum diluenda suscipio.

67 Ita autem arguit I. Sacramentum Confirmationis pro omnibus est a Christo institutum; adjectum igitur etiam pro omnibus ejus suscipiendi præceptum: secus enim frustra esset universalis hæc institutio.

II. Colligitur hoc ipsum præceptum ex Apostolorum, ac omnis ævi Antistitum solicitudine Confirmationem baptizatis ministrandi: præsertim cum Episcopis incumbat gravis obligatio Diœceses perlustrandi., ac in iis confirmandi; an enim solicitas adeo Præsulum curas licebit fidelibus eludere, & sine ulla culpa omittere perceptionem Sacramenti, quod divinitus præparatum est in remedium ordinarium ad uniuscujusque securitatem & vincendos salutis hostes?

III. Præceptum idem, ait, indicari Patrum & Conciliorum Decretis, e quibus Cl. Author hæc nominatim memorat. Eli-

Eliberitani Patres Can. 77. præscribunt: *si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* S. Cyprianus Ep. 70. *ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Patres Laodiceni Can. 48. *oportet eos, qui illuminantur, post Baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni cœlestis participes.* His recensitis in opinionem contrariam invehitur; ac demum

IV. Compendio commemorans sensa quarumdam hujus argumenti propositionum, quas Clerus Gallicanus & Parisiensis Academia confixit, ad hanc ipsam censuram provocat.

Resp. ad I. Dist. Assert. hoc Sacramentum est institutum pro omnibus hoc sensu, quod omnes sint ejus capaces, sitque omnibus insigni ad robur fidei & perfectionem Christianam præsidio, Conc. alio sensu, Nego una cum Illatione. Sed nec propterea frustraneam dixeris universalem ejus institutionem: ad id enim satis est, ita esse Sacramentum hoc institutum, ut spectata institutione Christi ab omnibus possit & valide & cum fructu percipi. Si præterea institutioni huic præceptum esse conjunctum velit Adversarius, id reliquum habet, ut etiam evincat.

At institutioni Sacramenti, inquies, adnexum est præceptum? adnexum equidem, quo Ministri Ecclesiæ obligentur ad illud ministrandum: non item etiam quo fideles sub gravi culpa urgeantur ad suscipiendum. Ministris nempe vi muneris, ad quod assumpti & peculiariter ordinati sunt, incumbit divina mysteria dispensare: ac nisi istud faciant, privant fideles ingenti fructu, ad quem ex institutione Christi jus habent; quod utique uti sine fidelium injuria, sic nec sine culpa Ministrorum fieri potest. Quod vero hujusmodi fundamentum ad asserendum præceptum, quo vicissim fideles graviter obstringantur ad hujus Sacramenti

 per-

perceptionem? clarius fiet id ipſum ex Reſp. ad II. Id iſthic addo unum: potuit Chriſtus ita inſtituere Confirmationem, ut nullum adjiceret præceptum eam percipiendi; cur enim non potuerit? ex ſola igitur inſtitutione Sacramenti non recte infertur præceptum.

Reſp. ad II. Solicitudo illa Apoſtolorum & Antiſtitum rurſum non evincit hoc præceptum: Eccleſiæ enim Præpoſitos oportet eſſe univerſim ſolicitos non de iis tantum miniſtrandis, quæ fidelibus ſunt neceſſaria ex præcepto: verum de illis etiam, in quibus ad ſalutem & perfectionem Chriſtianam habetur adjumentum, præſertim ſi illud ſit peculiare, uti eſt Confirmationis Sacramentum. Sed nec gravis illa Epiſcoporum obligatio quidquam urget: hanc quippe aſſerendi fundamentum eſſe jam indicavimus; ab unius autem obligatione non recte arguitur ad alterum. Ita debitor obligatur ad expungenda nomina, ne creditori ſit injurius: an propterea autem etiam Creditor obligatus ſit ad æs ſibi numeratum acceptandum, ita ut juri ſuo renunciare non poſſit? Niſi igitur aliunde oſtendatur fidelibus quoque hanc obligationem incumbere, ea omnino aſſerenda non eſt.

Fundamentum hujus, inquies, habetur vel in eo, quod Confirmatio divinitus præparata ſit in remedium ordinarium ad animæ ſecuritatem, & vincendos ſalutis hoſtes? hoc rurſum ajo non eſſe ſufficiens ad obligationem adſtruendam. Numquid enim & Sacramentum Pœnitentiæ ordinarium remedium eſt ad peccatum quovis tempore expiandum? nec tamen continuo ſequitur, ad percipiendum illud hominem obligari ſtatim, ac peccaverit. Idem eſt de Euchariſtia, quæ pariter inſtituta eſt in remedium ordinarium, quo ſpiritualiter paſci ac corroborari poſſimus omni tempore. Adde: ſpecialia illa auxilia, quæ in Confirmatione ad ſecuritatem & vincendos ſalutis hoſtes conferuntur, obtineri poſſe etiam aliis mediis, ut Oratione, actu charitatis & aliarum virtutum, uſu

item

item Sacramenti Pœnitentiæ, Euchariſtiæ &c. tametſi igitur ad id Confirmatio ſit remedium peculiare ac ordinarium: non tamen unicum & neceſſarium.

Reſp. ad III. Patrum & Conciliorum Decreta congrue exponi hoc ſenſu: quod fideles confirmari debeant neceſſitate convenientiæ, non autem neceſſitate ſalutis aut præcepti. Nec urget omnino quidquam ad literam accipienda eſſe laudata Decreta: ſecus ex mente Patrum & Conciliorum ſine Confirmatione non poſſemus *habere gratiam Chriſti*, *non eſſe regni Cœleſtis participes*: quod utrumque tamen per Baptiſmum obtineri certum eſt. Eodem ſenſu exponenda ſunt Urbani I. & Melchiadis Decreta, ſi tamen ea genuina ſint; ab Eruditis enim paſſim habentur pro ſuppoſititiis. Melchiades nempe Cap. Spiritus Sanctus, Tit. de Conſecrat. diſt. 5. *victuris*, ait, *neceſſaria eſſe Confirmationis auxilia*; Urbanus vero Cap. Omnes fideles, Tit. eod. *omnes fideles*, inquit *per manus impoſitionem Epiſcoporum ſpiritum S. poſt Baptiſma accipere debent*, *ut pleni Chriſtiani inveniantur*; & rurſum Cap. Ut jejuni, ibid. *nunquam eritChriſtianus* (utique *plenus*, ut ſupra) *niſi Confirmatione Epiſcopali chriſmatus fuerit*. Ubi vides Urbanum Confirmationem requirere ad id dumtaxat, ut quis evadat in perfectum Chriſtianum quoad plenitudinem & abundantiam gratiæ: non vero quoad ſubſtantiam perfectionis Chriſtianæ; ad eam autem plenitudinem obtinendam teneri Chriſtianum, nullo argumento evincitur.

Atque hæc plane non incongrue dicta ſunt, ut cuique a præjudiciis alieno facile patet. Cæterum libet amplius aliquid dare adverſario; ac jam ultro concedo, textus hos ad ſummum probare, olim fuiſſe Eccleſiaſticum præceptum de ſuſcipienda a fidelibus Confirmatione: Præceptum porro hoc fundatum fuerit vel in veteri illo Eccleſiæ ritu & more, ſecundum quem a Baptiſmo ſtatim conferebatur Confirmatio ipſis etiam infantibus: a ritu autem Eccleſiæ, præſertim in

Sacra-

Sacramentorum administratione, recedere nunquam fuit arbitrarium; vel fundatum fuerit in peculiari Ecclesiarum statuto a Pontificibus aut Episcopis facto. At jam nunc & statutis his & veteri illi consuetudini derogatum est tam ritu quam more ac usu contrario. Non nego interim, hodie etiam Episcopos posse fidelibus usum hujus Sacramenti praecipere gravi ex causa; praesertim persecutionum tempore, haeresi vel schismate invalescente, ac in iis locis, in quibus ob quotidianam cum haereticis societatem majus est periculum fidei labefactandae &c. Ita S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolan. IV. praecepit Episcopis, ut ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum *compellant suas oviculas*, & *negligentes Ecclesiasticis etiam poenis subjiciant.*

Resp. ad IV. neque nos Censurae Parisiensi, neque nobis illam adversari. Propositiones, quas illic Cl. Author notat, ac etiam principio Cap. 2. ex ordine recitat, sunt novem: eaeque ipsae, quae juxta Tournelyum de Confirm. qu. 2. Art. 2. cuidam Authori sub nomine Danielis a JESU adscriptae ab Academia Parisiensi An. 1631. damnatae sunt. Jure autem id factum nos ipsi asserimus; dicitur enim propos. 1. & 2. *non confirmatos ex Patrum sententia perfectos esse Christianos;* 3. & 4. *Chrismatione Baptismali suppleri Chrismationem Episcopalem & ejus effectum, ac in Baptismo re ipsa conferri gratiam roboris;* 5. *propter hanc ipsam chrismationem baptismalem non esse necessariam Confirmationem;* 6. *vereri Pontifices potuisse, ne fideles in Confirmatione spem locantes caetera negligerent;* 7. *spem de virtute Confirmationis posse esse periculosam animae;* 8. *Errare eos, qui dicunt Confirmationem solum esse medium ordinarium divinitus institutum ad Christianos perficiendos, eisque constantiam fidei impertiendam:* haec, inquam, in octo memoratis propositionibus continentur, quorum aliqua, ut vides, aperte falsa sunt: aliqua vero periculosa, quia nimis generatim dicta; possunt quippe

face-

facere ſenſum minus orthodoxum, quo re ipſa etiam accepta ſunt ab harum propoſitionum Authoribus aut Patronis. Verum ſententiam, quam nos iſthic propugnamus, nihil cum his commune habet, ut eam recte intelligenti, & cum laudatis propoſitionibus conferenti patebit.

De ſola propoſitione Num. 9. eaque ultima moveri poteſt controverſia. Author Rei Sacr. ita eam recitat: *Theologorum doctrina eſt, de præcepto Confirmationem non eſſe, niſi quando commode, vel (ut loquuntur alii) commodiſſime, ſine ullo, aut ſaltem cum leviſſimo, labore ſuſcipi poteſt.* Tournely autem his verbis eamdem refert: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, niſi cum commode haberi poteſt; vel (ut alii dicunt) commodiſſime; quando ſine ullo vel minimo prorſus incommodo.* Quid jam vero de prop. hac ſentiendum? certi utique nihil de ea ſtatui poteſt, cum incerta ac plane diverſa ſit ejus quoad primum membrum lectio: aliud quippe eſt *Theologos docere*, & aliud *omnes Theologos docere*, quorum primum poteſt eſſe verum ſine altero. Non eſt igitur, quod a nobis Adverſarius certum Reſponſum exigat, dum ipſe prius certum propoſitionis hujus contextum proferat, ac etiam evincat.

Ne interim vel in hac argumenti parte debitor manere videar, & hanc propoſitionem, ſeu demum illa Tournelyanis, ſeu Auctoris Sacramentarii verbis contexta fuerit, jure confixam ajo: at una contendo, cenſura hac ſententiam noſtram non comprehendi. Et quidem, ſi cum Tournelyo eam legas, vel propter primas voces *omnes Theologi dicunt &c.* merito cenſuram ſubiit: falſum etenim eſt id ab omnibus Theologis doceri: ſed neque nos opinionem noſtram *omnium Theologorum* eſſe aſſerimus. Si vero Authoris Sacramentarii verbis conſtet propoſitio, juſtum cenſeo habuiſſe titulum DD. Sorbonicos illam configendi vel ideo, quod cum generatim prolata ſit, poſſit facere hunc ſenſum: *Confirmationem*

non esse de ullo præcepto, ne quidem ex accidente; ac re ipsa hoc sensu fuisse prolatam merito suspicari poterat Sorbona, cum AA. illarum propositionum docuerint, *Chrismatione Baptismali suppleri Confirmationem, ac propterea hanc non esse necessariam*, ut jam dictum est ex prop. 3. 4. & 5. Nos contra Assertionem statuimus cum restrictione duplici, nempe: non esse, *per se loquendo*, Confirmationis necessitatem ex præcepto *sub gravi culpa* obligante. Quid quod, cum in prop. hac dicatur: *nisi cum commodissime, sine ullo, aut saltem levissimo labore suscipi potest*, judicaverit Sorbona universim contemni Sacramentum, si non suscipiatur, cum adest Episcopus illud dare paratus; atque ita hoc casu, titulo evitandi contemptus, Confirmationem ex præcepto esse asseruerit. In hanc rem certe facit concilium Senonense infra citandum N. 69.

Quod si denique Author Rei Sacr. prop. hanc N. 9. eo plane sensu, quo nos opinionem nostram tuemur, confixam esse contendat: etsi id omnino non concedamus, quamvis attamen ita foret, jus nobis utique relictum esset Censuræ Sorbonicæ repugnandi, dum vis argumentorum, quibus nos sustentamus, elidatur: certioribusque una momentis infringatur authoritas eorum, cum quibus in præsenti sentimus, quorumque jam supra N. 61. aliquos nominavimus, plures alios vide infra N. 69. in Corollario.

68 Hactenus ad Rei Sacr. Authoris argumenta; quibus forte quispiam & istud adjiciet. In veteri Ecclesia statim a Baptismo omnibus conferebatur Confirmatio; de ea a Novatiano neglecta graviter expostulat Cornelius Papa in Ep. ad Fabium Antioch. & apud Euseb. L. 6. C. 43. denique Græci ab Eucharistica mensa arcent non confirmatos: hæc vero videntur fundamentum præbere gravis præcepti de Confirmatione suscipienda, ergo &c.

Resp. Veteris Ecclesiæ ritum omnino fuisse statim a Ba-

ptismo

ptiſmo miniſtrandi Confirmationem. Mos vero hic inductus fuit propterea, quod Baptiſmi ipſius Epiſcopi fuerint primitus ordinarii Miniſtri; unde plane opportunum fuit, utrumque hoc Sacramentum ſimul miniſtrare: quin & congruum Tyrannis tum ſævientibus, fideles hoc fidei remedio communire; qua cauſa etiam mox a Confirmatione Euchariſtia reficiebantur. Inde Novatianus jure fuit a Cornelio reprehenſus: cum enim a morbo ſibi redditus Confirmationem percipere neglexerit, nec Baptiſmi Cæremonias in ſe ſuppleri voluerit, a ritu utique tum in Eccleſia recepto & ſancte obſervato receſſit, idque ex Sacramenti & Eccleſiæ Cæremoniarum contemptu. Huic ipſi porro veteri ritui quia hodie etiam Græci inſiſtunt, conformiter ad illum non niſi confirmatis Euchariſtiam præbent.

Quo vero ſpectant hæc omnia? eo, ut pateat, momenta in objectione adducta id evincere ſolum, quod primis Eccleſiæ Seculis obligatio Confirmationem percipiendi fundata fuerit dumtaxat in ritu tum recepto, a quo recedere nemini integrum erat: aut certe in præcepto etiam peculiari aliquo, quod eo tempore gravibus ex cauſis Eccleſia tulerat, ac obſervari volebat. Iſthic vero agimus de præcepto univerſali, quo etiamnum fideles obſtringantur; atque hoc dari negamus: neque omnino illud ex momentis nunc adductis inferri poteſt.

Corollarium.

I. Argumenta, quibus Cl. Author Rei Sacram. adverſum nos pugnat, fide integra retulimus; quin & adjecimus alia. Si jam porro attendantur noſtra Reſponſa, ac etiam cum Aſſertionis probatione ſub N. 62. relata conferantur, id ſaltem, ni fallor, evincimus: opinionem nobis oppoſitam non ita eſſe certam, ut noſtræ neganda ſit probabilitas, ut dicimus, 69

ſolida. Huc facit & authoritas D. Thomæ, qui 3. p. qu. 72. Art. 1. ad 3. ait. *omnia Sacramenta ſunt aliqualiter neceſſaria ad ſalutem; ſed quædam ſunt, ſine quibus non eſt ſalus: quædam vero ſunt; quæ cooperantur ad perfectionem ſalutis. Et hoc modo Confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis, quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Et rurſum ibid. Ar. 8. ad 4. poſtquam dixit, etiam morituris hoc Sacramentum eſſe dandum, adjicit: *& ideo Hugo de S. Vict. dicit, omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum: ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Pro nobis eſt etiam Concilium Senonenſe An. 1524. cujus verba ſunt: *Confirmationem omnes Chriſtiani tam viri quam mulieres, uſum rationis habentes obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere. Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit.* Expende D. Thomæ & Patrum Senonenſium verba, & tam hos quam illum gravem Confirmationis ſuſcipiendæ obligationem in Contemptu Sacramenti fundare comperies; quam & nos ultro admittimus. Denique: non leve etiam momentum opinioni noſtræ addit non minimus Illuſtr. Doctorum nobiſcum ſentientium numerus, in quo præter jam ſupra N. 61. laudatos, ſunt: Abbas, Covarruvias, Henriquez, Valentia, Coninch, Layman, Bonacina, Caſtro Palao, & alii plures, ut ait Marin Tract. 20. de Confirm. Diſp. Un. Sect. 7. N. 80. ubi & ipſe cum his ſentit, eorumque loca notat.

70 II. Inde mirari ſubit, Cl. Auctorem Rei Sacr. nil penſi habita tot DD. ac etiam D. Thomæ Magiſtri ſui authoritatem, opinioni huic adeo infenſum eſſe, ut *portentoſam*, ac eam, quæ *e ſentina probabilitatis effluxerit*, magna libertate pronunciet. Si rem ita egiſſet, ut in controverſa hac quæſtione certiora doceret, multam Cl. Viro Theologia haberet gratiam;

tiam; at iſtud profecto non præſtitit, cum quæ neſcio *portenta* ac *ſentinam* oggerit. Quid, jam vero nos ad hæc? equidem non ita dicta ſunt, ut ſubtilitate ſua, quod iis potiſſimum deſignatur, vel mentis noſtræ aciem effugiant. Reſponſum interim ne expectet; propoſitum nobis erat iis ſolum reſpondere argumentis, quæ ex locis Theologicis duxit: poſtremum iſtud, quia aliunde petitum, ſatius eſt modeſto ſilentio præterire. Lectoris autem erit nos inter & Cl. Auctorem in cauſa hac arbitrari,

DISSERTATIO III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

§. I.

Quis ſit Sacramenti Confirmationis Miniſter?

DUplex in præſenti eſt controverſia; altera ſectarios inter & Orthodoxos de Ordinario Confirmationis Miniſtro: inter ipſos DD. Catholicos altera de Miniſtro ejuſdem extraordinario. Seorſim utramque diſcutiemus.

De Miniſtro Ordinario.

CErta eſt Catholicis omnibus ſententia, ſolos Epiſcopos poteſtate ordinaria Confirmationis Sacramentum miniſtrare poſſe. Doctrinæ huic ſe oppoſuit Sec. IX. Photius Patriar. Conſtan. jus ordinarium Confirmandi ſimplici etiam cuique Sacerdoti attribuens; quem errorem repreſſit Nicolaus I. ac a Photianis Presbyteris confirmatos iterum confirmari juſſit. Doctrina eadem Catholica Sec. XII. mira viſa eſt Waldenſibus teſte Reinero L. contra eoſd. C. 5. Ultra admirationem progreſſi Vicleffus & Joan. Hus calumniam etiam adjecerunt, 71

Confirmationem juvenum, & Ordinationem Clericorum - - reservari Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri & honoris asserentes, ut habetur in Concil. Constantiensi Sess. 8. & 15. ubi errores eorum proscripti sunt. Hos subinde in calumniandi licentia æmulati sunt Lutherus L. de Capt. Babyl. & Calvinus, qui L. 4. Inst. C. 19. Catholicis insultans, *si quis ab illis*, inquit, *sciscitetur: unde tanta prærogativa Episcopis, quam rationem afferent præter libidinem?* Prætereo locum, quo in Antidoto Concilii Trident. Sacrilegus scurra non veretur Episcopos *cornutos & infulatos asinos* compellare, *dignosque tali prærogativa*, nempe Ministerii hujus ordinarii &c. Sunt nempe hæc arma sectariorum; cum argumentis rem agere non possint, pugnant proterva dicacitate, & calumniandi licentia. Contra hos omnes affirmandum nobis est Catholicum dogma.

ASSERTIO.

Episcopus est Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis.

Disertè istud habetur in Decr. Eugenii pro Armen. item definitum est in Concilio Trid. Sess. 7. de Confirm. Can. 3. quæ pro fronte hujus Libri est legere. Definitio eadem est in Trident. Sess. 23. Can. 7. & Sess. ead. Cap. 4. ut adeo dubitari non possit, sententiam hanc esse fidei dogma. Idem jam probandum est contra Sectarios;

72 Probatur autem I. ex S. Literis. Nempe Act. 8. ad Confirmationem Samaritanis, per Philippum Diaconum ad fidem conversis & baptizatis, conferendam Apostoli, qui tum Hierosolymis erant, e gremio suo Petrum & Joannem miserunt: non autem e 72. Discipulis quempiam; soli igitur Apostoli erant Ordinarii Confirmationis Ministri a Christo instituti. Certe enim, si potestas hæc perinde fuisset simplici Sacerdoti propria,

pria, pronissimum erat, ut ad munus istud obeundum mitterentur aliqui e Discipulis, quorum saltem aliqui Sacerdotio jam initiati fuerant; præsertim, cum Apostoli Hierosolymis satis negotii haberent cum Scribis & Pharisæis Evangelio pertinaciter repugnantibus. Quod si autem istud tum Apostolis erat proprium, proprium utique idem est Episcopis, ut qui legitimi sunt Apostolorum Successores.

Ita autem ex hoc loco recte argui docemur ex Patribus eodem argumento utentibus. Certe Chrysost. Hom. 18. in Act. Ap. postquam dixit, Philippum a se baptizatis non imposuisse manus ad dandum Spiritum Sanctum, pro causa id reddit: *hoc enim solorum Apostolorum erat, - - hoc erat in Apostolis singulare. Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* Et Innocent. I. Epist. ad Decent. *Pontificibus*, inquit, *solis deberi, ut vel consignent, vel Spiritum S. tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat: verum & illa lectio Actuum Apost. quæ asserit Petrum & Joannem esse directos &c.* Huc faciunt & alii quidam PP. mox laudandi.

Probatur II. Traditione, cujus testimonium habemus ex Patribus. Ita Cyprianus Ep. 73. *qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur.* PP. Eliberitani Can. 38. decernunt, baptizatum *ad Episcopum perduci oportere ut manus impositione perfici possit.* Hieronymus in Dial. contra Lucif. *hanc esse*, ait, *Ecclesiarum consuetudinem*, ut ad baptizatos *Episcopus manus impositurus excurrat &c.* Deinde, cur hæc prærogativa sit Episcopis a Christo concessa, causam a congruo reddens, *Ecclesiæ*, inquit, *salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors & ab hominibus eminens quædam detur potestas, tot futura sunt Schismata, quot Sacerdotes.* Isidorus Hispal. de Offic. Eccl. L. 2. C. 26. *post Baptismum per Episcopos datur Spiritus S. cum manuum impositione; hoc in Actis Apost. fecisse meminimus Apostolos.* In Concilio Hispalensi II. An. 619. Can. 7. legitur, non licere Presbyte-

73

byteris confirmare, *quia apicem Pontificatus non habent.* Patres Concilii Parisien. VI. An. 829. L. 1. C. 27. redarguunt Chorepiscopos quosdam, *quod donum Spiritus S. per impositionem manus tradant, & alia, quæ solis Pontificibus debentur, contra fas peragant: præsertim cum nullus ex 70. Discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum Spiritus S. per manus impositionem tradidisse; quod autem solis Apostolis, eorumque Successoribus proprii sit officii tradere Spiritum S. Liber Apost. docet Act. 8. & 19.* His adde Chrysostomum & Innocentium I. jam supra citatos, uti & Decr. Concilii Florent. & Tridentini Definitionem; e quibus omnibus conficitur, ex sensu Ecclesiæ perpetuo hoc Ministerii genus Episcopis esse proprium.

Respondetur ad Objecta.

74 OBjic. I. Communior est opinio, Ananiam non fuisse Episcopum, hic tamen Saulo imposuit manus, ut videret & impleretur Spiritu Sancto Act. 9.

II. Presbyteri possunt ordinaria potestate conficere Eucharistiam, cur non igitur etiam confirmare? cum illud sit quid majus hoc altero: & universim *potens majus & minus potest.* Hinc est, quod Hieronymus Ep. 84. ad Evagrium, *quid facit,* inquit, *extra ordinationem Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

III. Hieronymus idem in Dial. contra Lucif. postquam dicit, per manus Episcoporum baptizatis tradi Spiritum Sanctum, subjicit: *& multis locis id factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem.* Et Beda in Ps. 26. unctionem Confirmationis eamdem quidem esse cum unctione Baptismali ait, *propter arrogantiam tamen non esse concessam singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.* Quare Concil. Hispalense II. Can. 7. supra cit. addit: *novellis & Ecclesia-*

clesiasticis regulis prohibitum fuisse, ne Presbyteri confirmarent. Demum

IV. Concilium Toletanum I. Cap. 2. permittit Presbyteris chrismare absente Episcopo: Braccarense II. statuit, ut Presbyteris chrisma detur pro confirmandis Neophytis.

Ex his jam omnibus videtur ultro confici argumentum, quo probetur, non ita Episcopis solis Jure Divino ordinarium esse Confirmationis Ministerium, ut non idem conveniat etiam Presbyteris: tametsi his, ad tuendam Episcoporum dignitatem, lege nova Ecclesiastica prohibeatur uti jure suo.

Resp. ad I. legenti cit. ex Act. Ap. Cap. 9. clarum fiet, Ananiam non imposuisse manus Saulo, ut eum confirmaret: sed ut ei visum redderet, præpararetque illum ad Baptisma, per quem erat accepturus Spiritus Sancti gratiam. Hæc itaque manuum impositio, ut quæ Baptismum Sauli antecessit, non fuit confirmatoria.

Resp. ad II. si istud, quo se potissimum Photius tuebatur, vim argumenti habeat, quid ni inferas etiam? Presbyterum posse ordinare Sacerdotes & Episcopos; hoc quippe minus est, quam Eucharistiam conficere. Axioma igitur illud, *potens majus potest & minus*, valet dumtaxat in iis, quæ sunt ejusdem ordinis & potestatis, e. g. potens ordinare Presbyterum, hoc ipso etiam Diaconum ordinare potest. Nec favet Adversario Hieronymus: ejusdem certe illum esse nobiscum sententiæ patet ex N. 73. In cit. autem Epist. propositum erat S. Doctori comprimere fastum quorundam Diaconorum, qui se Presbyteris æquabant; quo igitur finem obtineat, Presbyteros erigit, quoad potest: nec recenset isthic minutim ea omnia, in quibus sunt inferiores Episcopis. Præterea: relata Hieronymi verba, ne is secum ipso pugnet, intelligenda sunt de Presbyterorum ministerio etiam extraordinario; de quo si sermo sit, nihil utique, extra Ordinationem facit Episcopus, quod Presbyter facere non possit ut

Minister extraordinarius, ex dispensatione videlicet & delegata authoritate.

Resp. ad III. ad hæc quoque Hieronymi verba sensu vero exponenda attendi debet Presbyterorum potestas confirmandi extraordinaria. Id igitur hoc loco S. Doctor innuit: quod tametsi potestas confirmandi ex delegatione ipsis etiam Presbyteris conveniat, in multis attamen locis soli Episcopi id muneris obeant, nec illud Presbyteris delegetur; non quidem quasi necessaria quædam lex vetet delegari, sed ut reservata solis Episcopis hac potestate summi Sacerdotii honor conservetur. Ad Ven. Bedam quod attinet: eamdem esse ait utramque illam unctionem solum quoad materiam, nempe chrisma; unctionem vero confirmatoriam nec ex delegatione quidem communiter permitti Presbyteris, ne subinde eam sibi ut munus ordinarium arrogent. Hoc sensu fuisse locutum Bedam vel inde patet, quod idem in C. 8. Act. Ap. diserte nobiscum sentiat, cum dicit: Presbyteris *sive extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, - - non tamen frontem ex eodem oleo consignare, quod solis debetur Episcopis, cum tradant Spiritum Sanctum.*

Canon Concilii Hispalensis est admodum sensus implexi & obscuri; hinc explicatione opus habet. Sunt autem ejus hæc verba: *in Divinis Literis præcipiente Domino solus Moyses in Tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, utique quia summus Sacerdos Dei erat. - - Ideoque id, quod tantum facere Principibus Sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt, Presbyteri, qui filiorum Aarón gestant figuram, accipere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut est Presbyterorum & Diaconorum ac Virginum consecratio, - - nec licere eis Ecclesiam vel altare*

con-

consecrare , - - *nec chrismate baptizatorum frontes signare.* Vides hic commemorari quædam, quæ jure divino non sunt permissa Presbyteris, ut est: *Presbyterorum & Diaconorum consecratio;* alia vero, quæ jure dumtaxat Ecclesiastico iis prohibentur, ut: *Virginum vel Ecclesiæ consecratio* &c. cum itaque Can. dicit, *quædam novellis & Ecclesiasticis regulis prohibita*, ita exponendus videtur. Ex iis, quæ Præsbyteris sunt prohibita, quædam prohibentur *novellis regulis*, hoc est *lege divina Novi Testamenti:* ut adeo hic *novellas regulas* Concilium opponat *Antiqui Testamenti præcepto*, quod paulo ante commemoravit; aliqua autem prohiberi *leg. Ecclesiastica.* Quod si autem contendas: per *novellas regulas* designari Legem dumtaxat Ecclesiasticam, congrue etiam dici potest, Canonem loqui in sensu positivo, non exclusivo, quasi nempe dicat: quædam, tametsi jam aliunde prohibita sint Presbyteris, etiam novis legibus Ecclesiasticis prohiberi. Sane, quocunque horum sensu exponatur Canon, attento contextu congrua est expositio: ex neutra autem sequitur, jure divino Presbyteris competere ordinariam confirmandi potestatem, eamque illis solum lege Ecclesiastica prohiberi.

Resp. ad IV. Concilium Toletanum agere solum de chrismatione baptizati in vertice, quæ absente Episcopo permittebatur Presbyteris. Braccarense autem eo dumtaxat fine statuit Chrisma dari Presbyteris, ut Episcopi ad eos pro conferenda Confirmatione venturi in promptu Chrisma habeant, non ut ipsi Presbyteri illo confirment. Utrumque istud ex contextu eruitur.

De Ministro Extraordinario.

75 De Ministro Confirmationis extraordinario controversia, quæ jam longe antea Orthodoxorum scholas exercuit ac distraxit, ad ipsum Tridentinorum Patrum tribunal subinde

delata, iisdem pariter, variantibus eorum suffragiis, non leve disceptandi argumentum præbuit, ut videre est apud Pallavicinum in Hist. Conc. Trid. L. 9. C. 7. Caput Controversiæ est: num ab Ecclesia vel Pontifice Sacerdoti simplici delegari queat potestas valide confirmandi, hocque sensu is possit esse Minister Confirmationis extraordinarius? Negabant istud e veteribus Robertus Pullus, Hugo Vict. Altissiodorensis, Durandus, Gabriel Biel &c. quos e Recentioribus secuti sunt Estius, Aurelius, Sanbovius &c. Affirmant contra plures cum Suarezio & Bellarmino post Alensem & D. Thom. 3. p. qu. 72. Ar. 11. ad 1. Ipsi quin PP. Tridentini (verba sunt Pallavicini loco cit. N. 13.) *quanquam necesse non esset hoc definiri, fere omnes tamen in S. Thomæ sententiam veniebant, quam præstantiores Scholastici amplectebantur, posse hujusmodi facultatem Pontificia delegatione ad simplices Sacerdotes extendi.* Cum his & nobis sit

ASSERTIO.

Simplices Presbyteri ex delegatione possunt valide confirmare: hocque sensu Sacramenti hujus sunt Ministri extraordinarii.

76 Argumentum I. in hanc rem est a diuturna praxi Græcæ Ecclesiæ. Constat nempe apud Græcos, etiam ante schisma, absentibus Episcopis Presbyteros confirmasse; non est autem credibile, id eos tum attentasse ex abusu, & sine concessione Sedis Apostolicæ. Imo apud eosdem a multis jam Seculis utplurimum per simplices Sacerdotes Confirmatio ministratur: uti istud docent eorum tam vetera quam hodierna Euchologia, ac complures cum Goario & Arcudio Scriptores, ipse etiam Author Perp. Fid. Tom. 5. L. 2. C. 12. Confirmationem porro hanc eorum ratam & validam agnoscit Latina Ecclesia; certe cum de unione ageretur, nunquam Græcis

Græcis objecere Latini, nullum illis esse Confirmationis Sacramentum. Nominatim in Concilio Florentino, tametsi complures quæstiones fuerint Græcis positæ, de Confirmatione attamen id unum quæsitum est: *quare Pontifices non inungunt sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* ubi vides non fuisse institutam de veritate Sacramenti quæstionem, sed tantum de more illud ministrandi. Cæterum & huic quæstioni a Græcis satisfactum esse memorat Concilii Florentini Historia, in qua post recensitas undecim quæstiones, inter quas fuit etiam nunc laudata, additur: *hæc a latinis objecta Mitylinensis Præsul legitime & canonice omnia dissolvit, præterquam duo, scilicet separationem Matrimonii, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.*

Argumentum II. ducitur ab ipsa latina Ecclesia, in qua novimus aliquando Pontifices concessisse Presbyteris potestatem confirmandi. Claro in hanc rem testimonio est Eugenii IV. ad Armenos Decretum, ubi postquam dictum est, ordinarium Confirmationis Ministrum esse Episcopum, additur: *legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Concessionis porro hujus exempla habentur complura. Ita Gregorius M. tametsi An. 593. Ep. 9. L. 4. Presbyteris Calaritanis prohibuerit, *ne baptizatos in fronte signent Chrismate*, dein tamen An. sequenti Ep. 26. id eis concessit, ubi Episcopi desunt. Idem privilegium Religiosis quibusdam Indiæ ac etiam aliarum regionum Missionariis fuisse concessum a Nicolao IV. Joanne XXII. Urbano V. Eugenio IV. Leone X. & Adriano VI. (licet hic necdum Pontifex contrariam docuerit sententiam) testantur eorum Diplomata, & Pallavicinus loco jam supra cit. N. 11. & 12. refert ex Arcudio & Wadingo. Quod si jam vero hæc ita se habeant (uti saltem omnia negari nequeunt)

77

cum temerarium foret dicere, tot Pontifices in re tam gravi erraſſe, manifeſte ſequitur: ſimplici Sacerdoti delegari poſſe facultatem confirmandi, eumque ex delegatione Miniſtrum eſſe hujus Sacramenti extraordinarium.

78 Si quæras 1mo: num ſententia hæc ſit fidei dogma? iſtud plane affirmare non auſim, cum de hoc nulla usque huc habeatur clara Eccleſiæ definitio. In Decreto certe Eugenii, de extraordinario Confirmationis Miniſtro obiter tantum innuitur, & ex occaſione dumtaxat, quid legatur, refertur: quod utique non eſt definitivam ferre ſententiam. In Tridentino autem ſolum Ordinarius Miniſter definitur: de extraordinario autem ſiletur; quin Pallavicino teſte, rationum momenta, quibus hæc ſententia ſuſtentatur, Patres Tridentinos *non ad idem ſtatuendum, ſed ad eo propendendum* dumtaxat *adduxerunt.* Inde etiam poſt Tridentinum quidam DD. Orthodoxi contrariam opinionem propugnant.

79 Si quæras 2do. an delegatio hæc fieri poſſit etiam ab Epiſcopo pro ſua Diœceſi? variæ ſunt de hoc rurſum opiniones; affirmat cum quibusdam Ledeſma: communior tamen Doctorum negat, ac cum his omnino ſentiendum eſt. Quamvis enim olim Epiſcopus quilibet in ſua Diœceſi potuerit ſuis Presbyteris delegare poteſtatem confirmandi: nunc tamen jam a longo tempore facultatem hanc ſibi Romani Pontifices reſervarunt. Colligitur id tum ex diuturno uſu: tum ex Eugenii cit. Decreto, ubi hæc delegatio refertur tanquam ſpecialis prærogativa Sedis Apoſtolicæ.

Reſpondetur ad Objecta.

80 OBjicitur I. Aſſertioni huic nihil favere Eccleſiæ Græcæ morem per Presbyteros confirmandi. Etenim Nicolaus I. Bulgaros a Græcis Presbyteris confirmatos rurſum per Latinos Epiſcopos confirmari juſſit, ut refertur

in Concilio Conſtantinopol. IV. & teſtatur Photius in Ep. ad Epiſcopos Orient. Item

Innocentius III. Ep. ad Lucium ſuum Conſtantinopoli Vicarium Sacerdotes quosdam Conſtantinopolitanos erroris & peccati arguit propter confirmationem miniſtratam, ac demum mandat, *ne talia de cætero temeritate ſua præſumant.* Fragmentum hujus Epiſtolæ relatum eſt in L. 1. Decr. Tit. 4. C. 4.

Adde Innocentium IV. qui in Ep. ad Ottonem, ſuum in Cypro Legatum, Græcis Cypriis præcipit his verbis: *Soli Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos* &c.

Demum & Clemens VIII. in ſua pro Græcis Conſtitutione jubet Confirmationem iterari ſub conditione, quoties probabile dubium fuerit, an fuerit ab Epiſcopo miniſtrata. Hæc vero omnia haud obſcure indicant, Eccleſiam Latinam nec probare morem Græcorum, nec pro rato habere Confirmationis Sacramentum ab eorum Presbyteris miniſtratum.

Reſp. Pro Aſſertione legitime argui a Græcorum more, probationes N. 76. adductæ docent; nec in Object. laudata Pontificum Decreta iis adverſantur.

Quod enim ad Nicolaum I. attinet, Confirmationem a Græcis Presbyteris in Bulgaria miniſtratam omnino pro irrita habuit; at id propterea dumtaxat, quod Presbyteri hi legitima diſpenſatione, ſeu conceſſione caruerint, ſine qua utique valide confirmare non poterant. Caruiſſe porro illos certum eſt tum inde, quod Photius non habuerit jus mittendi Presbyteros ſuos in Bulgariam Pontifici, tamquam Patriarchæ Occidentis, ſubjectam: nec dare proin iis poterat in aliena Eccleſia facultatem confirmandi; tum etiam ex eo, quod memoratis Presbyteris hæc delegata poteſtas ne a Photio quidem collata fuerit, cum is docuerit, ſimplici Sacerdoti perinde ac Epiſcopo jus Confirmandi ordinarium competere.

Inno-

Innocentius III. in cit. Ep. non agit de Græcis, ſed de Latini ritus Sacerdotibus, Latino Imperatore Conſtantinopoli dominante, eam Urbem incolentibus, qui exemplo Græcorum, & conſuetudinem loci prætendentes, miniſterium Confirmationis ſibi arrogabant. Certe in Editione Baluſiana hujus Epiſtolæ diſerte nominantur *Sacerdotes Latini;* quod ipſum in Originali legi teſtatur Arcudius.

Innocentius IV. volens in Cypro quoad miniſtrationem Confirmationis Eccleſiæ Latinæ diſciplinam induci, omnino iſtud præceperat; at cum Græci, veteri privilegio ac conceſſione nixi, repugnarent, Decretum hoc ne quidem publicatum fuit, acquieſcente dein. ipſo Pontifice.

Clementis demum Conſtitutio eos ſolum ſpectabat Græcos, qui in Italia degebant: cum igitur de his jure dubitatum ſit, num conceſſa iis unquam fuerit Confirmationem miniſtrandi legitima facultas, in dubio hoc recte præcepta eſt memorata iteratio.

81 Objicitur II. Poteſtas Confirmandi eſt poteſtas Epiſcopalis Ordinis, non autem jurisdictionis; at poteſtas Ordinis dari nequit per delegationem: ſic enim, quia poteſtas conficiendi Euchariſtiam eſt Ordinis Sacerdotalis, non poteſt ea e. g. Diacono legitime delegari; igitur nec poteſtas Confirmandi mera delegatione Pontificia concedi poteſt ſimplici Sacerdoti.

Reſp. cum Platelio Theol. P. 5. C. 3. N. 271. poteſtatem confirmandi ordinariam eamque completam & abſolutam eſſe poteſtatem Ordinis Epiſcopalis; poteſtatem autem confirmandi extraordinariam, inchoatam ſaltem & imperfectam, eſſe poteſtatem Ordinis Sacerdotalis: inde ea valide exerceri non poteſt, niſi compleatur, & proxime expedita reddatur per delegationem Pontificiam. Atque hinc

Deducitur 1*mo*, poteſtatem confirmandi aut Euchariſtiam conficiendi Diacono vel cuivis alteri inferiori Clerico non

poſſe

posse delegari: quia nullus eorum vi Ordinis sui habet potestatem extraordinariam, ne quidem inchoatam & imperfectam ad hæc Sacramenta ministranda.

Deducitur 2dò. diversa prorsus ratione Diaconos esse Ministros extraordinarios Baptismi; hi enim ad Baptismum valide conferendum (quod idem est de quovis alio homine) completam habent potestatem: unde concessione Episcopi vel Presbyteri indigent solum ad licite ministrandum Baptismum cum solemnitatibus.

§. II.

Quibus possit ministrari Confirmationis Sacramentum?

DEfiniendum superest: quinam sint subjectum capax recipiendæ Confirmationis? tum addendæ quædam ex veteris & modernæ Ecclesiæ Disciplina animadversiones de Infantium Confirmatione, & de requisita in adultis ad hoc Sacramentum dispositione.

ASSERTIO.

Solus, & omnis homo baptizatus est capax suscipiendi Confirmationis Sacramentum.

PRob. Assertionis pars I. partim inde, quod Baptismus sit janua Sacramentorum reliquorum; partim, & potissimum ex constanti Ecclesiæ disciplina, secundum quam nulli unquam, nisi baptizato, confertur Confirmatio, uti & alia Sacramenta. Inde Cap. si quis, de Presbyt. non baptiz. præcipitur, ut Presbyter ante Baptismum ordinatus post susceptum illum iterum ordinetur. Ac omnino sententia hæc com- 82

munis est Theologorum, eamque disertis verbis propugnat D. Thom. 3. p. qu. 72. Art. 6. in ⊙. Nec officit, Act. 10. quosdam cum Cornelio nondum baptizatos accepisse Spiritum Sanctum; his enim peculiari prodigio effectus dumtaxat Confirmationis, non ipsum Sacramentum est collatum: quæ duo ab invicem separata fuisse etiam in Apostolis, probabilius est: certe autem separari posse, dubitari nequit, *quia virtus divina non est alligata Sacramentis*, ut ait D. Thom. loco cit. ad 1.

83 Prob. Assertionis pars II. omnes enim baptizati capaces sunt præcipui Confirmationis effectus, qui est perfectio quædam ætatis spiritualis, seu plenitudo Spiritus Sancti; omnes igitur etiam Sacramenti hujus sunt capaces. Hinc valide & cum fructu ministratur non modo adultis usum rationis habentibus, sed amentibus etiam, & infantibus.

Pro his nominatim Doct. Aug. laud. qu. Ar. 8. in ⊙ ita arguit: *per hoc Sacramentum promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam, - - anima autem, ad quam pertinet & spiritualis nativitas & Spiritualis perfectio - - potest sicut tempore senectutis nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ perfectam ætatem; quia hujusmodi corporales ætates animæ non præjudicant.* Hæc eadem porro ratio pugnat etiam pro amentibus. De infantibus præterea certum est ex usu Universalis Ecclesiæ, quæ primis Seculis statim a Baptismo infantes confirmabat, ac etiam Eucharistia reficiebat, ut constat ex Innocentii I. Ep. 1. C. 3. & Sacramentario Gregorii M. ac Ordine Rom. qui usus hodie etiam apud Græcos viget.

Animadversio I. de Infantibus.

84 QUamvis infantes Confirmationis sint capaces, ac etiam in veteri Ecclesia confirmati fuerint, nunc tamen ex usu in

in Latina Ecclesia jam recepto eorum Confirmatio convenienter differtur ad rationis usque usum, & quidem communiter ad annum ætatis septimum. Dilationis autem hujus causæ sunt complures, nempe: ut majore cum reverentia & devotione, uberiori proinde etiam fructu percipiatur Sacramentum, quod alioqui non est tantæ necessitatis, ut illi reverentia divinis Mysteriis debita cedere debeat: item ut certius vitetur periculum iterationis Sacramenti &c. Audiatur de hoc Catech. Concilii Trid. Tit. de Confirm. ubi ita habet: *observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus expedite hoc fieri, antequam pueri usum rationis habuerint; quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.* Etsi interim istud conveniat, non est tamen ita necessarium, ut ætas illa gravibus ex causis præveniri non possit; ut e. g. si infans sit in mortis periculo, vel non putetur deinceps futura Confirmationis suscipiendæ occasio &c. Hinc etiam S. Carolus Borrom. in Synodo Mediolan. V. statuit: *Si Episcopus justam aliquam causam, atque adeo necessariam parvulo ac infanti, qui non modo eam ætatem* (septennii) *expleat, sed ne attingat quidem, ministrandi aliquando censuerit, ne sit vetitum.*

Animadversio II. de adultis.

Quo adulti, ac universim usu rationis præditi majore cum fructu Sacramentum hoc percipiant, plane conveniens est, ut ad illud se comparent per prævios virtutum actus & pietatis opera. Quod interim ad necessariam præparationem attinet, non plus requiritur, quam ut, præter intentionem, etiam statum gratiæ habeant. Inde, si cui sit gravis peccati conscientia, ea prius vel contritione perfecta, vel Sacramento Pœnitentiæ est emundanda: determinate enim Con-

85

fessionem Sacramentalem præviam nulla certa lex divina aut Ecclesiastica requirit, quamvis eam a peccatore consultius sit præmitti, ut insinuat Concil. Aurelianense relatum dist. 5. de Consecr. Cap. ut jejuni. idemque repetit Senonense, Mediolanense &c. de quo fideles a suis Pastoribus omnino sunt monendi. Olim, ac fere ipsis duodecim prioribus Seculis, præparationis instar requirebatur etiam jejunium naturale non modo in Ministro Confirmationis, sed & in confirmandis tam adultis quam infantibus, ut docemur ex Sacrament. Gregorii Mag. item Ordine Rom. & Gratiano dist. 5. de Consecr. Cap. ut jejuni, ac Magistro Sent. L. 4. dist. 7. Hæc attamen obligatio subinde Sec. XIII. graves ob causas sublata est. Doctoris Angelici in hanc rem testimonium ex 3. p. qu. 72. Art. 12. habemus, ubi ad 2. ait: *propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur, ut hoc Sacramentum - - a non jejunis detur & accipiatur &c.* Mox vero addit: *ubi tamen congrue servari potest* (antiqua consuetudo) *convenientius est, ut a jejunis detur & accipiatur:* ad quod etiam fideles adultos esse adhortandos monet Catechismus Rom.

DISSERTATIO IV.

DE CONFIRMATIONIS CÆREMONIIS.

§. I.

Quo ritu præparetur Confirmationis materia?

Ante ipsius Confirmationis cæremonias exponendus videtur ritus, quo Sacramenti hujus materia Græcæ & Latinæ Ecclesiæ communis, videlicet Chrisma, secundum utriusque disciplinam præparatur. Duo autem hic potissimum notanda

tanda veniunt: confectio primum, tum & benedictio chrismatis.

De Chrismatis confectione..

I. CHrisma, si vim nominis spectes, idem est, ac *unguentum*, originem enim ducit a verbo χρίω, *ungo*. Vox attamen eadem, ut hic pro Confirmationis materia ex usu Ecclesiæ sumitur, significat nominatim eam unguenti speciem, quæ conficitur ex oleo & balsamo, aut quibusdam etiam aliis. Neque omnino mixtio hæc Græcis per omnia est eadem quæ Latinis: tametsi utrique in oleo & balsamo conveniant. Nempe Græci, præter oleum & balsamum, admiscent etiam alias triginta quinque fragrantium herbarum seu aromatum species, ex quibus simul vino incoctis chrisma suum conficiunt, ut videre est apud Goarium in Euchol. Græc. Latini contra oleo tantum & balsamo invicem permixtis pro Chrismate utuntur; oleo quidem ad *nitorem conscientiæ*, balsamo autem ad *odorem bonæ famæ* significandum, ut ait Eugenius in Decr. pro Arm. Mixtione vero utriusque D. Thom. putat significari *plenitudinem Spiritus Sancti, cujus est multiformis operatio &c.* 86

II. Antiquum esse in Ecclesia ritum Chrisma conficiendi ex oleo & balsamo aut aliis etiam aromatum speciebus, dubitari nequit; mixtionis certe hujus meminit Gregorius M. in Sacramentario, & Gregorius Turon L. 4. de Gloria Martyrum. Id vero a Doctoribus in quæstionem vocatur: num mixtio hæc necessaria sit ad valorem Confirmationis? Ac oleum quidem, illudque nominatim ex olivis expressum, necessarium esse communis est sententia, quam ipsam docet S. Thom. 3. p. qu. 72. Ar. 2. ad 3. De balsamo autem (idem est apud Græcos de aliis aromatibus) variant Doctores; tametsi enim illud omnes admittant necessario adhibendum necessitate præcepti Ecclesiastici vel propter ritus antiquita- 87

tem,

tem, ac usum in Ecclesia receptum: complures tamen cum Scoto & Cajetano existimant, necessarium non esse necessitate Sacramenti. Neque improbabile mihi videtur istud. Etenim, ut Tournelyus arguit, *1mo:* Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus & alii veteres, de Unctione Confirmatoria differentes, sæpe solius olei mentionem faciunt. *2do:* apud veteres Chrismatis nomine non raro venit simplex oleum, ac notanter apud Innocentium I. qui oleum infirmorum vocat Chrisma. *3tio:* Innocentius III. consultus, an iteranda foret Confirmatio solo oleo collata? Cap. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, respondet, *nihil esse iterandum, sed caute supplendum id, quod incaute fuerat omissum.* Iteranda autem utique erat Confirmatio, si valor ejus sine balsamo non haberetur. Nec obest, juxta Decretum Eugenii Chrisma conficiendum esse ex oleo & balsamo: nam isthic Pontifex non explicat, num necessitas hæc sit Sacramenti, an tantum præcepti & usus Ecclesiastici. Certe in eodem Decreto agens Pontifex de materia Eucharistiæ, aquam debere vino misceri ait; quod tamen nemo dixerit ad substantiam Eucharistiæ requiri, etsi ex præcepto Ecclesiæ sit observandum.

De Chrismatis Benedictione.

88 I. EX veteri & hodierna etiam Ecclesiæ disciplina in Confirmatione adhibendum est Chrisma ab Episcopo consecratum. Quamvis autem prioribus Seculis quovis die licuerit consecrationem hanc perficere, ut colligitur ex Concilio Toletano I. Can. 20. dein tamen ad id designata est sola feria quinta majoris hebdomadæ, quod ex hodierno usu observatur. Consecrationis porro hujus Ministrum, saltem ordinarium, esse Episcopum certa est omnium sententia tum ex Conciliis Carthaginensi II. & III. Toletano I. & VIII. Bracarensi II. & aliis,

aliis, tum ex Innocentio I. Gelasio I. & Gregorio M. ab Auth. Rei Sacr. L. 3. C. 3. §. 2. cit. ac denique ex consensione Græcæ & Latinæ Ecclesiæ; inde & Eugenius in Decr. pro Arm. commemorans, legi aliquando ex dispensatione Sacerdotem simplicem Confirmationis Sacramentum administrasse, notanter addit, *Chrismate per Episcopum confecto.*

89 II. Ad ritum porro hujus consecrationis quod attinet, videri is potest in Pontificali Rom. in Offic. Cœnæ Domini. Peculiaria sunt: 1*mo*, postquam Episcopus balsamum modico oleo miscuit, ac utrumque oratione & signo crucis benedixit, dein in modum crucis ter halat super chrismatis ampullam. Ritus vero hic & sacer & antiquus est, habeturque in Sacrament. Gregorii M. & Ordine Rom. ac juxta Amalarium L. 1. C. 12. significat *ipsum Spiritum S. qui per Confirmationem confertur.* Non est igitur, quod eum Novatores novitatis & superstitionis arguant, præsertim cum & Christum simile quid legamus egisse, cum *insufflavit & dixit: accipite Spiritum Sanctum,* Joan. 20. V. 22. 2*do*, chrisma rite confectum tam ab Episcopo quam Presbyteris ter salutatur his verbis: *ave Sanctum Chrisma.* Et hæc salutatio rursum antiqua est, fit enim ejus mentio in Ord. Rom. & apud Amalarium, Rupertus Abbas ait L. 5. de Div. Offic. C. 18. ea significari, *quod Christus, postquam ab altari crucis transivit, præsentiam suam corporalem eis præbuit, quos testes resurrectionis suæ esse voluit;* ex quo patet, salutationem hanc non ad ipsum Chrisma, sed ad Christum, cujus Symbolum est, referri, ut adeo nihil in ea jure carpendum habeant Novatores.

90 III. Etsi certum sit omnibus in Confirmatione, ex præcepto saltem Ecclesiastico, adhibendum esse chrisma ab Episcopo consecratum, disceptatur tamen: an istud necessarium sit necessitate Sacramenti, ita ut secus irrita sit Confirmatio? Nobis minutim excutere non vacat Doctorum lites; innuisse paucis duo sufficiat.

1*mo*:

1*mo*. Probabiliter docetur a quibusdam, conſecrationem chrismatis poſſe fieri etiam a ſimplice Sacerdote cum conſenſu Eccleſiæ: poteſtatem proinde hanc Epiſcopis eſſe propriam ſolum ex Jure Eccleſiaſtico, non Divino. Colligitur vero id non obſcure ex Concilio Toletano I. quod Can. 20. ita habet: *quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut absque Epiſcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum Chrisma conficere.* Ubi vides, chrismatis conſecrationem a Presbytero factam ante prohibitionem non declarari irritam.

2*do*. Pariter probabilis eſt eorum opinio, qui exiſtimant, benedictionem chrismatis non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti, idque ideo, quia hujus neceſſitatis nullum certum proferri poteſt ex Scriptura vel Traditione fundamentum. Nec evincit iſtud uſus Eccleſiæ, aut quædam Patrum effata. Novimus quippe ex mente Patrum & uſu etiam recepto aquam baptismalem benedici oportere: valida attamen eſt Baptismi materia ſine benedictione. Similiter uſu & Traditione certum eſt, aquam vino conſecrando miſcendam eſſe: ſine hac mixtione tamen valet conſecratio Calicis Euchariſtici.

§. II.

Quibus Cæremoniis ipſum Confirmationis Sacramentum miniſtretur?

SAcramenti hujus Cæremonias copioſe ac erudite præ aliis pertractat Joſeph. Vicecomes in LL. ſuis de Ritibus Confirmationis. Easdem S. Carolus Borromæus in Act. Eccl. Mediolan. P. 4. Tit. de Sacr. Confirm. non modo accuratione ſumma recenſet, ſed & myſticam illarum ſignificationem explicat: adjicit præterea ſalubria monita & præcepta, digna plane, quæ

ab

ab Ecclesiarum Rectoribus legantur & observentur. Ex his nos præcipua dumtaxat, ac ea cumprimis, quorum secundum Ecclesiæ disciplinam etiamnum receptam tam ante Confirmationem, quam in ipsa ejus collatione usus est, exponemus.

De Cæremoniis Confirmationem antecedentibus.

I. Ante susceptionem hujus Sacramenti pro confirmandis designandi sunt Patrini. Moris hujus meminit S. Gregor. M. in Sacramentario, & Ordo Romanus; antiquus proinde est. Origo autem ejus inde repetitur, quod primitus, cum Baptismus videlicet simul & Confirmatio conferretur, iidem in utroque Sacramento sponsores adhibiti sint: quod etiamnum in Græca Ecclesia observatur. Nec omnino apud Latinos seorsim pro Baptismo & Confirmatione prius cœperunt deligi Patrini, quam ipsa hæc Sacramenta tempore ab invicem dividerentur. Est vero Patrinorum munus, filios suos spirituales erudire & hortari ad pugnam spiritualem & fortitudinem Christianam, ut notat S. Thom. 3. p. q. 72. Art. 10. & monet S. Carolus Bor. loco supra laud. 91

Ex quo ultro consequitur: in Patrinos esse deligendos eos, qui sint baptizati & confirmati, quique ut minus annum ætatis decimum quartum attigerint: cum antea non sint satis idonei ad alios erudiendos & in fide corroborandos. Præterea, *nec fœminis mares, nec contra maribus fœminæ, neque senioribus adolescentes, - - compatres adhibeantur, nisi aliter necessitas postulet*, ut monet laud. Præsul Mediol. & usu jam receptum est propter majorem decentiam & convenientiam. Mos item in Ecclesia obtinuit, ut Patrini confirmandos, si infantes sint, dextero brachio suscipiant: adulti vero confirmandi *ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini;* hujus moris meminit Gregor. M. in Sacram. & Ordo Rom. idemque præcipit Pontificale Rom. qua cæremonia significatur Patrinorum in

filios potestas ad regendos eorum gressus in vias rectas. Denique cavendum, ne Conjux sui Conjugis, aut Parentes suarum prolium agant Patrinos, idque propter cognationem spiritualem, quæ juxta Trident. Sess. 24. C. 2. de Reform. Matrim. oritur *inter confirmantem & confirmatum, illiusque Patrem & Matrem ac tenentem*, seu susceptorem.

92. II. Deligendum est a confirmandis Sancti alicujus nomen, in quod prius commutetur, aut quod priori addatur; cujus moris origo rursum videtur referenda ad Baptismum olim cum Confirmatione ministratum. Quamvis autem hæc nominis mutatio vel additio necessaria non sit in iis, qui jam ante Sancti cujuspiam nomen gerunt; expedit tamen eam fieri, ad certius retinendam Sacramenti memoriam, ad augendum in Cœlis patrocinium, quoque plurium Sanctorum exemplo ac recordatione ad pie agendum excitemur, ut notat S. Carolus Borrom.

Curandum denique confirmandis, ut non modo cum interna (de qua jam dictum est Diss. III. §. II.) sed externa etiam munditia, decentia, ac reverentia ad hoc Sacramentum accedant. Et olim quidem veste induebantur candida, quam videlicet statim a Baptismo acceperant; nunc satis est vestes esse modestas, cultum corporis decentem, ac cumprimis frontem mundam. Dignum relatu est S. Caroli Borrom. in hanc rem monitum: *Mares*, inquit, *tam qui Confirmationem suscepturi sunt, quam qui ad eam patrini adhibebuntur, vestitu simplici & modestiæ Christianæ consentaneo accedant, & arma deponant. Idem fœminæ præstent, nec fuco & pigmentis facie illita, non immoderato capitis corporisve ornatu accedant: sed ita, ut cum capite recte velato sint, tum reliquo vestitu ejusmodi, qui Christianas, gravesque mulieres decent. Omnes, qui confirmandi sunt, accedant non incompositis aut promissis capillis, ut pene frons obtegatur: neque fronte sint aut madida, aut sordibus conspersa; pridie igitur caput lavent &c.*

De

De Cæremoniis in ipsa Confirmatione observari solitis.

I. Ritus ad ipsam hujus Sacramenti substantiam pertinentes sunt: manus impositio, & chrismatio in fronte per modum crucis, quibus singulis respondent verba formam constituentia. Ac de his quidem sat jam supra disputatum: nunc sola eorum symbolica significatio exponenda est, de quibus ex communi Doctorum sensu ita habe. Manus impositio significat protectionem Dei in confirmatos specialem; Unctio autem est symbolum fortitudinis & mansuetudinis Christianæ, ac etiam signum interioris unctionis Spiritus Sancti. Hæc eadem unctio fit in fronte per modum crucis, quo significetur, Christianos Duci suo per signum crucis in fronte, ceu loco patente initiatos non debere erubescere crucem Christi. Pluribus hæc explicat Augustin. in Psal. 141. N. 9. cumprimis autem Cyril. Hierosol. Catech. 3 & D. Thom. 3. p. qu. 72. Art. 9. in ☉. Nominatim autem Eugenius in Decr. pro Arm. *ideo*, inquit, *in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, qui Judæis est scandalum &c.* 93

Græcos inter & Latinos quoad unctionem esse diversitatem aliquam Differt. I. §. III. N. 19. meminimus; tametsi interim plures unctiones adhibeant illi, has ipsas tamen perinde ac nos in formam crucis signando perficiunt. Nec dubitatur ab ullo, ritum hunc esse antiquum, ut qui jam ab Augustino commemoratur in Psal. 141. & Tract. 118. in Joan. Controvertitur interim: an hæc crucis figura pertineat ad substantiam ritus Confirmatorii? Affirmant D. Thomas, Bonaventura, Alensis &c. negat contra cum quibusdam Cardin. Aureolus L. 4. Sent. dist. 1. qu. 1. cum quo & ipse sentiendum puto, dum certo argumento oppositum evincatur.

94 II. Inter accidentales Confirmationis ritus numerantur: alapa, pax, & frontis ligamen. Nempe, unctione Sacramentali peracta, levem alapam confirmato infligit Episcopus: de cujus ritus antiquitate certi quod dicam, non habeo, cum Veteres ejus non meminerint. Eo autem consilio id fieri, ut confirmatus suscepti Sacramenti memoriam facilius retineat, utque meminerit injurias pro Christo esse perferendas, communior est sententia ex Josepho Vicecom. & Catechismo Rom. Alapa inflicta, verbis illis *pax tibi*, confirmato pacem dat Episcopus, ad significandam *gratiæ cælestis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem sensum*, ut notat Catech. Rom. Legitur hæc cæremonia in Ordine Romano, apud Amalarium L. 1. C. 27. & alios; hinc novitia dici non potest. Demum frons confirmati circumligatur fasciola linea, ne chrisma defluat, utque hac ipsa cura moneatur de accepta in Sacramento gratia conservanda. Fascia hæc olim deferebatur diutius, ac sæpe per triduum aut quatriduum, vel etiam octiduo integro cum ipsa veste candida in Baptismo accepta; ex usu hodierno statim a Confirmatione deponitur, simulque abstergitur chrisma, & frons abluitur.

Atque de his (quod sæpe laud. S. Carolus Borrom. monet) Pastoribus incumbit curæ suæ creditos solicite erudire; quo fideles non modo Confirmationis Sacramenti vim ac efficaciam habeant perspectam; verum noverint etiam, quem in finem ritus ejus ex mente Ecclesiæ referendi sint, ad majestatem videlicet & reverentiam tanti Mysterii, uberioremque suscipientium devotionem ac fructum.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX
IN TRES LIBROS
SACRAMENTORUM.

De

As-

§. III.

LIBER II. De Baptismo - 271

De

Er-

		Errata	Corrige.
Pag. 2.	Lin. 20.	ad ſeculum uſque XIV.	ad ſeculum uſque XV.
ibid.	21.	deinde XV.	deinde XVI.
8.	16.	ad- mni	da- mni
9.	6.	*μυςήριον*	*μυςήριον*
15.	27.	reliquæ virtutis	reliqua virtutis.
16.	1.	L. de Capt.	L. de Bapt.
ibid.	9.	Is accedat	His accedat
ibid.	24.	argumentis computans	argumentis confutans
ibid.	29.	jaſſiis in Moldavia	Jaſſiis in Moldavia.
21.	18.	ejus	eſus
22.	13.	Act. 18.	Act. 8.
23.	14.	Reſp. C. a N. c.	Reſp. N. a.
30.	8.	Marcionatorum	Marcionitarum
61.	3.	*quod dedignamur*	*quod non dedignamur*
86.	24.	Ex facris Niteris	Ex Sacris Literis
93.	30.	L. 21. Civ.	L. 21. de Civ. Dei.
95.	ult.	proprio ſenſu res	proprio ſenſu de-
107.	4.	at infra	& infra
119.	15.	loca tamen	loco tamen
135.	16.	c. 9.	e. g.
143.	25.	ita eodem	ita eadem
ibid.	ult.	in id, contra qnod	in id, quod
158.	16.	inſtitui poſt	inſtitui poteſt
165.	9.	concedemus attamen.	concedamus attamen
176.	11.	& Confirmationis,	& Confirmationis ac Ordinis
185.	22.	*nducere*	*inducere*
194.	32.	in Hiſt. Sect. I.	in Hiſt. Seculi I.
196.	16.	aut non fuiſſe	aut fuiſſe
199.	30.	fatetur, illam	fatetur, illum
200.	4.	*poſt malas preces*	*poſt multas preces*
202.	26	Conſtantinopolitano II.	Conſtantinopolitano I.
		idem occurrit pag. 203. *lin.* 17.	
219.	20.	§. IV. tuiti fumus	§. III. tuiti fumus
244.	11.	baptizari vel Ordinis	Baptiſmi vel Ordinis
246.	17.	videret	rideret
282.	24.	PP. alias	PP. alios
385.	22.	myſterium retinuiſſe	myſterium reticuiſſe
289.	2.	ejus acceptionem;	ejus acceptationem;
293.	29.	contiuon	continuo
305.	24.	*ſi convaluerit* .	*ſi convaluerint*,
306.	ult.	e Confecr.	de Confecr.
317.	30.	Stephano X.	Stephano IX.
332.	23.	ac univerſum	ac univerſim
363.	22.	remedium offerretur	remedium afferretur
ibid.	32.	pro Valentino	pro Valentiniano

Errata			Corrige.
Pag. 400.	Lin. 24.	Nicolao Stock	- Nicolao Storck
131.	2.	Auguſtino 157. de Temp.	- Auguſtino ferm. 157. de Temp.
434.	19.	contra Lit. Petit.	- contra Lit. Petil.
		idem occurrit pag. 440. *lin.* 10	
463.	3.	in Ep. Decent.	- in Ep. ad Decent.
ibid.	20.	præmiſſæ ſunt.	- præmiſſa ſunt.
465.	6.	*ſignaculorum Sacramentum*	- *ſignaculorum Sacroſanctum.*
468.	2.	patet ex N. 23.	- patet ex N. 24.
469.	32.	quæ non eſt Baptiſmi	- quæ eſt Baptiſmi
470.	14.	præmiſſa eſt:	- prætermiſſa eſt:
ibid.	-	non reperitur	- non repetitur
476	17.	N. 27. relatis	- N. 28. relatis
477.	4.	a N. 25.	- a N. 26.
479.	26.	*Macedianos*	- *Macedonianos*
482.	15.	N. 42.	- N. 43.
483.	3.	N. 24.	- N. 25.
ibid.	30.	materia Confirmationis	- forma Confirmationis.
508.	29.	Magiſtri ſui authoritatem	- Magiſtri ſui authoritate
522.	16.	Doct. Aug.	- Doct. Angelicus.